B. WESTERMANN & Co.
NEW-YORK
812 BROADWAY

Library of the Theological Seminary,
PRINCETON, N. J.

Shelf

BT 1315 .D64 1890 v.2
D ollinger, Johann Joseph
Ignaz von, 1799-1890.
Beitr age zur
Sektengeschichte des

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/beitragezursekte02doll

Beiträge

zur

Sektengeschichte des Mittelalters

von

Ign. v. Döllinger.

Zweiter Theil

Dokumente vornehmlich zur Geschichte der Valdesier und Katharer.

München 1890.
C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung
(Oskar Beck).

Dokumente

vornehmlich zur Geschichte

der

Valdesier und Katharer

herausgegeben

von

Ign. v. Döllinger.

München 1890.
C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung
(Oskar Beck).

C. H. Beck'sche Buchdruckerei in Nördlingen.

Inhalt.

Seite

1. Auszüge aus den Acten der Inquisition zu Carcassone, betreffend Albigenser und Waldenser (Collection Doat zu Paris) 3

   Das Stück über die Waldenser S. 6—17 steht mit einigen Abweichungen in der Practica Inquisitionis auctore Bernardo Guidonis ed. C. Douais (Paris 1886) P. V, II. S. 244 ff. Einige Stellen stimmen auch mit Stellen in dem Tractat des David von Augsburg über die Waldesier, herausgegeben von W. Preger, 1878 (Abhandlungen der 3. Cl. der k. bayer. Akad. der Wiss. XIV. Band, 2. Abth.) c. 5. 7. 17. 28. 43.

2. Acten der Inquisition zu Carcassone gegen die Albigenser aus den Jahren 1308 und 1309 (Paris) 17

   Die meisten der hier und in No. 8 erwähnten Albigenser kommen auch in dem Liber sententiarum Inquisitionis Tolosanae hinter Ph. Limborchs Historia Inquisitionis vor.

3. Auszüge aus den Acten der Inquisition zu Carcassone. Aussagen Einzelner (Collection Doat zu Paris) . . . 30

4. Rescriptum haeresiarcharun Lombardiae ad Leonistas in Alemannia (München und Wien) 42

   Im J. 1875 auch von W. Preger in den Beiträgen zur Gesch. der Waldenser (Abhandlungen der k. bayer. Akademie der Wiss. Hist. Cl. Band XIII, S. 179), herausgegeben. Vgl. K. Müller, Die Waldenser, 1886, S. 22.

5. Das Buch Supra Stella von Salvus Burce zu Piacenza aus dem J. 1235 (Florenz) 52

   Über Cathari, Albanenses et Concorricii, S. 53; über Pauperes Leonistae, Pauperes Lombardi et Speronistae, S. 62.

6. Joannis et Apostoli et Evangelistae Interrogatio in coena sancta regni coelorum de ordinatione mundi et de principe et de Adam (Wien) 85

   Ein in vielen (nicht wesentlichen) Einzelheiten verschiedener Text ist aus einer andern bei den Inquisitionsacten von Carcassone befindlichen Handschrift abgedruckt bei J. Benoist, Hist. des Albigeois I, 285, und danach in der Fortges. Sammlung von theol. Sachen 1734, S. 703, und bei Thilo, Codex apocryphus N. T. I, 884.

7. De Pauperibus de Lugduno (Rom) 92

8. Auszüge aus den Protokollen der Inquisition in Languedoc im Anfange des 14. Jahrhunderts (Rom) 97

   Die Protokolle betreffen theils Waldenser, S. 97, 105, 109, 143, 233, 234, theils Katharer, S. 135, 145—233, 234—251. S. o. zu No. 2.

Seite

9. Auszüge aus den Acten der in Nord-Italien 1387 u. 1388 geführten Inquisitionsprocesse contra Valdenses, Pauperes de Lugduno aliosque haereticos, Fraticellos etc. (Rom) . 251

Die Acten sind vollständig abgedruckt im Archivio storico italiano, S. III, Tom. I, P. 2, p. 16—52; Tom. II, P. 1, p. 3—61.

10. Darstellung der Lehre der Katharer (Cesena) . . . 273
11. Summa contra haereticos (München) 279
12. Formulare zu Urtheilsprüchen gegen Häretiker und andere Inquisitionsacten aus dem Archiv der Inquisition zu Carcassone (Collection Doat zu Paris) 286

Notizen über katharische Bischöfe und Zeugenaussagen, S. 292. Die hier und unten No. 46, S. 598 abgedruckten Formulare stehen zum Theil auch in der Practica Bernardi Guidonis (s. o. No. 1): die Sententia contra Valdenses S. 286—289 in der Pract. S. 133, die Forma sent. S. 289—291 Pract. S. 141, der Modus abjurandi S. 291 Pract. S. 162, die Forma convocandi S. 291 Pract. S. 36.

13. Errores haereticorum aus dem 14. Jahrhundert (München Clm. 2714) 293

Kathari et Paterini, S. 293. Manichaei, S. 295.

14. Summa de haeresibus (München Clm. 7714) . . . 297

Runcarii, S. 297. Sotolarii, Oriliwenses, Manichaei, S. 299. Verschiedene Sekten S. 300.

No. 13 und 14 sind Stücke aus dem Sammelwerke des Passauer Anonymus; s. W. Preger, Gesch. der Mystik, 1874, I, 168.

15. De examinatione haereticorum (München Clm. 18920) . 301

Der Tractat ist nach einer andern Handschrift vollständig veröffentlicht von G. E. Friess in der Österr. Vierteljahrschr. für kath. Theol. 1872, 252.

16. Puncta seu articuli notabiliores sectae Waldensium (München Clm. 22363) 304

Vgl. No. 27.

17. Bericht des Inquisitors Petrus aus dem Orden der Cölestiner über die österreichischen Waldenser aus dem J. 1398 (München Clm. 14959) 305

Nach anderen Handschriften abgedruckt bei Preger, Beiträge S. 68 u. bei Friess a. a. O. S. 262. Zu den Actenstücken über die Thätigkeit des Cölestiners Petrus in der Passauer Diöcese gehören auch No. 26 u. 28. Sie stehen zum Theil in der Bibliotheca Patrum Lugd. 25, 80.

18. De VIII haeresibus novis, per quas modo dyabolus multos subvertit, et quomodo cognoscantur haeretici per tria, eum venerint ad pervertendum, aus dem 14. Jahrhundert (München Clm. 2951 a) 311
19. Tractatus Fratris David de inquisitione haereticorum (München Clm. 15312) 315

Vollständig gedruckt bei W. Preger, Der Tractat des David von Augsburg, s. o. No. 1.

20. Fragen, die den Albanenses, Concorrezenses und Lugdunenses vorzulegen sind (Rom) 319
21. Errores haereticorum Catharorum (Rom) 321

Seite

22. Fragen, die den Pathareni vel Cathari vorzulegen sind (Rom) 324
23. Über Irrthümer der Katharer (Rom) 326
24. Über Passagii und Arnoldistae (Rom) 327
25. Errores Pauperum de Lugduno (Würzburg) 328
    Ein Stück aus dem Tractat des David von Augsburg; s. o. No. 19. Das S. 330 mit Nota beginnende Verzeichniss bekehrter Waldenser ist ein Zusatz des Schreibers.
26. Über die Waldenser (München) 331
    Polemik gegen die Waldenser, S. 331. Fragen, die ihnen vorzulegen sind, S. 332. Errores Waldensium, S. 335. Sententiae, ubi quis propter haeresim cruce insignitur et stolatur, S. 343. S. o. No. 17. Einige der S. 338—341 abgedruckten Sätze stehen auch unter den Articuli de Pikardis bei C. Höfler, Geschichtschreiber der husitischen Bewegung I, 503.
27. Puncta seu articuli sectae Waldensium (Wien) . . . 344
    S. o. No. 16.
28. Prozess gegen Waldenser in Österreich im J. 1398 (München) 346
    S. o. No. 17.
29. Auszüge aus einer Schrift des Johannes Leser über die Waldenser (Kloster-Neuburg) 351
    Geschichte des Petrus Waldis und seiner Anhänger, S. 352. Epistola fratrum de Italia ad quosdam conversos de haereticae pravitatis errore ad S. Petrum in der Awe, ut non crederent sacerdotibus, S. 355.
30. Errors contra la fe catholica de Catharina Lauba de Thou en Corogna a. 1417 (Paris) 362
31. Irrthümer der in Augsburg 1393 entdeckten Häretiker (München Cgm. 342) 363
    Gedruckt bei Oefele, Scriptores rerum boicarum I, 620.
32. Processus contra Valdenses 1506 (Paris) 365
33. Bericht über die Waldenser aus dem J. 1391 . . . 367
    Vollständig bei Friess a. a. O. S. 257. Vergl. H. Haupt in der Zeitschr. für Kirchengesch. X (1888), 328.
34. Manichaei cujusdam confessio (Sanct Gallen) . . . 369
35. Auszüge aus polemischen Tractaten gegen die Häretiker (Collection Doat zu Paris) 374
    Aus der Summa contra Catharos G. Bergomensis, S. 374. Aus einem anonymen Tractatus de haeresi Catharorum, S. 379. Bericht über eine Disputation mit einem Katharer, S. 376.
36. Begharden (München Clm. 14216) 378
    Erlass des Bischofs Lampertus von Strassburg vom J. 1374, S. 378. Bulle Bonifacius' IX., S. 381. (Diese beiden Stücke nach einer andern Handschrift veröffentlicht von H. Haupt in der Zeitschr. f. Kirchengesch. VII, 1885, 562.) Andere Bullen Bonifacius' IX. bei Mosheim, De Beghardis p. 653.
37. Verhör eines Begharden zu Erfurt im J. 1367 (München Clm. 4386) 384
38. Irrthümer der Begharden und der Haeresis de novo Spiritu (München Clm. 14959) 389

Seite

39. Compilatio de novo Spiritu, continens centum errores minus tribus (München Clm. 311) 395

Ein Stück aus dem Sammelwerke des Passauer Anonymus, s. o. No. 14, gedruckt auch bei Preger, Geschichte der Mystik I, 461; vgl. H. Haupt in der Zeitschr. für Kirchengesch. VII (1885), 503. 556. In der von Haupt verglichenen Mainzer Handschrift steht die Überschrift: Haec est determinatio Magistri Alberti, quondam Ratisponensis Episcopi, Ordinis Fratrum Praedicatorum, super articulis inventae haeresis in Recia dyocesis Augustanae. — Ein ähnliches Stück wie S. 401 Primo bei Wattenbach, Über die Sekte der Brüder vom freien Geiste, in den Sitzungsberichten der Berliner Akademie 1887, 522. Vgl. unten No. 69.

40. Geständnisse der Begharden zu Metz 1334 (Wien) . . 403

41. Begharden und Beghinen (Frankfurt) 406

Mit der Überschrift: Joannis Wasmodi de Homburg tractatus contra haereticos Bekardos, Lulhardos et Swestrioncs, theils vollständiger, theils lückenhafter veröffentlicht von H. Haupt in der genannten Zeitschrift VII (1885), 567.

42. Errores sectae spiritus libertatis (Rom) 416

43. Auszug aus dem Chronicon de persecutionibus Fratrum Minorum (Florenz) 417

Theile dieser Chronik (S. 457—459, 466—526) sind vollständig abgedruckt im Archiv für Litteratur- und Kirchengeschichte des Mittelalters von H. Denifle und Fr. Ehrle II, 125—155. 256—327; III, 601—603. Sie ist hier Historia septem tribulationum Ordinis Minorum überschrieben. Über den Verfasser, Fr. Angelus de Clarino, s. Archiv I, 154. 515; II, 108. 249; III, 406. 615. Die Quinta Persecutio beginnt S. 481 Fratre Bonaventura, die Septima S. 525 Post hoc.

44. Auszüge aus des Petrus Johannes Olivi Postille über die Apokalypse (Florenz und Paris) 527

45. Processo, sentenza et morte di Maestro Cecco Stabili da Ascoli seguita in Firenze il dì 15. Aprile 1327 (Florenz) . 585

Auszüge aus diesem Stücke nach einem andern Texte gibt H. Ch. Lea, History of the Inquisition III, 655.

46. Formulare zu Urtheilsprüchen gegen Häretiker und andere Inquisitionsacten aus dem Archiv der Inquisition zu Carcassone (Paris) 598

Vgl. oben No. 12, S. 286.

47. De haereticis diffidandis et banniendis (Florenz) . . 605

48. Über Apostoli (Collection Doat zu Paris) 610

49. Irrthümer der Albigenser, der Sekten de Bagnolo und de Concoreggio (Wien) 612

50. Artikel der ungelaubigen Laut, genant dye Ketzer (München Clm. 4386) 613

Auch bei Wattenbach a. a. O. S. 519.

51. Auszug aus dem Collyrium fidei contra haereses et errores von Fr. Alvarus Hispanus, Episcopus Silvensis (Paris) . 615

52. Puncta quaedam haereticis examinandis proponenda (Wien) 617

53. Articuli haeresium in Maguntia (Wien) 620

54. Auszüge aus Poenitentialbüchern (München Clm 21567 und 23573) 621

Seite

55. Copia literarum de quadam secta in partibus Alemanniae noviter exorta, vom J. 1466 (Paris, auch München Clm. 17796) 625
56. Verhör des Bartholomäus Rautenstock (1450—60? München) 626
57. Auszüge aus den Tractatus consultatorii des Henricus de Gorychum (München) 630
58. Auszüge aus den Collationes des Thomas Ebendorfer von Haselbach (München) 632
59. Summa Picardicarum rerum tum in Bohemia tum in Moravia (Wien) 635
60. Censura super nova apud Moravos Picardorum et cujusdam Habrawansky secta et falsa religione, von Johann Faber, Bischof von Wien 641
61. Summarium impiae et pharisaicae Picardorum religionis (Wien) 661

Errores Valdensium circa eucharistiam, S. 663.

62. Summa doctrinae hominum, qui nunc Antwerpiae et passim in aliquibus Brabantiae et Flandriae locis permulti reperiuntur ac nunc Loistae nunc Libertini appellantur (Wien) 664
63. Auszug aus einem Briefe über einen ketzerischen Pfarrer in Mähren im 15. Jahrhundert (Wien) 668
64. Acta Taboritarum (Wien) 673

Sendschreiben eines Calixtiners, S. 679. Erklärung von Taboriten vom J. 1435, S. 684.

65. Professio fidei des Fraticellen Joannes de Arquata (Wien) 686
66. Confessio eines Picarden (Wien) 688

Articuli Taboritarum Prokopa holého, S. 691.

67. Tractatus contra errores Picardorum (Wien) . . . 691

72 dieser Artikel in anderer Ordnung bei C. Höfler a. a. O. I, 434.

68. Deutsche Aufzeichnung eines Inquisitors über Geständnisse von Waldensern aus dem 16. Jahrhundert . . . 701
69. Articuli haereticorum Beghardorum (Karlsruhe) . . . 702

S. o. No. 39, S. 399. — S. 703 Ortilibarii s. Bibliotheca Patrum Lugd. 25, 266.

70. De Beguinabus (Sanct Gallen) 703
71. Bericht über Sectirer in Ungarn und Siebenbürgen aus Jacobi de Marchia Dialogus de Fraticellis . . . 705
72. Inquisitionsprocess gegen die Visionärin Rixendis in Narbonne im J. 1288 (Narbonne) 706

Dokumente.

I.

Auszüge aus den in der kaiserlichen Bibliothek zu Paris befindlichen Akten der Inquisition zu Carcassone, betreffend die Albigenser und Waldenser. (Collectio Occitanica, T. VII, fol. 192 seq.)

(Die zuerst stehende Aufzählung der Lehren der Manichäer ist hier weggelassen, da sie bereits Eymerich in sein Directorium Inquisitorum p. 273 seq. aus eben diesen Inquisitionsakten wörtlich aufgenommen hat.)

De Manichaeis moderni temporis.

Tales haereticos consueverunt inquisitores detinere diutius, eo ut ad conversionem saepius incitentur, quia conversio talium est plurimum utilis ex eo quod conversio haereticorum Manichaeorum communiter vera est et raro ficta, et quando convertuntur, detegunt omnia, et aperiunt veritatem et revelant omnes complices suos, unde sequuntur majores fructus. —

Modus et ritus vivendi.*)

Ipsi in nullo casu jurant. Jejunant tres quadragesimas in anno, scil. a festo S. Britii usque ad natale, et a Dominica in quinquagesima usque ad pascha, et a festo Pentecostes usque ad festum Petri et Pauli, et septimanam primam et ultimam cujuslibet quadragesimae vocant septi-

*) Vergl. Eymerici Director. p. 440.

manam strictam quia in illa jejunant in pane et aqua, in aliis autem septimanis tribus diebus jejunant in pane et aqua, et per totum annum residuum tribus diebus in pane et aqua jejunant qualibet septimana, nisi sint itinerantes et infirmi. Item nunquam comedunt carnes, nec etiam tangunt eas, nec caseum, nec ova nec aliquid quod nascatur ex carne per viam generationis sive coitus. Item nullo modo occidunt aliquod animal, nec volatile, quia dicunt et credunt, quod in animalibus brutis et in avibus sint spiritus illi, qui recedunt de corporibus hominum, quando non sunt recepti ad sectam nec ordinem suum et quod transeunt de uno corpore in aliud corpus. Item non tangunt aliquam mulierem. Item in principio mensae, quando sunt inter credentes vel inter se, benedicunt unum panem vel unam petiam panis, tenendo panem in manibus cum manustergio seu aliquo panno albo dependente a collo, dicendo orationem Pater noster, et frangunt in parvas petias, et talem panem vocant panem sanctae orationis et panem fractionis et credentes eorum vocant panem benedictum sive panem signatum, et de illo pro communione comedunt in principio mensae et dant et tribuunt credentibus suis. Item docent credentes, quod exhibeant eis reverentiam, quam vocant melioramentum, nos autem vocamus adorationem, flectendo genua et inclinando se profunde coram ipsis super aliquam bancam vel usque ad terram, junctis manibus tribus vicibus inclinando et surgendo et dicendo qualibet vice: benedicite, et in fine concludendo: boni christiani benedictionem Dei et vestram, orate Deum pro nobis, quod nos custodiat a mala morte, et nos perducat ad bonum finem vel ad manus bonorum christianorum; et haereticus respondet: a Deo et a nobis habeatis, et Deus vos benedicat et a mala morte eripiat animam vestram et ad bonum finem perducat vos. Per malam mortem dant intelligere mori in fide ecclesiae. Praedictam autem reverentiam dicunt non fieri ipsis, sed spiritui sancto, quem dicunt esse in se ipsis, eo quod sunt recepti ad sectam et ordinem. —

(Pactum): — et extunc haeretici possunt recipere tales

in infirmitate eorum, etiamsi perdiderint loquelam aut non haberent memoriam ordinatam. — Modus receptionis: — Haereticus tenendo manus super caput infirmi, non eum tangendo, si sit mulier, et tenendo librum dicit evangelium: „In principio“ usque ad „caro factum est et habitavit in nobis,“ quo lecto infirmus dicit orationem „Pater noster“, si potest, sin autem, aliquis de assistentibus dicit pro eo, quo facto infirmus dicit, si potest, ter benedicite inclinando caput et jungendo manus et omnes alii assistentes adorant haereticum et haereticus in eodem loco, vel in alio separato facit multas prostrationes et venias usque ad terram dicendo orationem „Pater noster“, pluribus vicibus inclinando et levando.

De modo dogmatisandi: Dicunt, ipsos esse bonos Christianos, qui non jurant nec mentiuntur, nemini maledicunt, nec occidunt, nec hominem, nec animal, nec aliquid, quod habeat vitam respirantem, — et quod tenent locum apostolorum; et quod Romana ecclesia eos persequitur, sicut Pharisaei Christum et apostolos persequebantur. — Item ut plurimum loquuntur laicis de mala vita clericorum et Praelatorum et specificant et exponunt de superbia, cupiditate, avaritia, immunditia vitae et quaecunque mala alia sciunt, et ad hoc adducunt authoritates secundum suam expositionem evangelii et epistolarum contra statum Praelatorum, clericorum et Religiosorum, quos vocant Pharisaeos et falsos prophetas, qui dicunt et non faciunt; deinde paulatim lacerant et vituperant omnia sacramenta ecclesiae specialiter eucharistiam *). Item quod illa hostia nascitur de palea et quod transit per caudas equorum et equarum, videlicet quando farina purgatur per sedacium. Item quod mittitur in latrinam ventris et per turpissimum locum, quae non possent fieri, si esset ibi Deus. Item de baptismo, quod est aeque materialis et corruptibilis et ideo est de opere et creatione mali Dei, et non potest sanctificare

*) Hier folgt die bekannte Aeußerung vom Leibe des Herrn, der, wäre er auch von der Größe eines Berges, längst aufgezehrt sein müßte.

animam, sed clerici ex avaritia vendunt illam aquam, sicut vendunt terram in sepulturis mortuorum, et sicut vendunt oleum infirmorum et confessionem peccatorum.

Sacerdotes Romanae Ecclesiae non possunt solvere et ligare, cum sint peccatores; et cum sint immundi, nullum alium possunt mundare.

Dicunt, crucem non magis esse adorandam, quam lignum sit venerandum, in quo pater alicujus suspensus fuerit. Item dicunt, quod illi, qui adorant crucem, pari ratione deberent adorare omnes spinas et lanceas. —

Valdenses, sive Pauperes de Lugduno. Hi inceperunt c. annum 1170; ortum habuerunt a cive quodam Lugduni Valdesio vel Valdensi, qui dives rebus exstitit, et relictis omnibus proposuit servare paupertatem et perfectum evangelium, sicut apostoli servarunt, et cum fecisset conscribi sibi evangelia et aliquos alios libros de biblia in vulgari Gallico, et etiam aliquas authoritates S. Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Gregorii ordinatas per titulos, quas ipse et sequaces sui sententias appellarunt, ea saepius secum legentes et minus sane intelligentes, sensu suo inflati, cum essent modice literati, apostolorum sibi officium usurparunt, praesumentes per vicos et plateas evangelium praedicare, et Valdesius multos homines utriusque sexus complices sibi fecit ad similem praesumtionem, ipsos ad praedicandum tamquam discipulos emittebat, qui cum essent idiotae et illiterati, per villas discurrentes et domos penetrantes, tam viri quam mulieres in plateis ac etiam in ecclesiis, viri etiam maxime praedicantes multos errores circumquaque diffuderunt. Quod cum Archiepiscopus Lugdun. Jo. de Belles-mains ipsis interdiceret, dixerunt, Deo magis obediendum esse quam hominibus, et Deum jussisse Apostolos, ut evangelium annunciarent omni creaturae — aspernantes Praelatos et clericos, quia divitiis abundabant et in deliciis vivebant. — Exinde excommunicati ex illa civitate et patria sunt expulsi — sic multiplicati super terram, disperserunt se per illam provinciam et per partes vicinas et confines Lombardiae, et praecisi ab ecclesia, cum aliis haereticis

se miscentes et eorum errores imbibentes suis adinventionibus antiquorum haereticorum errores et haereses miscuerunt. — Insabbatati dicti sunt, quia olim de principio sui Valdenses perfecti spirituale signum in modum scuti in parte superiori sotularium deferebant.

Errores Valdensium moderni temporis, quia olim plures alios habuerunt.

Prima haeresis fuit et adhuc perseverat contemtus ecclesiasticae potestatis, ex hoc excommunicati, praecipitati sunt in errores innumeros. Dicebant, se Papae, Romanae ecclesiae et Praelatis ejus non esse subjectos, proinde ab illis se non posse excommunicari. Porro dicebant, neminem posse ipsis injungere quod sectam deserentes abjurent, quanquam per Romanam Ecclesiam ipsa secta tanquam haeretica sit damnata. Notandum tamen est, quod ipsi Valdenses dispensant in juramento, ut possint jurare pro morte sua vel alterius vitanda seu evadenda et etiam ne alios complices prodat aut secretum sectae suae revelet; dicunt enim esse crimen inexpiabile et peccatum in Spiritum sanctum prodere aliquem de secta sua per factum. Omne judicium damnant, item constitutiones et decreta ecclesiae de jejuniis et festis colendis. Dicunt se habere potestatem a solo Deo et a nullo alio, sicut apostoli habuerunt a Christo audiendi confessiones virorum et mulierum volentium sibi confiteri, et absolvendi et poenitentiam injungendi. Indulgentias, quae fiunt per praelatos ecclesiae irridendo asserunt penitus non valere. Dicunt non publice sed in secreto suo, quod in sacramento altaris panis et vinum non efficitur corpus et sanguis Christi, si sacerdos celebrans et consecrans sit peccator, et reputant quemlibet hominem peccatorem, nisi sit de secta ipsorum. Item dicunt, quod consecratio corporis et sanguinis Christi potest fieri a quolibet justo, quamvis sit laicus, dum tantum sit de secta ipsorum, et hoc etiam credunt de mulieribus, dummodo sint de secta ipsorum, et ita dicunt, quod omnis factus est sacerdos. —

Modus autem sive ritus ipsorum celebrandi missam consuevit esse talis, videlicet, quod semel solum consecrant

aut missam celebrant in anno, scilicet in coena Domini, et tunc id est juxta noctem. Qui praeest inter eos, quamvis non sit sacerdos aut presbyter, a catholico ordinatus, convocat omnes de familia sua utriusque sexus, et facit ibi ante eos praeparari bancam unam sive scrinium ad hoc idoneum et facit poni desuper mapam unam mundam, et postea subponunt unum plenum ciphum de bono vino puro, et unam fogasiam seu placentam azymam seu de pane azymo; postmodum vero ille, qui praeest, ait adstantibus: Rogemus Deum nostrum, quod ipse parcat nobis peccata nostra et offensiones nostras propter misericordiam suam, et ea, quae petimus digne, propter suam misericordiam debeat adimplere, et dicamus septies „Pater noster“ ad honorem Dei et Sanctissimae Trinitatis, ut ipse hoc faciat; et tunc flexis genibus omnes dicunt septies „Pater noster“, et postea surgunt, et tunc ille, qui consecrat, signat panem et ciphum vini, et fracto pane dat omnibus bibere cum cipho, et stant semper super pedes suos, et sic finitur eorum sacrificium, et credunt firmiter et confitentur, quod istud est corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi, et si aliquid superesset de sacrificio, conservaretur illud usque ad pascha, et tunc totum sumpserunt, per totum autem residuum spatium anni non dant infirmis suis nisi panem benedictum et vinum. Omnes itaque dicti Pauperes Lugdunenses seu Valdenses eundem modum consecrandi tenebant ante divisionem, quae fuit inter eos, videlicet quando diviserunt se in Pauperes vocatos Lombardos et in Pauperes citramontanos. — Item negant Valdenses, post hanc vitam esse purgatorium, et consequenter orationes, eleemosynas et missarum celebrationes et alia suffragia, quae fiunt a fidelibus pro defunctis, asserunt non prodesse; item praelatis et clericis et religiosis Romanae Ecclesiae detrahentes statum eorum reprobant et condemnant, et dicunt, eos esse coecos et duces coecorum, et non servare evangelii veritatem, nec sequi apostolicam paupertatem. Item, ipsam Romanam Ecclesiam domum esse mendacii, mordaciter mentiuntur. Item se ipsos vitae et perfectioni aposto-

lorum comparantes et meritis coaequantes, dicunt, se esse successores apostolorum, et se tenere et servare evangelium et apostolorum spiritum. Ordines Romanae Ecclesiae non reputant esse a Deo, sed a traditione hominum. Ideoque fallaciter decipiunt dicentes et facientes se credere esse in sancta ecclesia, intelligentes de suo ordine episcopos, presbyteros et diaconos. Item nulla miracula, quae fiunt in ecclesia sanctorum meritis et precibus, dicunt esse vera, quia nullus ipsorum aliquando fecit miracula. Item dicunt et tenent in secreto, quod sancti in coelo non audiunt orationes fidelium, nec attendunt orationes, quibus eos honoramus in terris, dicuntque, sanctos non orare pro nobis, et ideo non oportet nos eorum suffragia implorare, unde spernunt solemnitates, quas in sanctorum veneratione celebramus, et alia, quibus eos veneramur; et in diebus festis, ubi caute possunt, operantur: haec tamen non manifestant indifferenter credentibus suis, sed inter se perfecti hujus sectae sic tenent, scilicet de miraculis sanctorum, quod non sint vera, et de suffragiis eorum non implorandis, et de festis non celebrandis praeter diem dominicum et festa beatae Mariae Virginis, et aliqui addunt apostolorum et evangelistarum.

Sciendum quoque, quod praedicta secta multos alios errores ab olim habuit et tenuit et adhuc in aliquibus partibus habere dicitur in secreto, sicut de celebratione missae in die coenae, sicut dictum est supra, et de mixtione abominabili in tenebris faciendo quilibet cum qualibet indistincte et de apparitione cati et aspersione cum cauda, et de quibusdam aliis, quae in summulis super hoc conscriptis latius continentur. —

Valdenses habent et constituunt sibi unum superiorem super se, quem vocant Majoralem suum, cui omnes tenentur obedire, sicut omnes Catholici sunt sub obedientia Papae. — Item communiter bibunt (vinum?) et comedunt carnes. — Item jejunant die lunae et die Mercurii, qui possunt et volunt, jejunantes tamen vescuntur carnibus. Item jejunant diebus Veneris et in quadragesima et absti-

nent se a carnibus, ne ceteris veniant in horrorem, quia dicunt, quod carnes comedere quacunque die non est jucundum, quia Christus non prohibuit vesci carnibus, nec praecepit ab eis abstinere. Item postquam sunt recepti ad istam societatem, quam vocant fraternitatem et promiserunt obedientiam superiori suo, et se servare evangelicam paupertatem, ex tunc debent servare castitatem et non habere proprium, sed debent vendere omnia, quae habent, et ponere pretium in commuui et vivere de eleemosynis, quae dantur eis a suis credentibus et consentientibus in facto ipsorum. Qui major est ipsorum, distribuit et dispensat cuilibet secundum necessitatem ejus. Item continentiam laudant credentibus suis, concedunt tamen, ut urenti libidini satisfieri debeat quocunque modo turpi, exponentes illud apostoli, quod melius est nubere, quam uri, dicentes, quod melius sit satisfieri libidini quocunque actu turpi, quam justum in corde tentari: hoc autem valde tenent occultum, ne vilescant apud credentes suos. Item collectas faciunt per credentes et amicos, et ea, quae collecta sunt, deferunt ad superiorem suum. Item singulis annis tenent et celebrant unum vel duo capitula generalia in aliqua solenni villa, occulte quantum possunt, convenientes in aliqua domo conducta per aliquem vel aliquos de credentibus suis diu ante quasi sint mercatores, et in his capitulis major omnium ordinat et disponit de presbyteriis et diaconatibus et de mittendis ad diversas partes et regiones ad credentes et amicos suos pro confessionibus audiendis et eleemosynis colligendis, et audit et recipit rationem de collectis et de expensis factis. Item non laborant de manibus suis, postquam sunt facti perfecti, nec faciunt aliquod opus ad lucrandum, nisi forsitan in casu ad dissimulandum, ne cognoscantur et deprehendantur. Item communiter vocant se fratres, et dicunt se esse Pauperes Christi, vel Pauperes de Lugduno. Item se aliquando ingerunt simulate familiaritatibus religiosorum et clericorum, ut se contegant, et largiuntur eis munera et faciunt obsequia seu servitia, ut sibi et suis acquirant opportunitatem liberiorem latendi et

vivendi et vescendi animabus. Item frequentant ecclesias et praedicationes, et in omnibus se religiose et composite exterius gerunt, et student habere verba quasi licita et canta. Item faciunt multas orationes in die, et dicunt et instruunt credentes suos, quod faciant similiter sicut ipsi et cum ipsis.

Modus autem orandi ipsorum talis est, quod flexis genibus in terram inclinant et appodiant se super aliquam bancam vel super aliquid aliud consimile ad hoc aptum, et sic flexis genibus inclinati stant ibi omnes orantes in silentio ita diu, quod possunt dicere triginta vel quadraginta vicibus „Pater noster“ et amplius aliquoties, et hoc faciunt quotidie regulariter, quando sunt cum credentibus suis et consentientibus in facto ipsorum sive aliis extraneis, ante prandium et post et ante coenam et post, deque nocte, quando volunt ire ad lectum, quando ponunt se ad jacendum, item de mane, postquam surrexerunt de lecto, item in aliquibus aliis vicibus per diem tam de mane quam de meridie. Item nullam orationem dicunt tunc nec docent nisi orationem „Pater noster“, nec aliquid reputant Salutem beatae Mariae nec symbolum apostolicum, quia dicunt illa per Romanam Ecclesiam, non per Christum fuisse ordinata seu composita, veruntamen articulos fidei septem de divinitate et septem de humanitate et decem praecepta decalogi et septem opera misericordiae sub quodam compendio et modo ab eis ordinato et composito dicunt et docent et in illo plurimum gloriantur et statim offerunt se promtos ad respondendum de fide sua. — Item antequam ponant se ad mensam, benedicunt eam dicendo: benedicite, Kyrie eleison, Christi eleison, Kyrie eleison, quo dicto antiquior inter eos dicit in vulgari: Deus qui benedixit quinque panes hordeaceos et duos pisces in deserto discipulis suis, benedicat hanc mensam et ea, quae sunt super eam et ea, quae apponentur in ea; et facit signum crucis dicendo: in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Item quando surgunt de mensa in prandio vel in coena, reddunt gratias hoc modo, videlicet quod antiquior dicit in vulgari illud

quod habetur in apocalypsi: Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro in saeeula saeeulorum amen — et postea subdit: Deus reddat bonam mercedem et bonum eseambium omnibus illis, qui benefaciunt nobis et benedicunt, et Deus, qui dedit nobis cibum temporalem, det nobis cibum spiritualem. Deus sit eum nobis et nos eum eo semper, et alii respondent amen. Item quando benedicunt mensam, et quando reddunt gratias, tenent ut frequenter manus junctas et elevant visus ad coelum. Item post prandium dictis gratiis et faeta oratione ut supra, praedicant et docent sive faeiunt orationes suas de doetrina illis, qui sunt praesentes, si sint in loco opportuno, ubi non timeant de supervenientibus, qui non essent consentientes de facto ipsorum; sed ut frequentius faciunt praedicationes suas de nocte post coenam, quando eredentes ipsorum sunt eongregati, qui tunc redierunt de operibus suis, et secretius et securius et abscondite possunt loqui, et interdum facta praedieatione ponunt se omnes ibidem flexis genibus inelinati modo quo supra ad orationem, et aliquando faciunt extingui lumen, si sit ibi, propter haec, ut dieunt, ut non videantur vel deprehendantur ab extraneis.

Duo sunt genera sectae ipsorum. Aliqui eorum sunt perfecti et ipsi vocantur proprie Valdenses, qui prius informati recepti sunt ad ordinem ipsorum secundum ritum suum, ut alios sciant docere. Isti nil proprium dicunt se habere nec domos nec possessiones nec certas mansiones, si qui autem ipsorum antea uxores habuerint, quando recipiuntur, eas dimittunt. Hi doeent, se esse apostolorum successores, et sunt magistri aliorum et confessores, et circumeunt per terras visitando et eonfirmando discipulos in errore; his ministrant discipuli et eredentes ipsorum neeessaria, in quocunque autem loco venerunt, insinuant sibi adventum illorum, et conveniunt ad eos plures ad hospitium, ubi recepti sunt, audire et videre illos, et mittunt eis illue, quaeeunque bona habent ad eomedendum et bibendum, et audiunt praedicationem eorum in conventieulis,

quae maxime frequentant de nocte, quando alii dormiunt; non autem statim in principio aperiunt eis errores suae sectae, sed prius dicunt, quales debent esse Christi discipuli ex verbis evangelii et apostolorum, dicentes illos tantum esse apostolorum successores, qui vitam eorum imitantur et tenent, et ex hoc argumento concludunt, quod Papa et episcopi et praelati et clerici qui habent divitias hujus mundi, et sanctitatem apostolorum non imitantur, non sunt ecclesiae Dei veri pastores et gubernatores, sed lupi rapaces et devoratores, nec talibus Christus dignatur committere ecclesiam, sponsam suam, et ideo eis non est obediendum. Dicunt etiam, quod immundus non potest alium mundare, nec ligatus alium solvere, nec reus potest alteri reo judicem sibi iratum placare, nec ille, qui est in via perditionis, potest alii ductum ad coelum praebere, et isto modo detrahunt clero et praelatis, ut eos reddant exosos, ne credatur eis nec obediatur. Valdenses itaque communiter dicunt et docent credentibus suis quaedam, quae videntur bona et meliora de virtutibus et bonis operibus faciendis et de vitiis cavendis, ut sic facilius in aliis audiantur et capiant audientes, dicunt enim, quod homo non debet mentiri, quia qui mentitur, occidit animam, ut dicit scriptura, nec debet alii facere, quod sibi non vult fieri — debet servare mandata Dei — non debet jurare in aliquo casu, et verba Christi (nolite jurare etc.) multum imprimunt credentibus suis, nec aliquam expositionem super eis recipiunt. Item docent, quod jurare in quocunque casu est peccatum mortale, et si quis de credentibus ipsorum compellatur jurare in judicio, debet de hoc postea confiteri et recipere poenitentiam sicut de peccato. Item quando praedicant de evangeliis et epistolis vel de exemplis et authoritatibus sanctorum allegando: istud dicitur in evangelio vel epistola, vel ita dicit talis sanctus aut talis doctor, ut magis dicta eorum ab auditoribus exceptentur; habent evangelia et epistolas in vulgari communiter, et etiam in latino, quia aliqui inter eos intelligunt et sciunt legere, et interdum quae dicunt, legunt in libro, aliquando autem sine

libro, maxime illi, qui nesciunt legere, sed ea corde tenentes didicerunt. Item praedicationem suam faciunt in domibus credentium et aliquando in itinere. Item dicunt et docent credentibus suis, quod vera poenitentia et purgatorium de peccatis est tantummodo in hac vita et non in alia, et ideo docent, quod confiteantur sibi peccata sua et audiunt confessiones eorum et absolvunt confitentes sibi et injungunt poenitentiam confitentibus et imponunt communiter jejunia sextae feriae et orationem „Pater noster“ et dicunt se habere talem potestatem a Deo, sicut sancti apostoli habuerint. Item docent, quod animae, quando exeunt de corporibus, immediate vadunt in paradisum vel in infernum et non est alius locus animarum post hanc vitam.

Valdenses sunt valde difficiles ad examinandum et inquirendum et ad habendum veritatem ab eis de erroribus suis propter fallacias et duplicitates verborum, quibus se contegunt in responsionibus suis ne deprehendantur. Quando aliquis eorum capitur et offertur ad examinationem, venit quasi intrepidus, quasi nullius mali sibi conscius et securus. Interrogatus, si scit, quare sit captus, respondet valde mansuete et subridendo: Domini libenter discerem a vobis causam. Interrogatus de fide, quam tenet, respondet, omnia credo, quae debet credere bonus christianus. Interrogatus, quem reputat bonum christianum, respondet, illum, qui credit sicut sancta ecclesia docet credere et tenere. Interrogatus, quam vocat sanctam ecclesiam, respondet, Domini, eam, quam dicitis et creditis vos esse sanctam ecclesiam. Si dicitur: ego credo sanctam esse Romanam Ecclesiam, cui praesidet Dominus Papa et alii praelati sub eo, respondet, et ego credo, intelligendo, quod ipse credit, me ita credere. Interrogatus de articulis, quos ipse credit, sicut de incarnatione, resurrectione, ascensione Christi, tunc respondet alacriter: firmiter credo. Interrogatus, si credit panem et vinum in missa ad verba sacerdotis virtute divina transsubstantiari in corpus et sanguinem Christi, respondet, nonne deberem hoc bene credere? Si autem examinans dicit ei: non quaero, si debeas credere, sed si

credas, respondet: credo quidquid vos et alii boni doctores me jubent credere. Dicitur eidem: illi boni Doctores, quibus vis credere, sunt magistri sectae tuae, cum quibus si ego sentio, credis mihi et illis, si aliter, non credis; respondet, tunc etiam vobis libenter credo, si aliquid me docetis, quod mihi sit bonum. Dicitur eidem: hoc judicas tibi bonum, si ego doceo te, quod alii magistri tui docent, sed responde simpliciter, si credis, esse in altari corpus Domini nostri Jesu Christi, tunc respondet promte: „credo", intelligens, quod ibi est corpus et quod omnia corpora sunt Domini Jesu Christi; tunc amplius examinatus, si credit, ibi esse illud corpus Domini, quod natum est de virgine et pependit in cruce et resurrexit et ascendit, respondet: et vos Domini numquid ita creditis? Dico ei: ita omnino credo, respondet et ille, et ego similiter credo, intelligens, se credere, me ita credere. Examinatus super ista fallacia et aliis ut explicite et directe respondeat, respondet, si omnia, quae dico, vultis alias interpretari quam sane et simpliciter, tunc nescio, quid vobis debeam respondere, simplex homo sum et illiteratus, nolite me capere in verbis meis. Dicitur eidem: si homo simplex es, responde et age simpliciter sine palliatione verborum, tunc respondet: libenter. Tunc dicitur eidem: vis ergo jurare, quod nunquam didiceris aliquid contra fidem, quam nos dicimus et credimus esse veram? respondet aliquantulum pavidus: si debeo jurare, libenter jurabo. Dicitur eidem: non quaeritur, utrum debeas, sed an velis jurare, respondet, si jubetis me jurare, jurabo. Dico: non cogo te jurare, quia cum tu credas, illicitum esse juramentum, tu velles refundere culpam in me, qui te coëgissem, sed si tu juraveris, audiam, tunc respondet, ut quid ergo jurabo, si non jubetis? Dicitur eidem: ut auferas suspicionem, quae est contra te, quod tu reputaris esse haereticus Valdensis tenendo, quod omne juramentum est illicitum et peccatum; tunc respondet, quomodo ergo debeo dicere jurando? Dicitur ei: jura sicut scis —; respondet, Domini nescio, vos me doceatis. Tunc dico ei: si ego deberem jurare, tunc elevata

manu et tactis sanctis evangeliis dicerem: juro per ista sancta evangelia, quod nunquam didici vel credidi aliquid, quod sit contra fidem veram, quam sancta Romana Ecclesia credit et tenet. Tunc ille contimescens, et quasi qui nesciat eadem verba formare cespitabit in eis, ut vel ipse vel alius interloquatur et verba alia interponat, nec fiat directa forma jurandi, sed quaedam locutio non juratoria, ut tamen ab eis jurasse putetur; si autem continuaverit verba illa, tunc ipse intendit ea revolvere fallaciter et non per ea jurare et sic fallere circumstantes, ut putetur jurasse; aut enim formam jurandi convertit in formam orandi, uti: si me Deus adjuvet et ista sancta evangelia, quod non sum haereticus vel non feci aut dixi hoc vel illud, aut verba juramenti tantummodo ruminat non intendendo jurare, cum autem quaeritur ab eo, an juraverit, respondet: nonne vos audiistis me jurare? Quando ab interrogantibus arctantur, aut morose deliberant, quomodo callide respondeant, non directe ubi timent deprehendi, aut aliquid contra ad principalem interrogationem respondent, aut dicunt, se esse simplices et nescire sapienter respondere, cum autem vident astantes libenter eis compati, quasi simplicibus, quibus fiat injuria, et in quibus nihil mali inveniatur, assumunt fiduciam et simulant se flere et miserabiles ostendere, ut sic eos ab inquisitione deflectant, dicentes: Domini, si in aliquo deliqui, libenter portabo poenitentiam, tantum juvate me, ut ab ista liberer infamia, de qua sum sine culpa et ex invidia diffamatus. Si autem aliquis consentit jurare simpliciter, tunc dicendum est ei: si tu nunc juras, ut sic libereris, notum tibi sit, quod mihi non sufficit unum juramentum vel duo, vel decem vel centum, sed toties quoties petiero, quia scio, quod inter vos dispensastis et ordinastis de certo numero juramentorum, quando necessitas cogit, ut sic vos vel alios liberetis, sed sine numero volo requirere juramenta, et insuper si habuero testes contra te de contrario, non proderunt tibi juramenta tua, et tunc maculasti conscientiam tuam jurando contra eam et propter hoc non evades; in tali autem anxietate vidi aliquos confiteri

errores suos, ut evaderent, aliqui autem tunc omnino recusarunt, asserentes, omne juramentum esse illicitum et peccatum, et si quaeritur ab aliquo eorum, quare voluerit jurare, si reputabat esse illicitum, respondebat: volui me liberare a morte per hoc et postea pro peccato poenitentiam subire.

II.

Acta inquisitionis Carcassonensis contra Albigenses a. 1308 et 1309. (Cod. reg. Paris. 4269.)

Raymundus Issaura filius Arnaldi Issaura de Lernaco Appamaeensis dioeceseos constitutus in judicio.

Dicebat, quod pater suus ipsi commendavit duo haereticos tanquam magistros veritatis et authores salutis. Et praedicti haeretici faciebant ipsi tam pulcram faciem et ostendebant ei signum dilectionis et faciebant ei suum beneplacitum, et quadam die ipse de mandato dicti patris sui apportavit eis fructus, et invitaverunt eum et dederunt ei ad vespralandum dantes sibi de pane suo. Interrogatus, quod dixerunt sibi dicti haeretici, dixit, quod dicebant, quod ipsi erant boni Christiani et habebant bonam fidem et tenebant et ducebant viam Dei et apostolorum, et habebant potestatem salvandi animas, et quod nullus, nisi crederet eis et nisi teneret fidem suam et nisi transiret per manus suas, poterat salvari. — Dicebant, quod ecclesia Romana nihil valebat, et illa ecclesia non erat ecclesia Dei, et omnes, qui hoc credebant, erant fatui et sine sensu; quidquid dicebatur et praedicabatur in ecclesia per Capellanos vel religiosos, erat mendacium, et nullus debebat credere praedicationibus eorum. Et dicebant, quod ipsi erant ecclesia Dei, qui tenebant fidem et viam Dei, qui non menciebantur, nec necabant vel faciebant malum homini et erant sine peccato, et ipsi habebant potestatem solvendi et remittendi peccata, et ecclesia Romana nullam potestatem habebat.

Item dicebant de corpore Christi, quod nullus debebat credere, quod illa ostia, quam Capellanus ostendit populo in missa, esset corpus Christi, et quod non erat nisi panis.

Item dicebant, quod matrimonium nihil valebat, et contemnebant, ut dixit, et inculpabant omnia, quae fiebant in ecclesia sive per ecclesiam Romanam, dicentes, quod non erat aliqua fides adhibenda.

Item dicebant, quod erant duo Dii, unus bonus et unus malus, et ipsi haeretici credebant bono Deo et tenebant fidem suam, et illi, qui tenent et praedicant fidem Ecclesiae Romanae, erant de Deo malo, ita quod nunquam possunt salvari.

Interrogatus, si fecit dictis haereticis conventionem, quod possent ipsum haereticare et recipere in fidem et sectam suam in fine, dixit, quod sic; quod interrogaverunt eum, si credebat eorum dictis seu erroribus supradictis, quod respondit eis, quod sic; item interrogaverunt, si esset infirmus in periculo mortis, si volebat recipi per eos in sectam suam et si volebat servare praecepta Dei et sua, qui respondit et concessit, quod sic, et quod adoravit dictos haereticos edoctus, inductus et instructus per eos flexis genibus dicendo: benedicite ter, dicendo etiam: boni Christiani orate Deum pro nobis, quod Deus perducat nos ad bonum finem; et dicti haeretici respondebant, ut sibi videtur: Deus sit in adjutorium vestrum.

Interrogatus, quis praeparabat eis ad comedendum, dixit quod ipsimet et non comedebant carnes nec ova nec cascum.

Item dixit, quod Guilielmus, frater suus quadam nocte in Petronii villa de Lernaco a parte inferiori tradidit sibi mulum seu mulam essalatum et frenatum, quod animal, ut dixit sibi dictus frater suus, erat Philippo de Lernaco, et quod duceret eum ad Cabanacum et quod ligaret eum et daret ad comedendum ei, quod et fecit dictus testis. Interrogatus, quo iverat dictus frater suus, dixit, quod postea interrogavit eum, quo iverat, et ipse dixit sibi, quod iverat cum Philippo de Lernaco et duobus aliis hominibus de

Tarascone vel de Orierio, quos non nominavit sibi, et duxerunt quendam beguinum ad podium de Alacio versus Orierium, et ibi spoliaverunt eum et projecerunt in quandam foveam seu gobiam profundissimam, ita quod postea non fuit visus; tunc ipse interrogavit dictum fratrem suum, quare hoc feeerant, et ipse dixit sibi, quod dictus Beguinus revelaverat Christianos, videlicet haereticos, et insidiabatur eis, volens eos facere capi et tradere inquisitoribus, et propter hoc projeeerunt eum ibi.

Item audivit dici, quod dictus Guilielmus Sabaterii haereticatus in dicta domo posuit se et stetit in endura bene per VII. septimanas vel eirea et stabat in quadam borda infra dictam domum et ibi mortuus est, et audivit dici, quod fuit sepultus in quodam horto dicti testis seu patris sui praedicti.

Petrus Issaura: dicebant, quod erant duae ecclesiae, una bona et alia mala, dicentes eidem, ut dixit, quod nos tenebamus malam ecclesiam et infructuosam, et ipsi tenebant ecclesiam bonam Dei, quae ducebat hominem ad bonum finem et viam salvationis, dicentes, quod ipsi erant ecclesia Dei et habebant potestatem absolvendi et pareendi peccata, et nullus alius, nisi sic erat, sicut ipsi erant, qui erant ut dicebant, sine aliquo peccato, haberet illam potestatem. —

Haeretici in domo sua comedebant panem et vinum et pisces, et aliquibus diebus septimanae, de quibus non recordatur, non bibebant vinum. Interrogatus, quis praeparabat eis ad comedendum, dixit, quod ipsimet, et nolebant, quod aliquis alius poneret ibi manus. —

Credentes dicebant: boni Christiani, orate Deum pro nobis, quod perducat nos ad bonum finem, et dicti haeretici dicebant et respondebant: Deus nos perducat ad bonum finem, et quaedam alia verba submissa voce, quae ipse tunc, ut dixit, non poterat intelligere.

Haereticatio: Haereticus posuit unum librum suum super eaput dicti infirmi, in quo libro legebat quaedam verba, quae ipse testis non poterat intelligere, quia voce submissa legebat ita quod vix poterat audiri, et legebat et tenebat

dictum librum super caput dicti infirmi et stabat flexis genibus coram ipso.

Interrogatus, si Ermengardis, uxor dicti haereticati absolvit dictum virum suum haereticis, dixit, quod sic, quod ex tunc aut moreretur aut convalesceret de dieta infirmitate, ipsa consentiebat, quod tenebat sectam haereticorum.

Interrogatus, quid fecit tunc dictus haeretieus, dixit, quod statim voluit videre et visitare dietum Guilielmum fratrem suum infirmum, et invenit eum tunc satis in bono statu, et dixit, quod staret dietus infirmus usque ad noctem volens tunc aliquid aliud facere sibi, sed dixit ei, si volebat reeipi in fide et seeta dicti haeretici, et si volebat tenere et servare praecepta Dei et sua, qui respondit, quod sic gaudenter et libenter. Tunc dictus haeretieus dixit infirmo, quod parceret omni homini, et omni personae, quae sibi dixerat, vel feeerat malum, et dictus infirmus totum coneessit dieto haeretico, post quae nocte sequenti, cum dictus infirmus peteret potum, Arnaldus Issaura pater ipsius infirmi ministravit sibi et dedit praesente et vidente dieto haeretico unum eochlear de aqua et posuit in ore dieti infirmi parum dietae aquae, et dictus infirmus dixit, sicut potuit, et feeit signum, quod non poterat intrare, tum dictus haereticus, qui erat ibi praesens statim haeretieavit dictum infirmum et reeepit in sectam suam.

Sebilia, soror dicti Philippi de Lernaco fuit haeretieata in domo dicti Philippi in infirmitate, de qua obiit hoe anno in hieme, et posuit se, ut audivit dici, in endura post dictam haereticationem.

Petrus Issaura: Item dixit et confessus fuit, quod VI. anni vel circa possunt esse, ut sibi videtur de tempore, Guilielmus, frater ipsius, qui loquitur, dixit ei, quod quidam Beguinus fuit abseonditus, seu esterminatus, qui volebat decipere et tradere inquisitoribus Petrum et Guilielmum Auterii haereticos, et nescit, ut dixit vel reeolit se audivisse, per quos fuit absconditus dietus beguinus.

Arnaldus Issaura: haeretici dicebant, quod baptismus aquae institutus per ecclesiam Romanam non valebat neque

animae neque corpori, et quod sanctus Johannes instituit baptismum aquae et nescivit, quid fecit; et dicebant, quod ille, qui non erat baptizatus de Spiritu sancto, non poterat intrare in regnum Dei, dicentes, quod in eis erat Spiritus sanctus, et nullus, nisi esset baptizatus per eos et receptus in fide eorum, poterat salvari.

Item quod matrimonium institutum per ecclesiam Romanam nihil valebat, et Deus non invenit illud matrimonium. Item dicebant, quod nullus debebat se signare signo crucis, nec eam adorare, nec habere fidem, quod posset juvare in aliquo, imo quilibet debebat eam vituperare et spuere etiam contra eam pro eo, ut dicebant, quia Deus fuit positus, martiriatus et mortuus in cruce; et propter hoc omnis homo, qui erat de Deo et diligebat Deum, debebat habere odio crucem.

Haeretici habebant ollam et paropsides, in quibus nullus comedebat et non comedebant aliquam pinguedinem vel ova vel caseum.

Jacobus Auterii et P. de Ax stabant coram Petro et Guilielmo Auterii flexis genibus et junctis manibus et petebant et requirebant praedictos haereticos, quod reciperent eos in sectam suam et quod induerent eos de bonis quae Dominus dederat eis; tunc praedicti haeretici dixerunt: nos recipimus vos et dixerunt eis, quod tenerent et servarent mandata Dei et facerent illas abstinentias et jejunia, quae ipsi faciebant, et exprimebant aliqua, de quibus tunc non recordatur ut dixit; et praedicti Jacobus et P. totum concedebant haereticis supradictis. Dixit etiam ipse testis, quod dicti haeretici loquebantur multa verba coram dictis haereticatis de apostolis et de evangeliis, de quibus verbis dixit ipse tunc, quod non poterat recordari. Qua haereticatione sic facta praedicti duo haereticati osculati sunt in ore haereticorum supradictorum. — Interrogatus, si adoravit dictos haereticos stantes in domo sua praedicta, dixit, quod sic semel qualibet die, quando erant ibi flexis genibus coram eis dicendo benedicite, et dicti haeretici respondebant: Deus vos benedicat.

Guilielma aliter voeata Guilielmamona filia quondam Raymundi Garsendi de Ax Appamiensis dioeeeseos dixit, quod octo anni vel circa sunt elapsi, quod Raymunda de Ordesio soror quondam Petri et Guilielmi Auterii de Ax quadam die dominica cum ipsa testis iret spaciatum cum dicta Raymunda, dixit sibi ipsa Raymunda, si volebat scire viam, per quam posset salvari et ire in paradisum, quae respondit, quod libenter faceret et diceret, per quod posset salvare animam suam. Tunc dicta Raymunda fecit sibi mentionem de bonis hominibus videlicet de illis, qui vocantur haeretici, dicens ei, quod ipsi tenebant viam Dei et apostolorum et habebant bonam fidem, et qui credebant in eis, doeebant multa bona, per quae homo poterat venire ad salvationem, et quod ipsi haeretici habebant potestatem salvandi animas, et dicebant quod ipsi haeretici erant ecclesia Dei et faciebant magnas abstinentias et non mentiebantur, et illis, qui volebant eis credere et dietis et factis eorum, nunquam veniebat aliquid infortunium, imo abundabant in divieiis et omnia erant eis utilia et bona.

Haeretici dixerunt ei, quod Dominus feeerat sibi magnam gratiam, quod erat in amieitia, noticia et credencia eorum, monentes eam, quod staret et esset in bono statu et quod esset bene secretaria, dicentes ei, quod ipsi salvarent animam suam, si volebat credere eis et facere illud, quod ipsi vellent. Et ipsa respondebat eis, quod libenter faeeret et diceret ad voluntatem suam omnia, quae essent ad salvationem animae suae. Et tunc dicti haeretiei dederunt ei pectines et unum agulerium et dixerunt ei, si vellet eos recipere et tenere secrete in domo sua. — Haeretici jejunabant tribus diebus in septimana in pane et aqua, et in aliis diebus comedebant eognam (?) praeparatam eum oleo et piees (pisees) et fructus quos poterant habere et bibebant ennum. — Audivit ab eis, quod ecclesia romana non erat ecclesia, quae si clauderetur, et nullus intraret ibi, fuerent (forent) ibi spinae et esset deserta, et diecbant, quod ipsi haeretiei erant vera ecclesia Dei, et quod eeclesia Dei solum erat in bonis hominibus et mulieribus sicut

ipsi erant. Porro dicebant, quod ipsi poterant animas salvare et nullus alius, et ipsi nulli nocebant nec dicebant vel faciebant malum, et praedicatores et Minores non faciebant neque dicebant nisi malum. Porro dicebant, quod matrimonium nihil valebat, quia Deus non iuvenit matrimonium sed solum matrimonium erat a Deo institutum inter Deum et animam, et quod majus peccatum erat jacere cum uxore sua, quam cum alia muliere, quia magis publice et sine verecundia illud peccatum fiebat. Item dicebant, quod hostia sacrata per capellanum non erat corpus Christi, imo erat pasta sicut nebulae, quae de pasta fiebant et nullus debebat credere, quod illa hostia esset corpus Christi. Item dicebant, quod baptismus, qui non fiebat in ecclesia Dei nihil valebat neque proficiebat homini et quod valeret tantum quod pueri baptizarentur in acace (?). Item dicebant, quod nullus debebat se signare signo crucis, quia signum diaboli erat; item quod eleemosynae factae nisi fierent ecclesiae Dei, quae ipsi haeretici erant, nihil valebant nec juvabant. Item dicebant, quod missa et cantus, qui dicuntur in missa, nihil valebant, et quod tota deceptio mundi erat in capellanis et clericis et religiosis, et sic cantando decipiebant gentes. Item dixit, quod audivit a dictis haereticis, quod erant duo Dei, unus bonus et alius malus, et quod bonus Deus non faciebat florere nec granare nec intromittebat se nisi de spiritibus, et quod spiritus seu animae a longo tempore citra sunt creatae et exeunt de corpore hominis et postea redeunt in corporibus aliorum hominum seu mulierum, et dicebant ei, quod forte fuerat ipsa testis regina. —

Haeretici cum fuerunt coram dicto infirmo, interrogarunt eum, si sentiebat in se quod non posset evadere de illa infirmitate, qui respondit, quod bene credebat pro certo, quod non poterat evadere nec curari. Tunc dicti haeretici petierunt a dicto infirmo, si volebat quod reciperent eum, et si possent confidere de ipso, quod servaret mandata Dei et sua; qui respondit, quod sic. —

Guilielmus Dasco de Ax dixit sibi, quod ita magnum

peccatum erat jacere cum uxore sua, quam cum concubina. — Promisit dictis haereticis, quod esset bona et fidelis eis et vera amica et secretaria et volebat adhaerere fidei eorum et volebat mori in fide sua et recipi per eos in fine, et quod mitteret pro haereticis, si contingeret ipsam infirmari et esse in periculo mortis, quod eam reciperent in fide et secta eorum.

Item dixit et confessa est, quod facta haereticatione patris sui sicut in sua confessione continetur, dicti haeretici dixerunt sibi et aliis, qui assistebant dicto infirmo, quod non darent sibi comedere nec bibere nisi aquam et nisi multum sitiret, et tunc diceret „Pater noster“ antequam dare(n)t sibi bibere. Interrogata, si tenuerunt sic, dixit et confessa est, quod nunquam dederunt sibi extunc cibum vel potum nec extunc comedit vel bibit. — Item dixit, quod dicta Sebelia de(n) Batle loquendo ipsi, quae loquitur, de transitu animarum de corpore in corpus et de aliis erroribus haereticorum dixit aliquando ipsi quae loquitur, quod ipsa aliquando forte fuerat regina aliquando pauper. — Item dixit, quod Aladaycis filia Petri Brenac uxor Petri Ferron dixit ipsi, quae loquitur, commendans sectam et fidem haereticorum, quod ipsa Aladaycis libenter dimitteret virum suum et teneret fidem haereticorum et recederet cum haereticis, si placeret eis. Dixit etiam, quod audivit ab haereticis, videlicet Petro et Guilielmo Auterii, quod Moneta (uxor quondam Rauzinii soror Raymundi Galhani notarii) quae erat amica seu Druda Petri Auterii haeretici antequam esset haereticus, debebat recedere cum dicto Petro, quando primo recessit de terra, et postquam redierunt ipsi haeretici, audivit eos dicentes, quod dicta Moneta debebat cum eis recedere et sequi eos. —

Dixit etiam, quod audivit a Maria praedicta, quod dicta Gentilis post receptionem praedictam usque ad diem mortis suae non comederat, et quod vixit sic per V. et VI. dies et hoc audivit, ut dixit, satis cito post mortem Gentilis praedictae. —

Petrus et Guilielmus Auterii dixerunt, quod in partibus

Lombardiae fuerant facti haeretici perfecti seu tales, qui sic appellantur — habebant potestatem sancti Petri et Pauli. —

Ad adorationem dicebatur: boni christiani, la benedicion de Dieu et de vos autres. Haeretici respondebant: Deus det vobis de suo bono et perducat vos ad bonum finem.

Dixit, se audivisse a Petro Auterii haeretico praedicto: novem anni vel circa sunt elapsi, quod quaedam mulier de Constanciano, cujus nomen ignorat, quae dimiserat maritum suum et fugerat ad partes Savartesii, misit se ad enduram in domo Sebiliae den Batle de Ax et ibi mortua est, et audivit dici a dicto haeretico et quibusdam credentibus haereticorum, quod duodecim septimanis vel circa, antequam moreretur, stetit in endura. — Item quod duo anni vel circa sunt elapsi, quod Guilliamona den Carramat de Tarascone spuria Petri Auterii dixit sibi quod Petrus Auterii dixit sibi, quod Petrus Auterii pater suus erat in villa in domo Arnaldi Pigrii et quod libenter videret eam. —

Docebant, quod ecclesia romana nihil valebat nec habebat aliquam potestatem apud Deum quia ipsa mentitur et occidit, et sustinet omne malum et omne peccatum, et nullus, qui sit in peccato, habet potestatem absolvendi seu remittendi peccata sed ipsi soli qui tenent viam Dei et non menciuntur et sunt sine peccato, sunt ecclesia Dei et habent potestatem solvendi et salvandi animas et nullus, nisi transeat per manus suas, potest venire ad salvationem. Item dicebant, quod Deus non instituit matrimonium et quod majus peccatum est, quando maritus jacet cum uxore sua carnaliter, quam si peccaret cum alia muliere, quia publice et sine verecundia peccat cum uxore et occulte facit peccatum suum cum aliis mulieribus. — Item dicebant, quod baptismus institutus per ecclesiam romanam, nihil valet nec prodest homini, imo nocet quia facit flere pueros, sed baptismus, quem ipsi haretici faciunt, valet, videlicet quando recipiebant personas in fide et secta sua, quia tunc est spiritus sanctus in illis personis receptis per eos, solummodo quod postea non redeant ad peccatum nec menciantur. — Item quod nullus debebat se signare vel habere

fidem in cruce, quod posset juvare hominem, imo homo debebat spuere contra eam et facere omnem vilitatem, quia Deus fuit ibi positus clavellatus sputus et mortuus. — Quadam die vidit dictam Flors apud Tarasconem in domo sua et dixit sibi, quod dicta mater sua, procurante dicto Guillamono Hidat haereticos, in dicta infirmitate sua fuerat recepta per eos in fide sua, et postquam fuerat recepta, posuit se et stetit in endura, donec fuit mortua, ita quod nihil comedebat nec bibebat nisi aquam. —

Interrogata si praemissa seu aliquid praemissorum dixit seu confessa fuit propter minas sive metum tormentorum, item si inducta prece, precio, odio vel amore, timore seu favore cujusquam, dixit et confessa est, quod non. Interrogata si fuerunt sibi facta seu illata tormenta aliqua ad extorquendam confessionem et depositiones seu addiciones praedictas, quas fecit, respondit, quod non, sed omnia supradicta et singula praedictorum dixit et confessa fuit non per deceptionem seu errorem aliquem, sed quia sic se habet veritas in omnibus et singulis supradictis et propter exhortationem suae conscientiae et salutem animae suae. —

Haeretici dicebant, quod ipsi faciebant magnas abstinentias et faciebant tres quadragesimas in anno — quod matrimonium nihil valebat, et quod non erat nisi congregatio, et ita magnum peccatum erat jacere cum uxore sua, quam cum alia muliere. Item dicebant, quod nos, qui tenemus fidem ecclesiae Romanae, adoramus idola videlicet imagines sanctorum, quae sunt in ecclesiis.

Interrogatus, si audivit eos (haereticos) aliquid loqui expresse de vera fide seu secta et credencia eorum, dixit quod non, excepto quod audivit ab eis, quod Deus non creaverat hominem, nec faciebat granare vel florere.

Philippus de Lernaco dixit, quod octo anni possunt esse vel circa, quod Poncius Arnaldi de Castroverduno multociens fuit locutus ipsi testi familiariter de facto haeresis, inducens eum quod venderet bona sua et recederet cum eo ad partes Lombardiae, ubi ipse fuerat.

Haeretici dicebant, quod omnes amici sui et credentes

debebant eis facere reverentiam dicendo ter benedicite coram eis.

Petrus et Guilielmus Auterii in Como fuerant recepti in sectam bonorum hominum. Dicebant quod ipsi tenebant viam et vitam Dei et apostolorum ita, quod non jurabant nec menciebantur, et quod non comedebant carnes, caseum vel ova et quod faciebant magnas abstinencias et magna jejunia.

Dicta infirma tenebat manus junctas inter manus dicti haeretici, qui dicebat dictae infirmae, si volebat recipi in fide, quam ipse tenebat et mori in ea, et ipsa respondit quod sic. Et tunc dictus haereticus dixit dictae infirmae; tu debes parcere omni homini, et ego parco tibi et remitto omnia peccata tua ex parte Dei, a quo habeo plenam potestatem. Dixit quod propter multa verba bona quae dicebant, et propter abstinentiam et jejunia, quae faciebant, et quod non jurabant nec menciebantur, credidit ipsos esse bonos homines et habere et tenere bonam vitam et bonam fidem et credebat salvari per eos et in fide eorum.

Dixit, quod audivit eos loquentes de creatione rerum visibilium et dicebant, quod Deus non fecerat carnem humanam, nec faciebat florere nec granare, ponentes instanciam dicti haeretici et dicentes, quod si homo poneret granum bladi super lapides non nasceretur, sed istud venit ex pinguedine (puesedine) terrae. — Item, quod hostia sacrata est purus panis, et quod si admitterentur ibi mures, comederent, ergo, dicebant dicti haeretici, comederent corpus Christi si illa hostia esset corpus Christi. —

Philippus de Lernaco domicellus et Petrus de Area dixerunt sibi, quod quadam nocte invenerunt Beguinum, qui vocabatur Guilielmus Johannis in ponte de Alato et statim ceperunt et embossaverunt eum taliter, quod non posset clamare et duxerunt eum ad montes supra Lernacum, et ibi interrogarunt eum, si esset verum, quod vellet facere capi dictos haereticos, qui concessit eis, quod sic, et statim praedicti Philippus et Petrus praedictum Beguinum projecerunt per unum magnum balcium in quandam foveam sive caunam ita quod postea non fuit visus, prout

hi postea ipsi Philippus et Petrus retulerunt et dixerunt dicto testi.

Dicebant, quod ipsi erant ecclesia Dei, et ecclesia sua habebat oculos et aures et pedes et manus et videt et audit et loquitur, et dicebant quod ecclesia Romana nihil erat nec valebat aliquid, quia illa est de lapidibus, calce, terra et lignis. —

Dicebant quod quadam vice accidit, quod cum Jacobus haereticus praedictus vel ejus pater portassent quendam puerum ad baptismum cum fuit baptizatus quando voluerunt eum reddere matri suae, invenerunt ipsum mortuum propter frigus, quod habuit in aqua, in qua fuerat baptizatus.

Petrus de Galhaco, notarius de Tarascone: Petrus et Jacobus Auterii dicebant quod prima facie penes homines mundanos eorum secta mala et phutilis habebatur, dicebatur et reputabatur. . . . . et fundamentum et in ea crederet, utilis erat et ad bonum finem et viam salvationis ducebat hominem.

Dicebant, quod Ecclesia Romana non habebat potestatem parcendi peccata, eo quod dicebant ipsam esse lutosam et plenam malis operibus et exemplis et quod non tenebat viam salvationis imo perdicionis. Item dicebant, quod panis in altari positus et benedictus verbis, quibus Christus ipsum benedixit die coenae cum apostolis, non erat verum corpus Christi, imo delusorium et scandalosum est dicere, quia ille panis est panis corruptionis, a radice corruptionis motus et natus, sed ille panis, de quo Christus dixit in evangelio: hoc accipite et manducate ex hoc omnes, hic est verbum Dei; et sanguis, de quo ibidem loquitur a simili verbum Dei, juxta evangelium beati Johannis (qui) dixit: in principio erat verbum, verbum erat apud Deum et Deus erat verbum, quare ex hoc concludebant, verbum Dei esse ille panis, de quo loquitur in dicto evangelio et pro consequenti praedictum verbum esse corpus Christi.

Item dicebant, quod matrimonium, de quo loquitur in evangelio: nubat in Christo, et: erunt duo in carne una etc. penes ecclesiam Romanam ficte et simulate fit et non

secundum verbum Dei, pro eo, quia prout dicitur in evangelio, Deus fecit matrimonium in paradiso, illud matrimonium fuit inter animam et spiritum utpote ex re spirituali et non ex carnibus nec ex carne corruptionis prout per ecclesiam Romanam fit. Nam in paradiso nunquam fuit carnis corruptio nec aliquid nisi merum et purum spirituale, et Deus fecit illud matrimonium ad hoc, ut animae, quae a coelo ceciderant inscientes per superbiam et erant in hoc mundo, cum matrimonio sancti spiritus, videlicet cum bonis operibus et abstinencia peccatorum ad vitam redirent, et essent duo in carne una prout loquitur in evangelio; sed illud, quod fit in ecclesia Romana, prout ipsi dicebant, copulatur ex duabus diversis carnibus, sic non sunt duo in una carne, imo masculus et femella . . . . . in diversis.

Item dixi et deposui, quod dicebant, quod nemo debet crucem adorare, nec crucis signum in aliquo prodest pro eo quod Deus passus fuit ibi mortem et magnum dedecus, et ponebant exemplum, si aliquis homo suspendebatur in aliqua arbore, semper illa arbor amicis suspensi et parentibus esset odiosa et eam vituperarent, et nunquam illam arborem videre vellent, a simili locum in quo Deus, quem diligere debemus, suspensus fuit, odio habere debebamus et nunquam deberemus ejus praesenciam affectare. Item de baptismo dicebant, quod inscienter et non secundum ordinationem Dei fit in ecclesia Romana, pro eo quod prout legitur in evangelio, qui crediderit et baptizatus fuerit ex aqua spiritus sancti, et contra illa cum qua pueri in ecclesia Romana baptizantur, non est aqua sancti spiritus, imo foetoris et corruptionis, et talis, quae non habet potestatem peccata abluendi; sed aqua spiritus sancti, de qua loquitur in evangelio et de qua Deus mandavit baptizari, est verbum Dei et ejus bona opera, quicunque ea facit et verbum credit, ille est baptizatus ex aqua spiritus sancti.

In principio mensae accepit Petrus Auterii usque ad dimidium placentae et stans pedes tenendo dictum panem cum manutergiis, quae posuerat in collo suo, incepit dicere

desuper „Pater noster“ et postea locutus fuit suaviter inter dentes per unam pausam, postea fregit dictum panem cum cutello suo et posuit in mensa coram se primo et coram quolibet nostrum, et dixit tunc mihi, quod hoc vocabant ipsi panem orationis sanctae; quum autem dictus Jacobus, qui tunc serviebat et ponebat comestiones in mensa, ponebat paropsides coram nobis vel coram se, semper dicebat idem, et quando deponebat similiter, et quando incipiebat comedere, similiter et quando volebat bibere, similiter quilibet eorum, et quilibet nostrum habuit in mensa sua manutergia, quae ipsi portabant in cassidulis suis; et tunc post prandium dixit mihi P. Auterii, quod consuetudo erat apud eos, quod postquam aliquis amicus eorum eos viderat ter vel quater, quod faceret suum melioramentum coram eis. Et quid est illud? dixi ego. Recipere, dixit ipse, benedictionem a Christianis, quia ita est consuetum apud nos. Et qualiter fit? dixi ego. Flectendo genua, dixit ipse, et dicendo ter: benedicite.

Interrogatus, quid intellexit, quando dictus Guilielmus Auterii dixit ipsi, quod mater sua fecerat bonum finem, dixit, quod intellexit, quod haereticata decessisset, quia talis est intentio et modus loquendi inter haereticos et eorum credentes, quod quando aliquis recipitur in sectam eorum, dicunt, ipsum defunctum bonum finem fecisse.

Haeretici jejunant tribus diebus in septimana in pane et aqua et aliis diebus in cibo quadragesimali, et nunquam comedunt carnes, ova vel caseum, et dicebant, quod erat peccatum, comedere praedicta, — et quod est ita magnum peccatum jacere cum uxore sua, sicut cum meretrice. —

III.

Auszüge aus den Inquisitionsakten von Carcassonne in der Collectio Occitanica. Aussagen Einzelner.

Dicebat, quod Deus Jesus Christus, qui salvat animam, non intromittit se de istis visibilibus, quod Dominus mundi

fecit ea, ordinat et gubernat illa diabolus; quae sunt facta sine Deo, qui salvat animas, nihil sunt. — Sunt duo mundi et quilibet mundus habet Deum. — Illi qui recipiunt filiationem seu adoptionem a Christo, illi sunt boni Christiani et tales possidebunt haereditatem Christi.

Deus non constituit aliquem ordinem, sed solum eum, quem ipsi tenent.

Baptismus, qui fit cum ista aqua, quae facit plorare pueros et generat vermes, nihil est, sed ille baptismus valet ad salvationem, qui est de verbo Dei.

Anima hominis tunc resuscitatur, quando exit de peccato, et non erit alia resurrectio, nisi illa, sed animae recuperabunt tunicas suas et cathedras, quas repromisit Deus diligentibus se. Omnes animae descenderunt de coelo propter peccatum, quod commiserunt contra Deum Patrem, et omnes redibunt ad ipsum Patrem facta purgatione de peccato. Quando filius Dei descendit de coelo cum voluntate patris, descenderunt cum eo 144,000 angelorum, qui sunt semper pacati et boni, et illi remanserunt in mundo ad recipiendum animas, quae fecerunt et servaverunt mandata Dei, et reducunt eas in gloriam Patris, unde exierant. Animae, quae non servaverunt mandata Dei nec compleverunt justitiam, eunt de corpore in corpus, donec compleverint justitiam, qua completa omnes redibunt ad gloriam Dei Patris. Qui cito habet poenitentiam de peccato suo et quod non redeat ad peccatum, statim Deus sibi remittit sine alia confessione.

Gloriabantur, quod nunquam cum mulieribus conjungebant se, nec imo tangebant, ex quo erant perfecti haeretici.

Filius Dei dedit apostolis suis potestatem remittendi peccata et salvandi animas, et apostoli dederunt similem potestatem aliis successoribus suis et deinde alii aliis usque ad finem mundi; et quod ipsi haeretici erant de illis, qui habebant illam potestatem.

Idem dixit, quod non omnibus credentibus suis dicunt nec revelant nec praedicant omnia, nisi bene suis familiaribus et bene firmis. Ita quod non credit, quod revelaverint

illi sua scripta, quae sibi dixerunt et credentibus suis, sed sibi, quem reputabant fidelem et multum familiarem, dicebant omnia.

Quando Deus descendit in hunc mundum ad salvandum oves et populum Israel, ipso hic existente Lucifer ascendit in coelum ad decipiendum homines, qui ibi erant; nam a principio omnes homines, qui fuerunt et nunc sunt, erant in paradiso, et Lucifer, qui tunc vocabatur Lucibel, dixit hominibus ibi existentibus, si vultis me sequi inferius ad terram, ego dabo uxores, safronadas*) et febres et pastiones**) et tinetas et rascias***): et cum aliqui de hominibus consensissent sibi, conciderunt cum eo, qui fractum fuit coelum, quod erat vitreum, et alii remanserunt cum Deo Patre in coelo.

Liber agni stetit mille annis in platea et non invenit, qui levaret eum, et quando aliquis levabat folium dicti libri, inveniebat ibi, quod scriptum, quod qui levaret librum illum, mortem pateretur; et postea filius Dei venit in hunc mundum et levavit dictum librum et recepit mortem et passionem pro salvandis ovibus, quae perierunt de populo Israel.

Anima S. Pauli fuerat in triginta duobus corporibus. Dixit etiam hic dirigendo verbum ad ipsum testem: anima tua fuit in centum corporibus et amplius. —

Quando Lucifer audivit homines cantantes canticum de Sion, dixit eis: et adhuc cantatis canticum de Sion? ego corrigam vos et faciam vos venire de corpore in corpus taliter quod non recordabimini de aliquo quod feceritis. —

Audivit W. Audebert dicentem ei qui loquitur: Vis tu scire veritatem de hoc mundo inferiore et de illo superiori? Ego dicam tibi: quodam die, dum praedicaret Dominus in coelo gentibus suis, venit ei nuncius de terra

---

*) D. h. safranfarbige Gewänder.

**) D. h. convivia.

***) Aecker und Weinberge.

dicens ei, quod istum mundum amiserat, nisi statim mitteret illuc, et statim misit Dominus Lucibel in hunc mundum et recepit eum pro fratre, et postea voluit Lucibel habere partem haereditatis de inferioribus et de superioribus, et Dominus noluit et propter hoc diu fuit guerra et hodie est inter ipsos et propter aliam superbiam; et de hoc dictus W. Audebert habebat multa scripta. —

W. Fabri de Podio Hornur dixit, quod cum Deus videret depauperatum regnum suum propter casum malignorum, quaesivit a circumstantibus: vult aliquis esse verus filius meus, et quod ego sim pater ejus; et cum nullus responderet, Christus, qui erat bajulus Dei, respondit Deo: ego volo esse filius tuus et ibo, quocunque me miseris, et tunc Deus tanquam filium suum misit Christum in mundum praedicare nomen Dei, et ita venit Christus. —

Audivit W. Audebert, quod haeretici dicunt, quod boves et roncini arabant et trahebant fimum et laborabant in coelo sicut in terra.

P. de Noye dicit, quod dimisit fidem eorum pro eo quod audivit ab haereticis, quod quantumcunque credidisset eis aliquis, si non posset eos habere in extremis, damnatus esset. —

Quod Deus non venerat in beata virgine, sed obumbraverat se ibi tantum, et quod Deus non statuit missam, sed Cardinales et Clerici amore magnarum oblationum.

Quod diabolus fecit hominem de terra argila, et dixit Deo, quod mitteret animam in hominem, et Deus dixit diabolo: fortior erit me et te, si de argila fiat, sed fac eum de limo maris, et fecit diabolus hominem de limo maris, et Deus dixit, iste est bonus, non est enim nimis fortis nec nimis debilis, et misit Deus animam in hominem.

Haeretici dixerunt ei, quae loquitur, quae erat praegnans, quod si decederet praegnans, non posset salvari. — Dixit, quod haeretici volebant, quod studeret in Grammatica, et credebant, quod ipse esset magna columna ecclesiae, scilicet haercticorum. —

Quando ipsa voluit ei mittere cibum communem, ipse

mandavit ei, quod non mitteret ei nisi panem et cepas, et tunc intellexit, quod erat haereticus.

Audivit eos dicentes, quod quando pueri moriebantur statim post baptismum, perdebantur.

Quia testis nolebat illos haereticos adorare, Sicardus Bon dedit magnam alapam ipsi testi, et tunc ad instantiam Sicardi ipse testis flexit genua dictis haereticis. —

(Ex disputatione Petri Garcia de Burgneto in schola Minorum cum fratre Guilielmo Garcia O. M.): Petrus Garcia dixit, quod duo dii erant, unus bonus, qui fecerat invisibilia et alius malus, qui fecerat visibilia. — Quod lex Mosis non erat nisi umbra et vanitas, quod ille, qui dederat illam legem, erat galiator et malignus, — quod omnia visibilia nihil erant, et quod homo erat specialiter peccatum et nihil.*)

Dixit Perpetuus de angelis: quod omnes illi et soli, qui ceciderant, salvarentur — quod Christus et beatus Johannes Evangelista et beata Virgo descenderunt de coelo, et quod non erant de ista carne — quod Johannes Baptista erat unus de majoribus diabolis, qui unquam fuissent — quod matrimonium erat purum meretricium, et nullus poterat salvari habendo rem cum muliere — quod pomum vetitum primis parentibus nihil aliud fuit nisi delectatio coitus; addidit, quod ipsum pomum porrexit Adam mulieri.

Mulier accepit pacem a libro et humero haereticorum. — In consolamento posuerunt librum super pectus infirmi et manus super caput ejus. — Dixit, quod nec ipsa testis nec aliqua adoraverunt dictos haereticos, sed intraverant ad videndum dictum haereticum (Guiraldum Ademarum), tamquam monstrum, qui sedebat ibi in sella sua tamquam truncus immobilis.

Joh. Reg. de Cadacons intravit castrum Montis securi cum literis Episcopi haereticorum de Cremona et dedit eas

---

*) Es waren ihm nämlich die Worte entgegengehalten worden: Sine eo factum est nihil.

Bertrando Martino Episcopo haereticorum de Tolosa, et in literis continebatur, quod ecclesia haereticorum de Cremona erat in tranquillitate et in pace, et quod Bertrandus Martinus mitteret Episcopo de Cremona duos de fratribus suis, per quos redderet eum certum de statu suo. —

Vidit apud Mirapiscem magnam congregationem haereticorum usque ad 600 haereticos, qui venerant ibi pro quadam quaestione determinanda, quam faciebant haeretici inter se; — haeretici respondebant, quod credebant illum Deum, qui fecit novum coelum et terram novam.

Frater Bernardus dixit ei, quod haeretici habebant episcopum et diaconum, et cum quaereret ab eo idem testis, unde haberent, respondit ei, quod a principio habuerunt unus ab alio. — Cum quaereret, utrum idem frater Bernardus rediret Tolosam, respondit, quod non, nisi pro martyrio sustinendo, dicebat enim, quod non erat ita pulcra mors sicut per ignem. — Idem frater Bernardus dixit sibi, quod nunquam ejus anima gauderet, quousque disputaret contra omnes volentes contra eum disputare. —

Addidit confessioni suae, quod quidam de Lombardia apportavit sibi panem benedictum ab haereticis. —

Amblardus Vassalli fugitivus pro facto haeresis veniens de Lombardia apportavit eis de pane benedicto haereticorum ex parte eorum. —

Cum Petronilla commater sua ostendisset ei domum et bladum et vinum et alia, quae habebat, dixit, quod omnia ista erant diaboli. —

Quadam vice audivit praedictam fabrissam dicentem, quod Lucifer fecerat hominem, et Deus dixit ei, quod faceret eum loqui; ipse vero respondit, quod non poterat, et tunc Deus inspiravit in os hominis, et locutus est homo. Ipsa rogavit fabrissam, quomodo Deus misisset spiritum sanctum in opus diaboli; et ipsa respondit, quod voluntatem suam posuerat ibi. —

Quadam die dicta fabrissa dixit ipsi testi praegnanti, quod rogaret Deum, ut liberaret eam a Daemone, quem habebat in ventre.

Audivit dicentem fabrissam, uxorem Petri Vitalis, quod Deus non creabat novos spiritus in infantibus, et quod multum haberet Deus facere, si quotidie crearet novos spiritus — et quod spiritus Guilielmi Arebaudi defuncti iret tantum de corpore in corpus, donec veniret in manus bonorum hominum.

Interrogata, num credebat, dictos Lombardos peregrinos fore haereticos, vel nuncios haereticorum, dixit, quod non, cum videret ipsos comedentes carnes.

Petrus Maurelli veniebat frequenter ad amicos et credentes de partibus Tolosae ex parte credentium et proborum hominum de Lombardia. — Dixit, quod multos labores patiuntur et magnam poenitentiam faciunt et austeritatem vitae ducunt amici Dei, quos persequitur ecclesia Romana, — et quod expedit, quod decostet homini de carne et sanguine, qui vult intrare in paradisum, quia ibi non sic leviter intrat homo. — Dixit, quod pecunia mundi rubigo est animae, et quod Deus dixit, dimitte patrem et matrem et uxorem et infantes et sequere me. — Pontius dixit testi, quod matrem suam, quam adduceret secum in Lombardiam, cum ipsa mater sit senex et decrepita, et quod de cetero expedit, quod agat poenitentiam. —

Gordona dixit, quod multum displicebat ei, quod Guilielmus Aribaudi esset mortuus, quia non bene habebat necessaria sua in morte. Respondit Pontius: quia conversi ab haeresi interfecerunt terram et gentes, quia revelaverunt, quare non amodo invenirent, qui eos reciperet; dicens idem Pontius, quod multum sibi displicebat dominium Gallicorum.

Diabolus fecit corpus hominis et posuit in eo animam, qua posita in corpore hominis homo dedit unum saltum et dixit diabolo: ego non sum tuus.

Dixit, quod omnes spiritus, qui propter superbiam suam ceciderunt de coelo, adhuc salvabuntur. — Dixit, quod ipsa Bezersa portat cordulam cinctam ad carnem nudam subter mamillas, et ipsa testis vidit eam cinctam semel illa cordula.

Homines et mulieres castri de Sestairol habent suspectam de haeresi dominam Bezernam pro eo, quia, quando

laborat in partu, nunquam clamat Jesum Christum nec beatam Virginem, sed tantum: Sancte Spiritus adjuva me. Vel: Sancte Spiritus vale nos.

(Auguria.) Stephanus fecerat auguriare pro facto Raymundi de Tolosa, qui respondit visis auguriis suis, quod Raymundus Comes perderet haereditatem suam, sed persona evaderet bene de manibus inquisitorum, et ita postmodum contigit, sicut dictus augur auguravit. Dixit enim, se firmiter credere, quod praedictus augur sit credens et amicus haereticorum, et ideo confidit de praedictis in ipso augure.

Quia ecclesia haereticorum intendebat habere jus in dicta terra ratione fratrissae ipsius Stephani, non erat voluntas Episcopi (haeretici), quod ipse Stephanus redderet testi praedictam pecuniam, nisi pater ipsius testis quitaret dictam terram. —

Haeretici coeperunt commendare se ipsos super abstinentia sua et puritate vitae et scandalo persecutionis, quam patiebantur propter Deum.

Quod Deus non fecit mundum istum, imo habuit alium factorem, quia Deus est ita dives, quod non est dignatus facere istum mundum.

Praedicta Domina, postquam fuit haereticata, (stetit) per 15 dies vel circa nihil comedens nec bibens aliquid nisi aquam, et ipsa testis servivit ei continuo usque ad obitum. Interrogata, quare non comederat, postquam fuit haereticata, dixit, quod quia nec sciebat orationem, scilicet modum haereticorum, nec erant, qui dicerent ei.

D. Navarra dixit ipsi Lombardae, quod tantum valebat ille panis ei, qui vellet habere bonos homines in obitu et non posset habere eos, et quod erat panis bonorum hominum.

Bernardus Escolani vidit in Lombardia in castro Sermionio Bernhardum Oliva, Episcopum haereticorum de Tolosa, et alios, qui docuerunt ipsum Pater Noster et orationem, quam faciunt, et evangelium S. Joannis: In principio erat verbum, et confessionem, quam appellant servicium, quae

omnia dixit, secundum quod ipsi docuerant eum, dicendo in oratione Pater Noster: panem nostrum supersubstantialem, et addendo in fine evangelii Joannis verba, quae haeretici addunt.

Dicebat, quod haeretici erant boni homines et multum valebat minus terra ista, quia non audebant in illa morari.

Raymundus de Comis dixit testi: Domine, quid valet nobis, quidquid facimus, quidquid lucramur, si non possumus facere commodum nostrum, quando necesse est, et habere in fine, quod necesse est nobis, quidquid enim boni erat in terra, ejectum et extraniatum est. —

Cum Petrus de Prulio infirmaretur, intravit monasterium Soncini et assumsit habitum monachalem, et hoc facto testis visitavit eum ibi et audivit eum dicentem, quod ideo intraverat monasterium et assumserat habitum, quia non poterat extra habere quietem cum Arnaldo et Isarno nepotibus ipsius; adeo importune putabant eum et rogabant, quod faceret utilitatem animae suae, quia, si vellet, adducerent ei bonos homines, et noluit eis acquiescere.

Dixit, quod valde grave erat, quod boni homines erant ita fugati de terra, quia non poterat male contingere homini, qui posset eos habere in fine.

Vidit morantem apud Cuneum Bernhardum de Guideriis, fugitivum propter necem inquisitoris perpetratam Avinioni, et audivit eum jactantem se et dicentem, quod Dominus Raymundus Comes Tolosanus et Sicardus Alamanni pro eo dederunt ei pecuniam, in recessu vero de Tolosa et postea miserunt sibi pro expensis suis, dum exulabat.

Arnaldus de Villanova respondit testi, quod viderat haereticos et disputaverat cum iis, et nesciverant ei respondere rustici proditores, qui faciebant se adorare. Ipse testis gravatus infirmitate in tantum quod erat omnino extra memoriam suam, fuit et consolatus a praedictis haereticis, et hoc audito ipse testis servavit sectam haereticorum et abstinuit a carnibus 5 vel 6 diebus et postea deseruit.

Qui Haereticorum ordini interfuerunt, multum se mutuo diligunt, et quando per aliquem fidelem molestiam aliquis

eorum patitur, inter se sunt promti ad conspirandum contra eum et imponendum crimen haeresis, et unus eorum denunciat et testificatur et nominat alios pro testibus, cum quibus conspiravit, sicut frequenter inventum est. Et eorum depositiones, additiones et corruptiones multum solent esse periculosae, quia, cum ipsi sciant modum vivendi, credendi et latitandi haereticorum, sciunt etiam modum adorandi et haereticandi, faciliter concordant ad ferendum testimonium contra quemcunque fidelem, qui eis displicet, verisimiliter et concorditer, sicut frequenter visum est.

Si sunt conjugati et praesentes in haereticatione, alter alterum absolvit Deo et bonis hominibus et ecclesiae Dei, deinde haereticatus ponit manus suas inter manus haeretici; tunc ponit antiquior haereticus super caput haereticandi librum, in quo continetur evangelium Joannis et praecepta eorum, et deinde legit evangelium: „in principio“ usque ad: „gratia et veritas per Jesum Christum facta est“; deinde imponit manus super caput haereticandi, quibus factis tradit ei Orationem Dominicam Pater Noster; et ista ultima sunt de substantia consolamenti, et postea faciunt, si sunt plures, genuflexiones suas modo haereticali vel in duplo vel in simplici. —

Adoratio fit hoc modo: flectunt ter genua coram haereticis stantibus dicendo ter: benedicite, boni Christiani, orate pro nobis vel parcite nobis; vel per inclinationem ponendo manus ad terram vel super bancam et inclinando se profunde et postea erigendo se ter dicentes: benedicite, sicut supra. Dicit haereticus: Deus vos benedicat et perducat ad bonum finem, vel: Benedictio Dei et natura (?) sit vobiscum.

Mos haereticorum existit, quod, ubi duo perfecti haeretici ad haereticandum aliquem infirmum conveniunt, alter eorum solus et communiter antiquior in haeresi sive qui primus fuit haereticatus, infirmum haereticet ponendo manus infirmi inter suas et etiam solus tenendo super ipsum librum, in quo est scriptum evangelium Joannis et solus legendo et proferendo verba, quae in haereticatione dicuntur, alio hae-

retieo juniore sive posteriore in tempore assistente et quandoque respondente principaliter haereticanti.

Dicebat, quod missa nunquam celebrata fuit usque ad tempus Sylvestri, nec eeelesia habebat possessiones usque ad illud tempus et quod defieeret eeelesia eitra viginti annos. — Asseverabat, quod non jaeuerat eum uxore sua.

Cum Fridrieus Guil. Garsias loqueretur de illa authoritate: „sine ipso factum est nihil“ cum Petro Garcia, ipse dixit, quod illud „nihil“ supponebat pro rebus visibilibus, quae sunt nihil. — Nihil istorum visibilium est bonum, ergo nihil horum fecit Deus — quod matrimonium erat meretricium — quod nullo modo facienda est justitia condemnando aliquem ad mortem. — Unus Deus benignus, qui ereavit ineorruptibilia et permansura, et alius malignus, qui corruptibilia et transitoria. —

Quod omnes illi, qui ululabant in eeelesia eantando voce non intelligibili, decipiebant populum simplicem. — Nullum est matrimonium nisi inter animam et Deum. — Ecclesia Romana meretrix dans venenum et potans veneno omnes credentes in ea. — De quadam eeelesia sibi ostensa dixit, illam non esse eeelesiam, sed domum, in qua dicantur falsitates et triehoriae. — Quod non jacuerat earnaliter eum uxore sua, duo anni erunt in Penteeoste. — Quod nullum miraculum, quod possit oculis corporis videri, aliquid est, quod beatus Franeiscus vel alius nullum fecit miraculum. — Quod Deus non voluit justitiam, quod aliquis judicaretur ad mortem. — Damnavit idem Petrus Gareias omnem ordinem praeter ordinem Fratrum Minorum, dixit tamen, quod ille ordo nihil valebat, quia praedicabat crueem. —

Angeli, qui eeciderunt, salvabuntur, sed non omnes, at principales et assessores, simplices tamen, ita quod de mille non damnabitur unus.

Quod nullus salvatur, nisi perfecte fecerit poenitentiam ante mortem, et quod spiritus, qui in uno corpore non poterat faeere poenitentiam, si debebat salvari, transibat in aliud corpus ad eomplendam poenitentiam. — Quod omnes, qui non erant haeretici, fecerat diabolus in corpore et

anima. — Si ego tenerem eum, qui creavit multas animas et de illis paucas salvat, dilaniarem eum.

Guilabertus de Castris, episcopus haereticorum, et Raymundus Mercerii haereticus tenebant publice domum suam juxta Mirapiscem et ibi pluries praedicaverunt. —

(Consolamentum): interrogata fuit, utrum se vellet reddere Deo et evangelio? deinde promisit, quod ulterius non comederet carnes nec ova nec caseum nec aliquam uncturam nisi de oleo et piscibus, et quod non juraret, nec mentiretur, nec aliquam libidinem exerceret toto tempore vitae suae, et quod non dimitteret sectam haereticorum timore ignis vel aquae vel alterius generis mortis; deinde posuerunt haeretici manus et librum super caput infirmae et legerunt; postmodum fecerunt plures venias (reverentias) et genuflexiones coram infirma et oraverunt et dederunt eidem pacem cum libro. Omnes praesentes adoraverunt haereticos et acceperunt pacem ab haereticis, scilicet homines osculantes haereticos bis in ore ex transverso, et mulieres acceperunt pacem a libro haereticorum, deinde osculatae fuerunt sese ad invicem similiter bis in ore ex transverso, et tunc dicta infirma dimisit dictis haereticis centum solidos Tolosanenses post mortem suam, si contingeret, ipsam de dicta infirmitate mori, et tunc Isarnus de Montserver, filius infirmae, promisit haereticis, se soluturum dictos denarios, cum primo recuperasset terram suam, et si contingeret, dictam infirmam evadere de infirmitate, promisit se daturum singulis annis matri suae haereticae dimidium modium frumenti et dimidium modium vini puri ad mensuram de Mirapisce. —

IV.

Rescriptum haeresiarcharum Lombardiae ad Leonistas in Alamannia. [1]) (Cod. Alderspac. membran. 184, Saec. XIV., et Cod. Lat. Bav. membran. 311, Saec. XIV. Cod. Vindobon. 3271. R. 2195.)

Ad honorem Patris et Filii et Sp. S. amen. Oto de Ramezello, Dei gratia confrater pauperum spiritu. J. de Sarnago. Tadeus Marinus. G. de Papia. J. de Lignanio. G. de Moltasio. [2]) J. de Mutina. J. Franceschus. Jordanus de Dogno. Bononius atque Thomas dilectis in Christo fratribus ac sororibus, amicis et amicabus trans Alpes pie degentibus in vero salutari salutem et dilectionis perpetuae firmitatem. Sagacis animi refert ac providi, nociva linquere, caduca fugere, munda prosequi, solida complexari. Gratias agimus Deo nostro in omni memoria vestri semper in ecclesiis orationibus utentes [3]) pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem facientes super communicatione vestra in evangelio Christi a prima die usque nunc; confidentes hoc ipsum, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu, sicut est nobis justum hoc sentire pro omnibus vobis eo quod habeamus vos in corde et in defensione et confirmatione evangelii socios gaudii nostri omnes vos esse. Testis enim nobis est Deus, quemadmodum cupiamus [4]) vos omnes in visceribus Jesu Christi, et hoc oramus, ut caritas vestra magis ac magis abundet in omni scientia et in omni sensu, ut probetis potiora et sitis sinceri et sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiae per J. Christum in gloriam et laudem Dei. Scire autem vos fratres volumus de controversia, quae inter nos et Ultramontanos di-

---

[1]) C. B. ad Pauperes de Lugduno, qui sunt in Alamannia.

[2]) Voltrasio. C. V.

[3]) C. B. semper in orationibus nostris pro omnibus vobis.

[4]) C. B. capiamus.

ctos [5]) Valdesii [6]) socios jam diu versatur, ad quem finem olim anno nativitatis Christi MCCXVIII. mense Madio juxta civitatem Bergamum post multas inquisitiones invicem habitas potuimus pervenire. Inprimis ergo ad quandam nostram quaestionem de praeponimento [7]), cujus tenor est hic: De hoc inprimis quaerimus a vobis fratribus Ultramontanis, quod audivimus, Valdesium [8]) dixisse, videlicet se nolle aliquem in societate Ultramontanorum aut Ytalicorum fratrum fore praepositum in vita sua nec post mortem, utrum velitis in eodem sine aliqua diminutione vel adjunctione permanere an non. Talem dederunt responsionem in [9]) expositione cujusdam cartae mendacis a fratre quondam [10]) Massario in civitate Veronae fraudulenter traditae, ubi legitur: „Et communiter eligere praepositos [11]) aut rectores", subjungentes, quod nos sic intelligimus simpliciter et absque velamine, quod Commune nostrum et illorum congregatum in unum, sicut dictum est, communiter eligat praepositos acternaliter vel rectores ad tempus, secundum quod utilius communi videbitur vel amplius ad pacem pertinere. Haec, ut diximus, de praeponimento fuit Ultramontanorum responsio. Ad quaestionem autem nostram de ministrorum ordine, cujus tenor est hic: Secundo quaerimus, quid sentitis et qualiter vos [12]) habere vultis de ordinatione vel ordine ministrorum, talem [13]) similiter dederunt responsionem, ut in expositione praedictae cartae falsidicae continetur quod ministros taliter eligere communiter vel de nuper conversis vel de amicis in rebus permanentibus ordinare aeternaliter vel ad tempus, secundum quod communi [14]) utilius

[5]) C. B. electos.
[6]) C. V. Waldensis.
[7]) C. V. pro movimento.
[8]) C. V. Valdensem.
[9]) C. V. vel expositionem.
[10]) C. V. quodam.
[11]) aeternaliter vel rectores.
[12]) C. B. nos.
[13]) C. V. similem.
[14]) C. V. communiter.

vel amplius ad pacem pertinere videbitur. Et haec de ministris, ut diximus, fuit Ultramontanorum responsio.

Ad quaestionem vero nostram de laborantium congregatione, cujus tenor hic est: Tertio quaerimus de hoc, quod audivimus Valdesium dixisse, quod cum de omnibus aliis esset pax et concordia inter eum et fratres Ytalicos, nisi separarentur laborantium congregationes, quae tunc temporis erant in Ytalia, ita ut unus cum alio non maneret: pacem cum eo habere non possent, utrum in eodem sine aliqua diminutione vel adjunctione velitis permanere an non. Quorum videlicet Ultramontanorum ad hanc quaestionem responsio in eadem saepedicta fallaci cedula haec inter cetera legitur, videlicet si aliqua persona consilium Pauperum petierit [15]) in terreno labore manere, detur illi consilium secundum Dominum et ejus legem, si sola manere voluerit, vel jungere se cum pluribus. [16]) Haec praescripta ad tres praenominatas quaestiones, ut dictum est, Ultramontani Valdesii socii responderunt, quaedam verbis de laborantium congregatione addentes alia, super quibus talem eis responsionem dedimus: Volumus vicia omnia, quae fratres Ultramontani [17]) coram nobis Ytalicis enumeraverunt, vel etiam alia similiter [18]) de congregatione laborantium penitus amputari. Quo peracto exoramus eos humiliter, quatenus dictos laboratores communi utriusque societatis consilio et concordia ad Dei honorem permanere concedant, et sic de illis tribus principalibus quaestionibus, quibus olim manebat discordia, consentientes eramus ad invicem, ut, si de omnibus aliis concordes essemus, de his penitus inter nos et illos, ut ab ipsis audivimus et ut ipsi a nobis, nulla discordia remaneret, si tamen, quod ore dicebant, opere confirmarent, et quod in fine cujusdam cedulae, quam nobis tradiderunt, legitur, ad effectum perducerent, quod est: Et hoc circa supradicta ab

---

[15]) C. B. volens in terreno labore permanere.

[16]) C. V. vel magis si in pluribus.

[17]) C. V. Transmontani.

[18]) C. B. si insunt.

illis petimus et illis facere volumus [19]) secundum Dominum et ejus legem simpliciter et absque velamine omni altercatione et disputatione amputata.

Responsio ad quaestionem de baptismate. Praeterea ad quandam quaestionem suam super baptismate talem responsionem dedimus: Dicimus, quod nemo aquae materialis libamen [20]) respuens potest salvari; parvulos vero non baptizatos [21]) minime credimus salvari, et hoc oramus, eos credere et fateri. Responsio de matrimonio. Ad quandam vero aliam suam super matrimonio quaestionem diximus respondentes: credimus, legitime conjugatos nisi ob fornicationis causam aut utriusque consensu neminem debere separare, [23]) et hoc obsecramus fratres Ultramontanos credere et fateri. Rursus ad quaestionem Ultramontanorum de fratre Thoma vel de aliquo alio respondimus: Volumus, quod si fratres Ultramontani fratrem Thomam vel alium ex nostris sociis accusaverint, dictus Thomas et alii debeant facere et accipere rationem secundum Dominum et ejus legem, et hoc ipsum dicti Ultramontani pro se et aliquo suorum sociorum facere sint parati, et haec eadem frater Thomas postulat et exorat. Super quibus fuit Ultramontanorum responsio: Ad quaestiones vestras de baptismo dicimus, quod nullum [24]) salvari credimus, nisi baptizatus fuerit materialiter in aqua. De matrimonio dicimus legitimo, quod non absolvatur nisi per voluntatem utriusque, nisi justa occasio intervenerit, secundum quod Communi [25]) videbitur. De hoc quod dictum fuit de Thoma et de Johanne Francigena vel de aliquo alio, qui separatus sit a societate pro causis specialibus, quod secundum Dominum et ejus legem satisfaciant nostrae societati, nostraque societas faciat illis et accipiat

---

[19]) C. B. voluimus.
[20]) C. B. baptismum.
[21]) C. A. u. C. V. non subjugatos.
[22]) C. V. fehlt minime.
[23]) C. V. separari.
[24]) C. V. neminem.
[25]) convenire.

ab illis secundum Deum et ejus legem.[26]) Hic, ut dictum est, fuit tenor responsionum Ultramontanorum Valdesii sociorum super baptismate et matrimonio et Thoma vel aliquo alio sociorum nostrorum ab eorum congregatione vel suorum a nostra pro causis specialibus separato. De his igitur, sicut de praecedentibus diximus, consentientes juxta praedictam utrorumque confessionem invicem fuimus. Et si verba eorum, uti praenotatum est, effectum haberent et ad quandam nostram quaestionem, cujus tenor est hic: Quaerimus de aliqua consuetudine vel credulitate vestra, quam non possetis aperte per scripturam probare divinam Christi ecclesiam habuisse et habere debere, utrum velitis et in eodem permanere et ad idem nos pervenire cogere an non, eorum responsio esset vera, cujus tenor est hic: nos dicimus: quod in hoc non sumus, nec illos volumus cogere — si haec, inquam, eorum, i. e. Ultramontanorum sociorum Valdesii, responsio esset vera, indubitanter credimus, nos et illos et pacem stabilem et firmam concordiam mutuo[27]) jam habere. Utrum autem vere responderint an non, ex subsequentibus juvante Domino prudens lector capere poterit ac auditor. Facta enim adhuc quadam sua super Valdesio et Viveto[28]) mortuis quaestione respondimus: Valdesium et Vivetum[29]), si pro omnibus culpis et offensis suis Deo satisfecerint ante obitum, posse salvari. Quam dicti Ultramontani responsionem penitus respuentes unus ex illis sex, quorum nomina sunt Petrus de Relana[30]) et Berenguarius de Aquaviva, qui ambo tunc temporis actionem Ultramontanorum annualem juxta suam consuetudinem procurabant, G. de Cerviano et G. Durantus, Optandus de Bonate et Julianus, qui, ut ab ipsis audivimus, pro communi suae societatis consilio convenerant cum totidem ex nostris fratribus, quorum nomina

[26]) C. B. nostraque societas illis et acceptabilis secundum Deum et ejus legem.

[27]) C. V. cum eis.

[28]) C. V. Vineto.

[29]) C. V. Vinetum.

[30]) C. V. Rolana.

sunt haec: Johannes de Sarnago et Thadeus, Thomas et Manfridus, Johannes Franceschus et Jordanus de Dogno, ad videndum de pace — unus, inquam, ex illis, scilicet Petrus de Relana, sine verbi additione [31]) in suorum et nostrorum fratrum praedictorum praesentia inter cetera protulit: Dicimus, Valdesium in Dei paradyso esse, subjungens, quod, si nos eandem, quam et ipsi, de Valdesio confessionem non faceremus, pacem nobiscum habere non possent, et hoc est unum e duobus, quibus inter nos et Valdesii socios adhuc disoordia demoratur. Alterum vero de panis fractione vel sacrificio, de quo Ultramontanorum sententia tripliciter, ut audivimus, variatur. Quarum una est, ut quidam ex Valdesii sociis proferunt, quod panis et vini substantia per solam verborum Domini prolationem vertitur [32]) in Christi corpus et sanguinem, addentes: nos non homini, sed verbis Dei virtutem attribuimus. Quibus objicitur: quod si per solam verborum Domini prolationem panis et vini substantia transubstantiatur in Christi corpus et sanguinem, ergo quisquis sive Judaeus sive Gentilis verba Domini super panem et vinum proferet, secundum supradictam eorum sententiam Christi corpus et sanguinem conficiet; quod omnino nefas est ecclesiaeque [33]) nulla authentica probari unquam auctoritate poterit vel etiam ratione. [34]) Ad hoc autem, quod quidam conantur praedictam affirmare sententiam illud Apostoli testimonium inducentes: Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem, respondemus, quod Apostolus in hoc errorem eorum non astruit, imo destruit ac confundit. Nam de cibis, non de sacrificio Apostolus in praedicta loquens sententia non solum „per verbum Dei“ posuit, sed et orationem adjunxit; quorum autem oratio ad sanctificationem valeat vel non, ex subsequentibus mox dante Domino eluce-

---

[31]) C. B. conditione.

[32]) C. V. vertatur.

[33]) C. B. quod omnino nefas est dicere, quia nulla authentica probari unquam auctoritate poterit vel etiam racione.

[34]) C. V. vel etiam concilio.

bit. [35]) Altera quorundam Valdesii sociorum sententia de panis fractione haec est: Nemo potest baptizare, qui Christi corpus non valet conficere. Quibus breviter opponendum, quod juxta eorum sententiam necesse est, ut fateantur, aut corpus Christi non solum per homines laycos et malitiosos, sed etiam per mulieres et meretrices confici, aut omnino a talibus unquam neminem baptizari. Quod utrumque, videlicet aut per laycos, i. e. inordinatos, Christi corpus confici, aut per eosdem neminem posse baptizari, etiam contra confessionem eorum est, qui, [36]) ut supra diximus, pro totius societatis Valdesianae Communi ad videndum de pace nobiscum convenerant. Interrogati etenim a nobis de panis fractione confessi sunt, hoc sacramentum non per mulierem, nec per laycum, sed per solum confici sacerdotem. Dixerunt etiam, per neminem sive bonum sive malum, nisi per eum qui est Deus et homo, i. e. Christum, panis et vini visibilis in Christi corpus et sanguinem posse transsubstantiari substantiam. Et hucusque de hac tertia sacramenti hujus responsione nos et illi concordes fuimus; de hoc autem, quod addiderunt, orationem adulteri sive cujuslibet malitiosi in hoc a Domino exaudiri [37]) et recipi, ab eis, quia a veritatis tramite deviat, dissentimus; ait enim veritas in Matheo: vos estis sal terrae etc. et in Luca: bonum est sal etc. Item in Joh. coecus ille illuminatus, scimus etc. Et veritas in eodem: Sicut palmes non potest ferre fructum etc. Et iterum: Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, et fiet vobis. Unde negatio apposita valet intelligi: Si non manseritis in me, et verba mea in vobis non manserint, nihil eorum, quae petieritis, fiet vobis. Hinc et Apostolus: Nolite, inquit, jugum ducere cum infidelibus etc. Et iterum: Omnia munda mundis etc. Item quod Dominus iniquorum ministrationem non recipiat et eorum orationem non exaudiat, ex subsequentibus late

---

[35]) C. B. docebit.

[36]) C. V. quando.

[37]) C. V. (irrig) non exaudiri.

patet. Legimus etenim in lege: Exod. 12, 43—46. Exod. 28, 1; 32, 33. Levit. 10, 1. 2; 21, 17; 22, 3; 25. Numer. 18, 1. 2. 6. 7; 19, 22. Deuter. 16, 5—7. 1. Reg. 2, 30; 15, 22—24. Psalm. 14, 1—4. Psalm. 5, 7. Psalm. 25, 5. Psalm. 33, 17. Prov. 1, 28. 29. Prov. 15, 8. Jsai. 1, 10. 11. 14. 15. Jsai. 59, 1. Jerem. 14, 11. 12. Osee 9, 4. Amos 5, 22. Mich. 3, 3. Malach. 2, 1. 2. 8. 9.

Non solum haec in Scriptura, sed et multa alia in Scripturis testimonia divinis legimus, quae praedictam Valdesianorum sententiam novimus annullare. Si quis vero velit objicere: Vetera transierunt et ecce nova facta sunt, iterum audiat, quod Paulus recolat ad Hebraeos 2, 2. et rursum Hebr. 10, 28. 29. Et quia eodem iterum testante apostolo scimus, quia, quodcunque lex loquitur et quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt — nos et Valdesianorum confessionem super panis fractione, quam etiam scripto tradiderunt, sic dicentes: ad quaestionem, quae nobis facta fuit de panis fractione, sic credimus, a sacerdote ab ecclesia nostra [38]) ordinato, donec congregatio baptizatorum sustinet eum in officio, sit justus vel injustus, si acceperit panem et vinum et eum benedixerit in commemorationem corporis et sanguinis Domini, credimus, quod per benedictionem ab eo dictam corpus et sanguis fiat Domini. Ad quaestionem factam de absconso peccatore credimus, quod panis et vinum, quem benedixerit, propter benedictionem fiat corpus et sanguis J. Christi. Hanc dicimus Valdesianorum confessionem, quia contra tam multa divina testimonia faciunt, omnino respuimus, et illam, quam praetaxatis fulti testimoniis et ore coram ipsis fecimus et scripto eisdem tradidimus, discretioni vestrae per scripta praesentia curavimus intimare.

Responsio Ytalorum de panis fractione vel sacrificio. Dicimus, quod nemo sive bonus sive malus, nisi ipse, qui est Deus et homo, panis et vini visibilis in Christi

[38]) C. B. a sacerdote ab ecclesia Romana ordinato. C. V. bloß quod ordinatus, donec congregatio etc.

corpus et sanguinem potest transsubstantiare substantiam; unde, si minister ad hoc conficiendum accesserit, ministrum dicimus in Christi sacerdotii ordine ordinatum, et Deus ejus orationem exaudierit, credimus, panis et vini substantiam post benedictionem esse Christi corpus et sanguinem, alioquin minime quoad se aut per se. Quod sic intelligentes exponimus. „Alioquin minime", i. e. si Deus eum non exaudierit; et quid clarius, quid manifestius, quam quod non in hominis, sed Dei solius potestate subsistit? Si ministri oratio non exaudiatur a Domino, non est quoad se, [39]) i. e. quantum ad ministrantem reprobum, etiamsi ipse recipere praesumpserit, aut per se, i. e. per ejus orationem, si alicui alii tradere voluerit. Tamen si quis ad recipiendum hoc sacramentum dignus accesserit, credimus, quod, licet non per ministri indigni et reprobi orationem sive benedictionem, a Domino impetret quod exoptat, i. e. corpus Domini ad sui salutem juxta suum recipiat desiderium, testante de justo scriptura: Replebitur in bonis desiderium tuum, et iterum: Voluntatem timentium se faciet et deprecationem eorum exaudiet; et rursum: Desiderium pauperum exaudivit Dominus: praeparationem cordis eorum audivit auris tua. Nec nos moveat, quod quidam de Juda proditore objiciunt, quia nec credendum est, eum ididem, quod ceteri apostoli recepisse; alioquin unum etiam eisdem corpus esset teste Paulo 1. Cor. 10, 17. et sic de consimilibus respondendum, de quorum ministratione, [40]) quid sentiri quoad sacramentum oporteat, ex praecedentibus satis fore credimus manifestum. Sed quia quorundam incredulitas incredentium, ut de quibusdam ait Apostolus, Doctores nobis conatur objicere, quod nostri tradiderunt doctores, audiant [41]) illarum imperitiam

---

[39]) Esse fehlt im C. B.

[40]) C. B. de quorum fractione.

[41]) So der Cod. Bavar.; im Cod. Alderspac. heißt es: Sed quia quorundam incredulitas, intelligimus vero de quibusdam, ait Apostolus, doctores nobis conantur objicere etc. illarum in beiden Codd. ist wohl Schreibfehler statt illorum.

praesumentes.[42]) De credulitate vero sive confessione super hoc sacramento olim nostra objicienti nobis breviter respondemus: cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus, quando autem factus sum vir, evacuavi, quae erant parvuli. Nec de hac credulitate aliquem fratrum pie degentium usque ad obitum Domino famulantium credimus condemnatum. Siquis vero opponat: quare non ergo et vos adhuc credentes sic confitemini? respondemus, quod contra veritatem scripturarum jam propalatam credere non possumus. Nec etiam, licet Valdesiani in hoc nos vellent cogere, volumus confiteri, oportet enim obedire Deo magis, quam hominibus; nec enim Paulus volentibus eum in legis servitutem redigere, ut ipse testatur, ad horam subjectioni cessit. Sed neque fideles ex circumcisione beato Petro post exposicionem ordinis, visionis et conversionis Cornelii opposuerunt, de hoc scilicet quod nec Petrus nec ceteri Apostoli transacto crediderant tempore gentes ad fidem in praeputio admittendas, vel de Stephano post Domini passionem Prothomartyre id non credente similiter et salvato; nec inter fratres de his suscitaverunt discordiam, sed dixerunt glorificantes Dominum: ergo et Deus gentibus poenitentiam ad vitam dedit. Haec jam supradicta Valdesianorum discordia objectionibus eorum incongruis multum ad easdem convincendas vestrae relinquentes discrecioni summatim (per)stringere et per legitimos nostros Ugolinum et Algossum utile duximus vobis dirigere, in quibus et consuetudo illa antiqua et reproba et veritas approbanda audiendi aurem habentibus panderetur. Unde, carissimi, prudentiam vestram perorando deposcimus, quatenus sententiarum subsequentium non immemores, „lucerna verbum tuum pedibus meis et lumen semitis meis, et praeceptum Domini lucidum illuminans oculos, et qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina aquae vivae fluent de ventre ejus;“ Jesum in vobis et auditoribus vestris pro viribus, aetate et gratia et sapientia apud Deum et homines perficere

[42]) Hier folgen Stellen aus Cyprian, Gregorius I., Innocenz I.

procuretis. Quod vobis tribuat quatenus permanens et unus imperat per aeterna saecula saeculorum amen. Salutat vos in Christo nostra societas. Orate pro nobis, gratia Domini nostri Jesu Christi et caritas Dei et communicacio S. Spiritus sit semper cum omnibus vobis. Amen. —

V.

Cod. Florent. Laurent. (Cod. 13 Biblioth. Mugell. de Nem. Salvi Burce.)

Incipit libri prologus, qui Supra stella dicitur, facti et compositi contra Erreticos universos a quodam nobili viro nomine Salve Burce Civi Placentino.

In Christi nomine amen. Millesimo ducentesimo trigesimo quinto indictione VIII. die dominico VI. mensis Madii, in domo Monachi de Cario, quamvis hic scriptum sit millesimum constitutionis hujus libri, qui dicitur Supra stella, scilicet principii constitutionis hujus, tamen non miretur aliquis, si istud idem millesimum inveniet in sequentibus; non alia de causa hic scripsimus M., nisi ut citius sciatur tempus, quo liber iste fuit inceptus.

Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationes, quas in hoc libro credimus esse completas, necesse est, ut scriptorem lectoremque admoneamus, quatenus quae scripta sunt diligenter attendat; cognoscens quod in eo multa sunt difficilia intellectu, multaque in littera latent, quae si a sedulo lectore requirantur, haereticos erroresque eorum ita inveniet esse apertos ac improbatos, ut nulla eorum versutia seducatur. Quem librum Suprastellam dicimus, nec immerito; nam sicut stella errantibus in mari viam ostendit et ad portum adducit, ita hic liber viam verae fidei ostendit et ad portum salutis perducit. Supra stella autem dicitur ad differentiam cujusdam libri haereticorum, qui Stellae nomine praetitulatur. Per stellam enim Absynthium dicitur in Apocalypsi figurate. Et vere Suprastella dicitur, nam iste ascendens unum Deum, omnium creatorem super omnia

praedicat; ille vero descendens in foveam erroris duos creatores contrarios garriens pronunciat. Iste veritatem, ille falsitatem docet, qui editus ministerio a nobili quodam laico, tamen et litterarum inscio, Placentia oriundus, nomine Salvo, auctore autem Salvatore Christo Jesu; nam congruum fuit, ut Salvator et Salvus in hoc opere convenirent, in quo assignata sunt singula pro posse capitula. Pro posse dico, quia alicubi confuse et inordinate, et frequenter de uno in alio capitulo dictum est. Hoc autem factum est compellente eorum versutia; nam fugientes potius, quam veritatis tramitem requirentes, de uno in pluribus, et de pluribus tramitibus in unum prosiliunt, quibus necessarius fuit ad singula respondere.

Incipit Liber, qui Supra stella dicitur, contra Erreticos universos.

Contra Catharos, qui appellantur Albanenses et Concorricii, qui inter se valde discrepant, videlicet quia unus alterum ad mortem condemnat, dicentes Albanenses adversus Concorricios, se esse ecclesiam Dei, et dicentes, illos fuisse ex ipsis, et a nobis secessi sunt; et e converso Concorricii vero dicunt illud idem.

Manifestum est, quod Albanenses et Concorricii plurimis convenerunt in unum et consilia plurima fecerunt tractando, quomodo possent in unam fidem convenire, volentes tam Albanenses quam Concorricii obmittere de eo, quod praedicabant, propter credentes eorum tam Albanensium quam Concorriciorum, qui inter se scandalizabantur ex eorum praedicatione, et propter hoc, ut reducerentur ad unam fidem, multum de temporalibus rebus consumserunt in diversis et multis itineribus, euntes huc atque illuc, vagantes per orbem terrarum; et quidem dicunt, id est Catheri, qui Calojani et etiam Francigenae nuncupantur, qui ex toto non sunt ex fide Albanensium, nec ex fide Concorriciorum. Sed cum non possent ad invicem concordari et operam dedissent et pro viribus niterentur, ut ambae sectae simul in una fide convenirent, dicendo, quod eorum ecclesia patitur

scandalum per divisionem eorum. Et multi de eorum credentibus propter hoc ad ecclesiam Romanam sunt remeati. Et licet multoties, sicut diximus, sunt congregati ad invicem, pacem reperire non potuerunt, volentes enim unaquaeque illarum sectarum dominium obtinere; sed lites vehementes in ambabus partibus remanserunt, et unaquaque persona sunt divisiones magnae. Unde manifestum est, quod non sunt ecclesia Dei.

Modo dicamus de credenciis eorum, quae sunt falsissimae. Dicunt enim omnes, scilicet Catheri, quod in matrimonio temporali est fornicatio, dicendo malum Deum istum Diabolum istud ordinasse. Item dicunt, jungere se cum uxore sua aut con matre aut con filia aut con alia uxore unum et idem peccatum esse, quantum est Deo, sed quantum est mundo, scandalum est. Ergo notate, quod illi, qui habent uxores credentes, si aliqua illarum dimittit, quod non jungat se e. con altero viro, non dimittit propter Deum, imo propter mundum, et si timor mundi non esset, non haberent in se frenum, imo magis alio homine uterentur. Quare? quia consuetudo est meretricum; et nolite mirari, si dico, ipsas meretrices esse, quia ipsaemet dicunt, quod sunt meretrices jungendo se cum marito, ita ut con aliquo alio homine. Ergo notent diligenter illi, qui similiter habent uxores credentes, super illud quod superius dictum est, quia multi filii, qui ab eis non descenderunt, possessionem eorum hereditabunt, quamvis illos pro filiis suis teneant, et istud quod dico ad vestram utilitatem pronuncio, ut erreticorum disperationem cognoscatis. Dicunt autem Albanenses, quod in omnibus partibus N. T., ubi Christus et discipuli ejus docent de matrimonio, intelligendum esse tantum spiritualiter, scilicet Christi et ecclesiae, aut episcopi et congregationis, aut spiritus et animae; absit enim, quod Dominus noster Jesus Christus et discipuli ejus docuissent de matrimonio temporali, quia est a diabolo vel a malo Deo, et ipse malus Deus vel diabolus dixit: „crescite et multiplicamini etc.," imo destruxissent, scilicet Christus et discipuli, et non docuissent. Item dicunt, quod miracula, quae faciebant Jesus

Christus et discipuli ejus, debent intelligi tantum spiritualiter scilicet secundum hominem interiorem et non exteriorem, quia dicunt, hominem exteriorem esse opus Dei mali vel diaboli, et ideo eum non sanaret, sed potius destrueret. Quare? quia Jesus dicit: „ad hoc enim filius Dei venit, ut dissolveret opera diaboli," et etiam sensus naturalis hoc manifestat, scilicet quod bonus Deus non sanaret opera diaboli. Item dicunt, quod in omnibus partibus, in quibus Jesus Christus et discipuli ejus docent, quod intelligendum est tantum spiritualiter. Item dicunt, quod omnes illos, quos Jesus Christus docet, absque dubio omnes salvabuntur et revertentur ad coelestem gloriam, a qua ceciderunt, et ista sunt verba Albanensium. Concorricii autem dicunt, quod Jesus Christus et discipuli ejus docent in quibusdam partibus de matrimonio spirituali tantum, scilicet Christi et ecclesiae vel episcopi et congregationis, et in quibusdam de temporali tantum. Et adhuc dicunt, quod miracula, quae faciebat Jesus Christus et discipuli ejus, erant secundum hominem interiorem et exteriorem, i. e. quod sanabat ambos. Item dicunt, quod magisterium Jesu Christi et discipulorum ejus erat spirituale et temporale, sed in istis rebus habent pessimum intellectum, quia dicunt, quod beatus Deus creavit quatuor elementa, et diabolus divisit unum ab altero, et ideo dicunt, quod bonus Deus fecit miracula de istis rebus extrinsecis, quia bonus Deus ex primo creavit, et diabolus postea divisit ea et imaginavit, et quando interrogantur: creditis vos ista visibilia ab uno Deo esse facta? et ipsi respondent sophistice: facta sunt per virtutem boni Dei, h. e. dicere: si bonus Deus ea primo non creasset, diabolus non potuisset ea imaginare.

Primo videamus, quid dicant Concorricii super capitulum matrimonii. Dicunt enim, ubi Apostolus loquitur ad Cor. 1, 7: „de quibus autem scripsi etc.," quod loquitur ibi de carnali, sed loquitur illis, qui sunt extra ecclesiam, scilicet credentibus suis, qui adhuc non receperunt manuum impositionem, et quando Apostolus dixit: „propter fornicationem etc.," Apostolus intellexit propter fornicationem fa-

ciendam et non evitandam, et subaudi propter fornicationem, scilicet minorem, quia superius facit mentionem Apostolus de magna fornicatione. Minorem et majorem intelligit quantum ad mundum, sed quantum ad Deum unum peccatum est.

Forte dicunt eretici: per multas rationes et argumenta nobis secundum te es contrarius, quia dico et credo, matrimonium esse a malo Deo; sed si dico, iterum dico, sed tu dicis falsum, quod probo. Manifestum est, quod sancti non sunt in carne neque debitores carni, sed illi qui sunt in matrimonio, sunt in carne et debitores carni, quia usus mulieris est debitum carnis, et quod ita sit, manifeste probatur per Apostolum ad Romanos dicentem: „qui autem in carne sunt, Deo placere etc.," et infra argumentatur Apostolus ad quod dixit superius, dicendo: „ergo fratres debitores etc." Planum est, quod usus feminae est debitum carnis, ergo bene dixit Apostolus in persona Dei ecclesiae loquendo: „debitores sumus non carni," ergo matrimonium carnale seu temporale est falsissimum, si est falsissimum, ergo est a malo Deo vel a diabolo, ergo obmutescat meretrix, scilicet ecclesia Romana, et non contradicat in hoc sanctis Dei. Item Dominus in evangelio dicit: „Omnis qui vidit mulierem ad concupiscendum etc.," si ergo homo adulter est concupiscendo eam, ergo per locum a minori bene sequitur, quod sit adulter in jungendo secum; sed manifestum est, similiter uxorem esse feminam, ergo desiderare eam habere, est adulterium, sic igitur redit primum inconveniens, scilicet matrimonium temporale esse malum. Taceat ergo praedicta meretrix, ecclesia Romana.

De cruce et templis materialibus.

Forte dicent eretici: non est ex voluntate Apostoli, quod homines sint idolatri, neque idola adorare debeant; quare ergo vos ecclesiae Romanae habetis cruces et imagines in ecclesiis vestris, et ibi magnas reverentias et adorationes facitis? ergo estis cultores idolorum, ergo estis gentiles.

Respondeo: Christiani — conveniunt se in templo ad

orandum — et ibi tantum unum Deum in Trinitate adorant, — et tantum ab illo salvationem petunt, et si est aliquis credens et dicens: O pictura, o crux, o imago, tu es Deus meus, adjuva me et salva me, iste est stultus et sine discretione, et non est sanctae ecclesiae Romanae.

Forte dicent eretici: responde mihi: quando crux, quae est lignum, portatur, tu velociter surgis, et magnas reverentias et venias ei facis in modo orationum. Ergo manifestum est, quod non potes te excusare, quod non sis idolator. Respondeo: O eretici, quando crux portatur, et ego velociter surgo, ego non surgo pro cruce, sed surgo pro Salvatore meo Jesu Christo, qui fuit vere mortuus et crucifixus in ligno, per quam mortem, quam sustinuit in ligno, debeo salvari, et omnem reverentiam, quam ei facio et profero, omnis mea intentio est tantum filio Dei vel ad Trinitatem.

O Albanensis, audisti responsionem, quam fecit Concorricius matrimonio, quia dixit, quod Apostolus loquitur de carnali, sed loquitur illis, qui extra ecclesiam Dei sunt; quid tibi videtur? Respondit Albanensis: dico, Concorricium in hoc esse stultum. Absit, quod Apostolus doceret, aliquos stare in pernicie; nobis autem videtur, quod Apostolus docuit ad salvationem, et ibi in illa auctoritate, in qua dixit: „de quibus autem etc.," dicimus, ipsum fuisse locutum ad illos, qui in ecclesia Dei sunt. Verumtamen intellexit de spirituali et non de carnali. Cum autem Apostolus dixit: „Bonum est homini etc.," dicimus, quod debet intelligi de episcopo et congregatione, scilicet quod episcopus non debeat congregationem alterius episcopi tangere. Cum ergo dixit Apostolus: „propter fornicationem etc.," intelligendum est, quod quilibet episcopus suam uxorem debeat habere, i. e. suam congregationem, et e converso propter fornicationem evitandam, i. e. quod episcopus non praedicet aliam congregationem et e converso, et si hoc facerent, simpliciter fornicarent.

Videamus modo, qui sunt isti, de quibus loquitur Apostolus, dicens: „discedunt a fide etc.," nisi illi qui apellantur Cathari. Manifestum est enim, quod nunquam inveniun-

tur aliqui haeretici dicentes, se credere in Christo et habere ejus doctrinam, qui nubere prohibeant et matrimonium blasphemant, nisi illi, qui Cathari appellantur. Et quòd isti sint illi haeretici, de quibus facit mentionem Apostolus: „attendite spiritibus erroris etc.," per eorum credenciam manifestum est, quae talis est.

De credenciis haereticorum.

Dicunt enim Albanenses: duos creatores esse sine principio et medio et fine, et semper fuerunt contraria et sunt et erunt et habent ambo trinitatem et unusquisque habet suam creationem, et filius Dei tenebrarum cum angelis suis in coelum ascendit, i. e. in districto boni Dei, et miscuit se cum angelis bonis et fuit ibi magnum proelium et seduxit animas bonorum angelorum boni Dei et traxit eas inferius, et illae animae vadunt incorporando se de corpore in corpus, dum veniunt ad cognoscendum veritatem. Quare dico animae? quia ipsi dicunt, angelos tria habere, scilicet corpus, spiritum et animam. Animas, sicut dictum est, inferius conduxit, corpora vero in coelo mortua in deserto remanserunt, et spiritus descendunt, unusquisque petendo suam animam, quando autem invenit eam, loquitur ei, et anima respondet. Et statim cum anima cognoscit spiritum, cum quo fuit in coelo, tunc recordatur, quod in coelo peccavit, et tunc incipit facere bonum de peccato quod fecit. Item dicunt, quod filius Dei fuit unus angelus tantum, filius cujusdam angeli, qui vocabatur Maria, dicunt, ipsum non recepisse carnem humanam, nec comedit, nec bibit de istis cibis corporalibus, nec fatigatus fuit ac ploravit ac dormivit corporaliter, nec fuit mortuus in cruce materialiter, nec resurrexit, sed ita videbatur stulto populo et non erat, sicut magus facit rem apparere et non est. Item dicunt, in hoc mundo infernum esse, i. e. hic esse ignem et frigus et omne malum, et non est alius infernus, nec fuit, nec erit. Item dicunt, quando animae erunt reversae in coelum, et erunt junctae simul in resurrectione, scilicet cum corporibus, et spiritibus et angeli mali Dei, qui remanserunt ad proelium, erunt trabucati deorsum,

adhuc incipietur proelium, et qui majora dicit de istis fabulis, habetur multum sapiens dicendo, et hoc fuit magnum, quod in coelo. Ita dicunt Albanenses. O Albanenses, si ita est, ut ecclesia Romana praedicat, et creditis, vos eritis penitus omnes damnati, sed si ita est, ut creditis et praedicatis, ecclesia Romana non sic, sed vide quomodo? quia illi, qui sunt in ecclesia Romana, qui sunt creati a bono Deo, etiamsi Papa esset vel Cardinalis, quamvis sint caeci luminis, quoad intentionem vestram, oportet ex necessitate, ut ad cognoscendum veritatem revertantur et ad coelestem patriam, a qua ceciderunt, et sicut est opinio vestra, ergo aptissima ratio est, vos esse in dubio et ecclesia Romana non. —

Sed forte dices, o Albanensis: tu Garatho conclusisti, me autem nullatenus tetigisti, probasti enim per supradicta, Moysem fuisse bonum, quod bene credo; dico enim, duos Moyses, unum bonum et alterum malum, a principio fuisse, sed tu non probasti nisi de bono, quod autem duo Moyses sint, audi apostolum ad Romanos dicentem: Primus Moyses etc. Sed ex quo primus, ergo secundus, ergo sunt duo.

Sed forte dices: Male procedis; si enim in multis fuisses expertus, non ita laxatis habenis concludere nitereris. An ignoras, quod facit aucceps, cum vult decipere aves? nonne bonum frumentum jacit juxta decipulam, ut advenientes aves pergustent, et sic laqueo capiantur? Ita et Deus veteris Testamenti, qui quidem malus est, ut homines facilius seducere posset, aliqua bona in veteri Testamento jactavit, scilicet praecepta moralia, ut: Non occides etc. —

Sed forte dicet Albanensis: Male procedis, non enim ibi loquitur apostolus, quod Christus sit factus ex muliere carnali vel muliere spirituali, quae est ecclesia, quae ex hominibus constat, sed ex muliere spirituali, quae ex angelis solummodo constat.

(Jo. „sine ipso factum est nihil.“) Sed forte dicet Albanus, qui bonum et malum affirmans sine principio esse, me a veritatis tramite deviare intendens: Non est enim nihil sic exponendum, ut dicis, sed per nihil intelligendum

est malum, i. e. peccatum, et est sensus: sine ipso, i. e. Christo, factum est malum, quia a malo principio.

Sed forte dices: Si omnia essent bona et a Deo bono creata, quomodo Christus prohiberet thesauros congregare terrenos? Unde videtur, quod non sunt boni, neque ab eo creati sive facti. —

De credenciis Concorriciorum.

Concorricii vero dicunt, unum creatorem tantum esse, qui creavit omnia ex nihilo, sed dicunt, quod ipse creavit omnia et elementa simul, et dicunt, quod Lucifer in coelo per se peccavit, qui modo appellatur Satanas, et seduxit angelos, nec ipse nec angeli ejus erunt magis salvi, et dicunt, quod Lucifer, i. e. Satanas, descendit in istud chaos et vidit unum spiritum habentem quatuor facies, et descendit et appropinquavit sibi et unus loeutus fuit eum altero, et voluerunt dividere elementa boni Dei et non potuerunt, quia non erant tres, et Lucifer duxit unum, et fuerunt tres, et diviserunt elementa boni Dei et fuerunt de illis elementis omnia ista imaginata et fecerunt corpus Adae, et quando dicit: „faciamus hominem etc.“ quia ipse loquitur in plurali? intelligunt, quod Lucifer fuit loeutus in persona sociorum. Et acceperunt angelum minorem et posuerunt in corpus Adae per vim, et tunc fuit factus Adam in animam viventem, et imposuerunt ei nomen Adam, et extraxerunt de eo Evam et praeceperunt eis, ne de pomo comederent; et pomum intelligunt, quod serpens posuit caudam in naturam Evae et concepit Cain; et quando fuit Eva juncta cum serpente, scilicet quod comedit pomum, tunc cognovit delectationem istius mundi, et de pomo dedit comedere Adae, scilicet quod secum se junxit, et illimet ipsi qui vetaverant, scilicet confortaverunt eos, ut comederent. Item dicunt, quod humana generatio omnis descendit tota ab Adam secundum carnem et secundum spiritum, scilicet quod omnes nostri spiritus descenderunt ab angelo, quem posuit Lucifer cum socio suo, qui habebat quatuor facies, in Adam, unde dicunt, quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex

spiritu spiritus est. Item dicunt, quod Lucifer, qui modo appellatur diabolus, dedit V. Test. et legem et fecit promissionem Habrae etc. et adhuc dicunt, quod Christus non comedit, non bibit corporaliter, et adhuc quidam eorum, qui appellantur Sclavi, dicunt, quod, quando Christus ascendit in coelum, carnem, quam habebat in terra, dimisit. Haec sunt fabulae et mendacia, quae dicunt Concorricii et adhuc dicemus, scilicet de illis ambobus.

De manuum impositione.

Dicunt Albanenses et Concorricii, quod homines per impositionem manuum accipiunt Spiritum sanctum et fiunt salvi, sed intelligunt hoc modo, scilicet si illi, qui imponunt manus, habent Spiritum sanctum, et si non habent Spiritum sanctum, illi qui recipiunt manus impositiones, Spiritum sanctum non recipiunt; ideo non recipiunt Spiritum sanctum, quod illi, qui faciunt impositiones, non habent Spiritum sanctum, ideo dare non possunt, quamvis illi, qui recipiunt manus impositiones, credunt se recepisse Spiritum sanctum ab illis, qui imponebant eis manus, et ipsi agunt poenitentiam secundum modum illorum, et non fallant de illo, quod promittunt, et etiam si sustinerent aliquod martorium pro Christo, scilicet mortem ad intentionem eorum quod credunt bene facere, nihil eis valet penitus, et erunt damnati. Dicunt Concorricii. Sed Albanenses dicunt, quod si sunt creati a bono Deo, revertentur ad faciendum bonum adhuc. Item dicunt, quod episcopus congregationis, ad quem congregatio facit obedientiam et reverentiam, et recipit consilium episcopi et doctrinam suam, si episcopus non habet Spiritum sanctum, scilicet quod sit in peccato privato, ut est de fornicatione, aut falsis cogitationibus aut hypocrisis aut vanae gloriae etc., quod illa congregatio, quae est posita sub eo, est in casu mortis, scilicet quod nunquam est posita sub Spiritu sancto, imo sub spiritu maligno, qui est in illo episcopo, et etiam si illa congregatio sustineret martorium, penitus esset damnata, sicut dictum est superius, quamvis credant, se bonum facere. Item dicunt, quod si peccatum epis-

copi venerit palam, statim debet deponi et ordinari unus episcopus novus, et omnes illi, qui sunt in illo tempore in quo episcopus novus est ordinatus, debent recipere manus impositiones ab illo episcopo novo, et si est aliquis eorum, qui non recipiat, est in casu mortis. Item dicunt, si episcopus novus est in illis peccatis, in quibus praedictus episcopus erat, non receperunt manus impositiones a Spiritu sancto, imo a spiritu maligno, et quamvis congregatio credat, se esse in casu salvationis, est in contrario; ergo miseri tapini, cujusmodi credencia est haec? bene potestis videre, quod non est a Deo, imo est falsissima. Quare? quia si moriemini in lectulo aut in martorio, nescitis, utrum sitis salvi vel non, quia nescitis, si episcopus vester habeat Spiritum sanctum, quamvis credatis, quod ipse habeat et non habet. Vos itis multum male, ergo estis stulti, igitur habebitis damnum.

Isti haeretici sunt depulsi ab ecclesia, quia assimilant se Deo, sicut voluit facere magister eorum (diabolus), quia dicunt, se dare Spiritum sanctum, et peccata remittunt sicut Christus, et quando fit eis reverentia sive venia loco orationum, si aliquis eos interrogat, ipsi dicunt: vos non facitis carni nec sanguini, imo Spiritui sancto, qui in nobis est, et si dubitatis, damnati estis, et frustra est factum vestrum.

De Pauperibus haereticorum.

O pauperes Leonistae et pauperes Lombardi et vos Speronistae, videre ex rationibus hujus libri aperte potestis, haereticis esse conjunctos, qui Cathari appellantur, per novum Testamentum prave circa matrimonium et plura alia sentientes, et licet non sitis in tam altum profundum erexiae sicut eretici, hoc est sicut qui appellantur Cathari, tamen et vos eretici estis. Separati enim estis a s. ecclesia Romana, a qua baptismum et manus impositionem recepistis, et ideo quaedam contra vos dicere volumus. Primo considerate, quod apostolus per Spiritum sanctum praevidit quosdam a fide separari debere, a fide dico ecclesiae Romanae, quae in universo mundo annuntiatur, sicut ego evidens

ostendam; ostendens eos manifeste cognosci in tantum ut si ipse dixisset, venient homines cornuti, non magis apostolus eos manifestasset, et quamvis cognoscatis eos, sicut dicitis, non est multum mirum, quamvis et vos claudicetis. Istud enim manifestum est, quod Cathari primo fuerunt de Romana ecclesia, et in illa fide baptisma et manuum impositionem et alia sacramenta receperunt, et in illa aliquo tempore steterunt et ab illa exiverunt; hoc modo crescentes eorum inanis discreptionis blasphemias dicunt contra ipsam ecclesiam, sicut eis videtur, dicentes, eam esse meretricem et nidum serpentum et bestiam, et vos stulti illud idem dicitis. Notate diligenter, quod apostolus dicit „quidam," per hoc dat intelligere, quod pauci vel quasi nulli sint isti separati, respectu illorum, qui remanserunt. Iterum notate potius diligenter, quod adhuc Cathari non sunt in respectu vestrorum quidam, imo estis quasi in nihilo in respectu illorum, quia ipsi sunt plures satis per universum mundum, quam vos, et Cathari sunt quasi nihil in respectu illorum, de quorum numero fuerunt, i. e de illis qui sunt in ecclesia Romana; igitur videre potestis, quod vos non estis ecclesia Dei, ergo labor vester frustra est.

Item notate, quod vos creditis congregationem et ecclesiam veteris Testamenti fuisse a Deo sancto, quia extraxit eos de Aegypto et dedit eis legem et erat cum eis et ducebat illos per desertum, et in hoc bene creditis. Et notate, quod illa ecclesia V. T. erat multo major multitudine quam vos. Igitur miseri creditis vos, quod congregatio N. T. et ecclesia sit minor populo, quam illa V. T. Absit. Quare? quia ecclesia V. T., scilicet Judaeorum, erat in quodam angulo mundi, scilicet Jerusalem, et non multum longe a Jerusalem. Verum ecclesia N. T. est per totum mundum. Ergo videre potestis, quod ecclesia N. T. est potius, major quam illa veteris. Ergo videre potestis, quod vos non estis ecclesia Dei. Quare? quia vos estis multum minor, quam illa V. T. — a. 1235 indict. VIII. die dominico VI. mensis Madii, in domo Monachi de Cario. Manifestum est, quod ecclesia Dei est ab apostolis usque nunc et erit hinc

usque ad finem, et quod in ecclesia Dei debent esse episcopi, presbyteri, diacones, praepositi etc. Valdexius, qui fuit de Leono, fuit vestrum caput, et a Valdexio in retro non habebatis caput, nisi ecclesiam Romanam, et hoc esse potest circa 60 annos, et multi sunt modo de illis hominibus, qui fuerunt sui familiares, et ipsemet Valdexius fuit de ecclesia Romana; quomodo ergo creditis, quod ecclesia non esset a Valdexio in retro? Stulti estis. Speronus fuit caput Speronorum, et hoc est circa quinquaginta annos. Pauperes Lombardi exiverunt a Pauperibus de Leono, et hoc est circa 30 annos, et surrexit Joannes de Roncho, qui eorum erat ancianus, et ipse erat idiota absque literis. Igitur videre potestis, quod vos stulti estis et quod labor vester frustra est. —

Forte eretici dicent: Nos sumus partiti a turpi meretrice, scilicet ab ecclesia Romae, et videamus de praelatis ipsius bestiae. Ipsi habent mille marchas de reddenta et plus et minus, et videatis, qualiter ipsi expendunt ipsas, adulterando, fornicando, etiam quia tantum comedunt, quod ipsi evomunt per ore extra; igitur quomodo credere debeo ad nidum serpentis? etiam foetor ascendit coram Deo et ipsius sanctis: absit, quod ego unquam ad illam revertar.

Notate, quod quidam tenentes fidem Romanam sunt boni sancti, ergo quare dubitatis propter hoc? ubi sunt magna jejunia? ubi est magna abstinentia? ubi sunt maximae eleemosynae? ubi sunt pontes et hospitalia? ubi est virginitas et continentes et matrimoniati nisi in ecclesia Romana? sed boni erunt salvi, pessimi vero damnati, et specialiter magni praelati majorem poenam habebunt. — Item notate millesimum supradictum; quare? quia si sapientes estis vos, bene videbitis, quantum novi estis, et ideo positum est millesimum, ut agnoscatis vestram novitatem. Valdexius enim Leonista et Ugo Speronus atque Joannes de Roncho, hi tres fuerunt prima capita vestrarum congregationum, sed Joannes de Roncho circa 30 annos, Ugo vero Speronus circa 50, Valdexius circa 60, ergo videre potestis stultitias vestras, obmutescatis igitur et nolite loqui de cetero adversus

sanctam ecclesiam Romanam. — O erretici maligni, quare dicitis, quod Joannes fuit magnus demon? ergo fuit demoniaca Elizabeth mater sua, et hoc est nefas dicere, quia (dicit) b. Lucas, quando Joannes erat in ventre Elizabeth, quod ipsa erat repleta Spiritu sancto, ergo non erat demoniaca, nec Joannes demon. Absit enim, quod si Joannes esset demon, quod Jesus suscepisset ab eo baptismum, quia demon non potest facere bonum, sed baptismum est bonum etc.

Forte dicent erretici: ideo credimus Joannem esse falsissimum, quia fuit mendax et dubitavit de adventu Christi. Si fuit mendax, ergo fuit a mendace, i. e. a diabolo, quia diabolus mendax est. Igitur fuit membrum diaboli, ergo diabolus fuit caput ejus; ergo fuit filius mali Dei aut a diabolo ex creatione. Dicunt Albanenses: igitur fuit daemon. Concorricii vero dicunt, quod non fuit filius ex creatione, sed ex falsitate, quia credunt tantum unum creatorem, et quod fuisset mendax et dubius probant. Dixit Dominus Jesus: si vultis ipsum recipere, ipse est Elias, quia Dominus ibi loquitur de Joanne, et in alia parte dicit de Elia, et discipuli ejus intellexerunt de Joanne, quod erat Elias, et Joannes dixit contrarium, quando interrogaverunt dicentes: Elias es tu? respondit, non sum. Planum est: quod Dominus dixit verum, igitur Joannes dixit falsum. Ergo fuit mendax, ergo malus. Et quod dubitasset de adventu Christi probatur etc.

(De resurrectione.) Dicunt Erretici: Meretrix, responde mihi. Audi apostolum ad Romanos: Scio, quod in carne mea etc. Si in carne apostoli, qui perfectus erat, non habitabat bonum, ergo in aliqua carne non habitabit bonum, ergo non habitabit bonum in carne sanctorum; ergo potestis videre, quod caro non est facta sive creata a bono Deo, sed a malo; ergo stulti qui dicitis, quod debet surgere et habere poenam vel gloriam; bene potestis videre, quod caeci estis. Igitur obmutescat pessima, quae praedicat et credit tam magnam falsitatem.

(De Pauli loco: reformabit corpus etc.) Ille qui refor-

mabit, primo formavit illud idem corpus, ergo potes videre, quod bonus Deus vel ejus filius fecit corpus humanum. Forte dicent Albanenses: non est sic intelligendum, quia sic debet intelligi, quia corpus sanctorum remansit mortuum ibi superius, ubi fuit proelium. Si remansit mortuum, ergo deformatum, et illa sunt corpora, quae ipse reformabit, quia spiritus et anima et corpus similiter jungentur, et illa est resurrectio corporum.

O Erretici, i. e. Concorricii, vos dicitis, quod omnes habebunt aequalem beatitudinem in coelesti gloria, similiter dicitis, quod omnes peccatores habebunt aequalem poenam in inferno, quod est falsissimum credere.

Forte dicent erretici: o defensores ecclesiae Romanae, vos creditis probasse per novum testamentum, quod David rex veteris testamenti sit bonus et ad bonum finem venit David Salomonem regem ordinando, sed decepti estis, bene enim credo, quod novum testamentum sit a bono Deo factum et vetus a malo, et ideo videtur, quod velis probare per novum testamentum. O miseri ecclesiae Romanae, vos ea quae vobis videntur de David dixistis, de his vero quae contra vos sunt, caudam in manu tenuistis: qua propter stultitias vestras declarare volo, ut cognoscantur. Quando enim apostolus dixisset: „cum administrasset David voluntati Dei," dicit infra: „et vidit corruptionem"; quum quem Deus suscitavit von vidit corruptionem; et haec sunt captivissime illa quae tacebas. Et nota hic duo: unum bonum, aliud vero malum; ille qui vidit corruptionem seu David intelligitur in mala parte, ergo malus; igitur non est salvus, sicut tu dixisti; ille autem qui non vidit corruptionem fuit ipse Dei filius. Igitur obmutescat ecclesia mundana seu Romana.

Forte dicent erretici: o caeci ecclesiae Romanae, absit, quod filius Dei reciperet carnem de semine David, de carnali David dico, quum caro plena est humoribus et foetoribus, sed illa filii Dei fuit pulchra et munda, caro dico spiritualis et non materialis, et quando apostolus dixit, quod filius Dei factus erat ex semine David, intellexit ibi per

David Deum Patrem. Quid ergo fuit semen David, ex quo fuit factus? Dico, fuisse virginem Mariam, quae fuit semen Dei patris, semen dieo spirituale, et quando recepit filius Dei carnem de semine Dei patris? quando angelus Gabriel fecit communicationem Mariae, tunc iste angelus Gabriel junxit se cum illo angelo, qui voeabatur Maria, spiritualiter et generaverunt filium Dei secundum carnem. Unde apostolus dicit, quod venit in similitudine carnis peccati. Et nota, quod dicit similitudinem. Si similis tantum, ergo non erat. Ergo bestia penitus obmuteseat.

O ecclesia Romana, tu credis et praedicas, quod filius Dei semper fuit eum patre, et quod non habuit initium, nec finem habebit, et quod non fuit factus, nec creatus, sed genitus, sed decepta es, quia initium habuit et factus fuit, quod probo. Dicit Joannes Bapt., quem credis bonum et sanctum, et loquitur de filio Dei: „qui post me . . . . factus est.“ Et nota, quod filius Dei fuit faetus ante hominem; si faetus fuit, ergo antequam fieret non erat; ergo de necessitate sequitur, quod fuit ab alio faetus, scilieet a Deo, ergo potes videre, quod tantum unus angelus fuit, qui fuit factus a Deo.

Dicent haeretici, et maxime Albanenses: Bene dico quod filius Dei est angelus et minor angelis, quod probo. Dictum ad Hebraeos: „Minuisti eum ete.“ Ergo fuit melior alius angelus, quam ipse. Ergo patet, quod fuit creatura vel angelus creatus vel factus. Et nota, quod fuit minoratus ab angelis, ergo aliquando non fuit minor. Quae fuit causa, quare fuit minor? O ecclesia, si tu cognosceres, tu obmuteseeres. Haec fuit causa, quia peecavit obediendo filio Dei tenebrarum, quia sub regimine filii Dei erat magnus populus ad regendum et quia eaput peccavit, i. e. filius Dei, magna multitudo populi peccavit. Et quod filius Dei peecavit, audi. Dicit apostolus ad Cor. 2.: „Eum qui non noverat peeeatum, pro nobis peeeatum fecit.“ O ecclesia maligna, apostolus non potuit (add. elarius) explicare, quia dicit, quod filius Dei peecatum fecit, ergo ita est; et nota, quod dicit: pro nobis peccatum. Hoe est dicere: Christus

caput nostrum, qui eramus sub suo regimine in coelesti patria, peccavit, et fecit nos peccare.

Quod Deus vel Trinitas erat et nihil aliud.

Forte dicent erretici, scilicet Albanenses, quandam stultitiam, quam solent dicere: Si tantum Deus aut Trinitas, aut sicut tu dicis, quod nihil aliud erat, ubi habitabat? Respondeo: tunc ubi nunc, in se, quum sibi sufficit ipse. Quaestio ista stulta est et stultorum; ipse habitabat tunc ubi hodie habitat, hoc est in se ipso et per semetipsum, et hoc quod in sanctis habitat ipse, hoc est per gratiam. Forte dicent Albanenses: semper fuit coelum et terra et mare et populus et materia, in quibus habitabat, de quibus ipse fecit et creavit omnia quae voluit.

Quod illi, qui ceciderunt, non salvabuntur.

Forte dicent Albanenses: O ecclesia Romana, responde mihi: dicit evangelista: „Venit filius hominis salvare, quod perierat," et filius Dei hoc verbum suo ore exponit, si bene intelligeres, secundum Matthaeum dicens: „Non sum missus nisi ad oves quae perierant domus Jsrael." Ergo habemus manifeste, quod venit illud salvare, quod perierat. Quamvis dicat oves, intelligitur bene, quod filius Dei intellexit de animabus, et ipse alio loco exponit dicendo: non veni animas perdere, sed salvare. Jsrael intelligitur Deus Pater, et de domo ejus hae oves perierunt, scilicet quod filius Dei tenebrarum eas seduxit et inferius ipsas traxit, et pro illis ovibus venit tantum filius Dei et non pro aliis, et ideo filius Dei dixit: non sum missus etc.

Item de angelis, qui peccaverunt et non salvabuntur.

Potestis videre illum, qui reservat angelos malos damnare, esse solum dominatorem; igitur bene dixit Judas: „Commonere autem etc." Forte dicent Erretici, sicut consueverunt, et maxime Concorricii: hic Jesus, de quo fuit Judas locutus, est Jesus Nave et non Jesus filius Dei vivi, quum Jesus Nave rexit populum Ebraeum.

De baptismo aquae materialis.

Forte dicent erretici: O ecclesia mundana, tu scis ea quae hujus mundi sunt, sed ea quae Dei sunt nequaquam.

Tu credis, quod pueri causa tui sacramenti, i. e. baptismi et impositionis manuum etc., quod recipiunt Spiritum sanctum, quomodo posset esse, quia pueri non habent fidem, nec cognoscunt bonum neque malum, et neque intelligunt illud quod tu dicis. Igitur stulta bestia, quid praedicas, tu credis: fide et opere oportet vos salvos fieri?

De gladio temporali.

Nota, quod dicit Paulus: omnis anima etc., vult enim ut subditi sint homines dominis suis non tantum opere, sed mente, unde supra: non ad oculum servientes. Contra Pauperem de Leono, qui dicit, quod ibi loquitur de temporali potestate, et laudatur ibi potestas secundum laudem humanam, contra hoc palam est, quod non laudat eam secundum laudem humanam, imo divinam, cum dicit: Subditi etc. etiam propter conscientiam servandam.

Si autem dixeris, o Lombarde vel Cathare, quod spiritualem vindictam praelatis vel ministris dedit, temporalem autem sibi renuit (reservavit?): contra, spiritualis vindictae potestas majus donum est, quam temporalis vindictae potestas etc.

Forte dicet erreticus: quod fideles non tenentur ad tributa praestanda, videtur posse haberi ex 17 cap. Matthaei: Reges terrae . . . . aliis, et subditur: ergo liberi sunt etc.

Quod judices debeant constitui in ecclesia, qui de saecularibus negotiis tractent, patet ad Cor. I., ubi dicit apostolus: „Audet aliquis vestrum etc.“ Si autem dicit, quod hoc dicit apostolus ironice, contra: Supra audet etc. ubi dicit, quod a sanctis debent ista tractari, qui inferius dicuntur contemptibiles non in se, quia sancti, sed quia de hujusmodi contemptibilibus judicabant.

Contra Pauperes Lombardos et Pauperes Leonistas dicitur ad Timoth. I.: finis praecepti etc. usque quod creditum est mihi. Ante autem, quam proponatur haec auctoritas, sic procede et quaere: Dic mihi Pauper, an licita fuisset vindicta in V. T. Dicet sic. Modo quaero, an istud

praeceptum, non occides, quod fuit Exod. 20, fuerit universaliter dictum an particulariter. Dicet: particulariter. Non enim prohibebatur illo praecepto occisio malefactoris etc. Modo quaero, si judex istas vindictas exercens peccabat? Dicet: non; imo hoc facere tenebatur. Modo quaero, si haec ex modo sancta sit et bona, sicut fuit in V. T. Dicet: non; sed, o erretice, vide, quam incaute legis, quod apostolus dicit ad Timoth. I. etc.

Ostensum est per divinam Scripturam, quod vindicta est bona et a bono Deo, sed forte non credent haeretici; quapropter catholicus dicet tales rationes, quas populus et simplices videbunt quasi oculus, populus i. e. universitas mundi. Dicunt erretici, quod vindicta est a diabolo vel malo Deo, absit enim, quod vindicta temporalis sit a bono Deo.

Forte dicent aliqui, qui steterunt increduli de vindicta erreticorum, specialiter: O defensor ecclesiae Romanae, bonum opus scriptum est per te secundum naturalem intellectum, quia quod dixisti de vindicta credimus et nos sicut tu dixisti, sed, o catholice, tu incepisti probationem per sensum naturalem sine scriptura et ostendisti quantum ad nos manifeste, quod vindicta est a Deo Patre omnipotenti, et non fuisti contentus ea probatione, sed probasti etiam per scripturam et auctoritatem, quae est securior via vel probatio, et probasti seu incepisti apud sensum naturalem, quod damnationes et servitutes sunt et possunt esse in ecclesia Dei, utentes dominus dominio et servus servitute. Et iterum ostendisti, quod vindicta temporalis est in ecclesia et a principibus et potestatibus debet esse, et hoc per N. T., et iterum ostendisti, quod vindicta non debet tantum esse facta de malefactoribus, imo etiam de haereticis, et haec est magna probatio, quum permulti homines credunt vindictam malefactorum a Deo Patre omnipotenti, qui non credunt fieri posse vindictam erreticorum. Et iterum exposuisti quandam auctoritatem apostoli ad Rom. de vindicta, quae illuminat totum librum tuum. Auctoritas haec est: „Non vos defendentes, carissimi, sed date locum etc.“ Sed haeretici, et specialiter Pauperes Leonistae et Pauperes Lombardi,

faciunt aliam expositionem, quam tu feceris. Videatur igitur una et alia expositio. Primo igitur Pauperum. Dicunt Pauperes: O ecclesia, tu praedicas et dicis, quod vindicta debet esse, et potest a principibus et potestatibus sine peccato fieri. Haec falsissima praedicatio est, nec mirum, quia tu etiam falsa es. O populi, audite, quod dicemus, et poteritis cognoscere eorum stultitias; dicit enim apostolus gloriosus ad Rom.: „Non vosmetipsos defendentes etc.“ O misera ecclesia, manifestius non potuit apostolus loqui; hoc est dicere, si aliquis te nocet, nolite vindicare; quare? quia non est vestrum vindictam facere, sed (illi) cujus est relinquatis. Sed cujus est? Apostolus dixit, quod est domini. Et quando faciet? in die judicii, cum dicet: Discedite a me etc. Videte ergo populi, quod neque principes, neque potestates, nec aliquis potest vindictam facere, praeter Dominum. Obmutesce igitur, o meretrix ecclesia, quia convicta es. Haec est expositio haereticorum.

Verum est, quod Cathari et Pauperes de Leono et Pauperes Lombardi sunt increduli de vindicta temporali, sed differentia est inter Catharos et Pauperes. Videnda est igitur, ut audientes ex ea proficiant. Dicunt Pauperes, quod vindicta erat bona in V. T. et multi homines sancti faciebant vindictam, sed dicunt, quod filius Dei eam prohibuit in N. T., et de hoc volunt ostendere rationem. Cathari autem dicunt, quod vindicta in V. T. erat a malo Deo, et hodie est ab eodem Deo, et de hoc volunt ostendere rationem. Videamus primo rationem Pauperum. Dicunt enim Pauperes: Audiant audientes: Dicit Christus secundum Matthaeum: „Audistis, quia dictum est etc.“ Igitur potes videre manifeste, quod vindicta permissa erat in V. T. Iam videatis, qualiter filius Dei eam prohibuit dicens: „Ego autem dico vobis etc.“ Igitur, o ecclesia maledicta, quomodo potes praedicare, quod vindicta debeat esse in ecclesia Dei? ergo bestia obmutesce. Videamus igitur rationem Catharorum: dicunt enim: „audistis, quia dictum est etc.“ haec lex a malo Deo data est, hoc sciens filius Dei dedit aliam legem, dicens: „ego autem etc.“ Obmutescant ergo

Pauperes et ecclesia maledicta. Sed in hoc concordant, quod modo vindicta non est bona, et in hoc sunt contra ecclesiam, dicentes, sequitur: qui te percussit in maxillam etc. O ecclesia hujus mundi, tenesne hunc ordinem, quem Christus docuit? absit. O populi, notate bene, quod audistis et audietis, et dividamini a meretrice. Modo videbitis, qualiter bene tenet magisterium Christi. Praelati hujus ecclesiae dant vim et laborant, in quantum possunt, ut ponatur in scriptis civitatum, quod variis tormentis crucientur hi, quos ipsi haereticos appellant, et si Commune civitatum non vult hoc facere, pugnant eos dicentes, excommunicabimus vos, et oportet quod fiat, et si non faciunt, neque dicunt officium, neque quasdam suas truphas, et in hoc Commune est stultum et sequitur stultitias suas. O populi, videte, qualiter faciunt eos occidere, quia nolunt jurare, nec adulterari, nec comedere carnes etc. Sed de illis, qui habent gladium ad latus et qui faciunt adulteria et homicidia, non faciunt ipsi ponere. O ecclesia Romana, omnes habes plenas manus de sanguine martyrum. O populi, non miremini de hoc, quod dictum est: quia ipsi complent mensuram possessorum (sic, leg. patrum) suorum; patres eorum interfecerunt Christum et Stephanum et Jacobum et alios discipulos cruciaverunt variis tormentis. Potestis igitur videre, quod isti bene tenent hereditatem, nec mirum, quia Christus dixit per Joannem, „quia venit hora etc. . . Deo.“ Bene posset esse, quod aliqui istorum stultorum, quando interficiuntur Martyres, arbitrantur obsequium se praestare Deo. O ecclesia, modo te habeo sub ungulis. Iterum dicit apostolus: Sine offensione estote Judaeis et gentibus et ecclesiae Dei. O populi, videte, si ecclesia tenet hunc ordinem; nequaquam. O populi, bene videtis, quod deberetis dividi ab hac bestia? Unde rogamus vos, quod debeatis vos dividi ab ecclesia Romana; junctae sunt simul ungulae, hoc est quod ecclesia Romana facta est muta.

O Erretici, magnum terrorem poteritis habere de his, quae dicet Catholicus. Concorricii, qui Cathari appellantur, Deum quem bonum credunt, Albanenses, qui Cathari appel-

lantur, eundem malum tenent. Major non potest esse divisio. Pauperes Leonistae et Pauperes Lombardi sunt divisi, et hae quatuor sectae sunt contrariae, una alteri quasi ut ignis aquae, et una ad mortem aliam condemnat, et quilibet eorum dicit, se esse discipulum Christi, et si aliqui sustinent mortem, dicunt, quod sint martyres Christi. Igitur potestis videre, quam magnus terror vester est; quare ponatis, quod unus salvetur, tamen damnantur tres, igitur magnus debet esse pavor vester.

O miseri, quis est, qui praedicet Christum vere, nisi ecclesia Romana, quis est qui credat eum salvatorem, nisi ecclesia Romana? ipsa etenim credit, se salvari in nomine suo et propter nomen suum, et hoc quasi praedicat tota die. Perfecti quando audiunt nomen Christi confortantur et laetantur in domino Jesu; et ideo, o miseri, quia male sentitis de Christo, permittit ecclesia, quod fiat vindicta. O vos Cathari, vos creditis, quod Christus fuerit una pura creatura vel creatus angelus, igitur non fuit salvator, quia creatura neminem salvare potest. Iterum non creditis, quod fuerit verus homo, h. e. quod receperit carnem de Maria, nec creditis, quod mortuus fuerit vere secundum humanitatem. Iterum quaecunque ecclesia Romana credit, quod fecerit secundum humanitatem ad literam, dicitis, quod sic videbatur, sed non sic erat. Igitur non est mirum, si ecclesia Romana dat vim, ut fiat vindicta, quia estis erretici pleni foetore.

O erretici, si Judaei habuerunt Christum pro truphatore, et vos eodem modo habetis eum pro truphatore. Dicunt Albanenses, et est secretissimum eorum: Ille, qui dixit: tristis est anima mea usque ad mortem, non sit in meo adjutorio. Igitur fuit spiritus malignus, qui dixit in Christo hoc; igitur concordes estis cum Judaeis, dicentibus: daemonium habes: pejor error non potest dari.

O erretici, si aliquis simplicium hominum petit a vobis de imagine Christi, quae est in cruce, et isti simplices vident libenter imaginem, vos aliquando respondetis: Si pater vel filius tuus esset suspensus, videresne libenter eum vel poneres ante te, quasi dicat non.

O Pauperes Lombardi, vos fuistis primo de ecclesia Romana, quia non placuit vobis ecclesia, junxistis vos cum Pauperibus Leonistis, et eratis cum eis sub regimine Gualdensis, et stetistis aliquo tempore sub suo regimine, postea elegistis unum aliud caput displicendo Gualdensi et pauperibus Leonistis, cujus nomen fuit Johannes de Roncho, quem ego vidi, et praedicastis aliquibus annis id, quod Pauperes praedicabant dicendo, quod non eratis contra eos, sed modo maxima discordia est inter vos ad invicem, et dicitis, quod caro descendit a carne et spiritus a spiritu, et adhuc dividitis maritum ab uxore contra voluntatem mariti et e converso. Unde dicitis, quod potestis facere secundum verba evangelii Matthaei: omnis qui reliquerit domum vel fratres etc., ergo potes videre, quod ille, qui relinquit uxorem, magnum meritum habebit; igitur si nos praedicamus, quod maritus dividat se ab uxore et e converso, bonum opus est; igitur quare nos vituperas?

O Pauperes Lombardi et Pauperes Leonistae, bene potestis videre, quod istud non intelligitur tantum secundum literam etc.

O Pauperes Lombardi, notate pro Deo, quod audietis, quod Concorricii et Albanenses sunt duae sectae, Deum quem unus credit bonum, alius credit falsum; nulla potest esse major divisio, et adhuc dicunt, quod descenderunt de Christo de gradu in gradum, sed hoc non possunt probare per divinam scripturam, sed bene possunt probare per veteres homines de octoginta annis. Sed, vos Pauperes Lombardi, non potestis probare, quod vestra sit de triginta sex, et ideo positus est millesimus in isto libro, quia multi viderunt vos esse in ecclesia Romana, et ivistis cum Pauperibus Leonistis et exiistis de congregatione eorum et fecistis pro vobis congregationem et adhuc dicitis, quod ecclesia Dei stetit amissa multis annis usque ad vos, et vos restituistis. Major stultitia non potest credi. O Pauperes Lombardi, ecclesia Dei est per universum mundum et per universum mundum debet salvari, et sic probatum est, sed sic non estis vos. Petrus in duobus diebus fecit converti octo

millia hominum, forte tot non estis vos. In Apocalypsi dicitur: Vidi turbam magnam, quam dinumerare etc. Sed vos quando innumerabiles eritis? Numquid nunc estis innumerabiles? vos ipsi pensate; vix enim in Lombardia non estis, extra vero minime. O Pauperes Lombardi, si mundus adhuc staret 50000 annis, secundum quantitatem, in quam estis, non possetis complere numerum suprascriptum, et unus homo numeraret vos una die.

Quod reges et principes et potestates saeculares seu temporales sunt a bono Deo et non a diabolo.

„Reges gentium etc. vos autem non sic.“ Erretici, et maxime pauperes Leonistae et Lombardi, haec volunt introducere pro eis, dicentes, quod per haec verba probatur, quod nec reges nec potestates debent esse in ecclesia Dei, et super haec volunt inducere rationes. Unde dicunt, quod reges nec potestates non sint a Deo ordinati, imo sunt contra Deum et in quocunque casu faciunt vindictam peccant mortaliter, quia sunt ordinati a mundo, ab illo mundo, qui est contra Deum, i. e. a mundanis. Unde dicunt: Venit enim princeps hujus mundi et in me non habet quidquam, h. e. dicere, quod isti principes, qui sunt suppositi ei, sunt suppositi magno principi, i. e. diabolo. Sed Catholicus dicit, quod haec est falsissima credulitas, quia principes et potestates sunt ordinati a Deo Patre omnipotenti et non a diabolo.

Forte dicent aliqui erretici, qui credunt humanam generationem creatam a bono Deo: o pessime errator, tu exposuisti super auctoritate Petri, quod fideles debent supponi et esse subjecti ducibus, qui faciunt judicium de malefactoribus, absit autem, quod iste unquam fuerit intellectus Petri, imo fideles sunt contra vindictas, quia vindicta est contra Deum, et debent praedicare, quod facientes vindictam debeant dimittere et debeant eam Deo cujus est derelinquere, et debent praedicare, quod si aliquis percutit te in maxillam, debes volvere aliam. Modo vult quasi appellans haereticus intellectum dicere Petri: dixit Petrus superius: subjecti estote omni humanae creaturae. Nota, quod dicit propter

Deum, i. e. causa humilitatis sive regi sive ducibus, h. e. quia sunt de humana creatura, iste est intellectus Petri et non tuus.

Catholicus vult magis dicere de auctoritate Christi, quae videtur facere pro erreticis; dicit dominus: „reddite etc.“ Dicit erreticus: O miser, haec verba Christi notabilia sunt, nota, quod Christus distinguit inter Deum et Caesarem. Ea quae sunt Caesaris, non sunt a bono Deo, nec Dei, nec e converso; ea quae sunt Caesaris, sunt istae creaturae, ergo potes videre, quod istae creaturae et Caesar sunt a malo Deo.

Forte dicent haeretici, maxime Pauperes, responde mihi, si potes, quia ita ligabimus linguam tibi, quod non poteris obsistere. Scriptum est secundum Matthaeum et Lucam, quod contentio erat inter apostolos, quis eorum esset major; Christus cognoscens, quod errabant, statim dixit: Reges gentium etc., ergo habemus manifeste, quod nec reges nec principes debent esse in ecclesia Dei. Quare ergo, o stulte, persequeris ecclesiam Dei? bene potes cognoscere, si haberes sensum, quod stultus es; ergo potes videre, quod istae vindictae non sunt a Deo.

O miseri Pauperes haeretici, si Deus non ordinasset potestates causa justitiae et rationis et vindictae malefactorum, quare ordinasset eas? quasi dicat pro nihilo, quod falsum est.

Forte dicent Erretici: o falsator, magna falsitas scripta est per te, unde nos credimus, quod quis non responderet tibi, alioquin illi, qui sunt illuminati, efficerentur caeci pro dicto tuo, et ideo volumus destruere stultitias tuas ad hoc, ut populus non decipiatur, et volumus finire disputationem et credimus, quod auctoritas erit ita fortis, quod responsio tua judicabitur quoddam taedium etiam idiotis. Audiant audientes et notent. Scriptum est apud Matth.: Simile factum est etc., ista similitudo exposita est per Christum: per zizaniam intelliguntur mali et per triticum sancti. Servi petierunt a Deo, si volebat, ut irent ad colligendum; audi modo, miser, quod ista est substantia facti. Dominus prohibuit,

quod non deberent exstirpare modo, imo deberent permittere crescere utraque usque ad messem, et messis exposita est per Christum consummatio saeculi. Ideo quasi miser potes videre, quod in praesenti vita aliquis in aliquo casu non debet occidere, nec facere aliquam vindictam temporalem; imo Christus debet facere in consummatione saeculi, ergo obmutesce.

O vos Cathari, respondeatis; vos dicitis, quod estis ecclesia Dei; igitur zizania debet esse inter vos seu peccatores, quia ostensum est, quod debent esse in ecclesia Dei. Sed secundum quod dicitis, zizania inter vos non est, quia dicitis, quod estis omnes boni, et si aliquis malus est, dicitis, quod privatim est non cognoscendo, et si peccatum venit in publico, excommunicatis eum et expellitis. — Et dicitis, quod in ecclesia Dei non debent esse peccatores, et si sunt, privatim sunt non cognoscendo.

Forte dicent Erretici: bene credimus, quod tu credis nos vicisse, sed deceptus es. Petrus usus fuit gladio temporali et incidit aurem servo; si gladius materialis fuisset licitus, in meliori modo non potuisset esse usus, quum usus fuit illa hora, quando Christus secundum quod homo verberabatur et tradebatur contra rationem; igitur potes videre, si gladius materialis fuisset a Christo vel a Deo patre, non reprehendisset Petrum, imo confortasset eum, et ideo voluit, quod ecclesia non uteretur, quando Petrus percussit. Respondit Catholicus: Probavit Catholicus in hoc libro, quod gladius, quo Petrus usus fuit, materialis fuit et auris materialis; quare istam probationem fecit? ideo quia Albanenses non credunt, quod fuisset auris materialis, dicendo: Si confiteremur, quod fuisset materialis, diceremus, quod homo fuisset factus et creatus a bono Deo, quod non credimus, quia bonus Deus non sanasset opera diaboli, et ideo credimus, quia loquitur de alia auricula et de alio gladio.

Forte dicent Albanenses, qui credunt duo principia contraria ab aeterno: O secutor bestiae, bonus defensor es ecclesiae, secundum quod credis de ista generatione, et nemo posset se defendere de te per divinam scripturam; sed tu

es deceptus et caecus non intelligendo, sed forte videbis adhuc aliud, quod nunquam vides. Dicit Dominus in parabola de zizania in expositione sua: ager est mundus, et tu credis de isto mundo, et in hoc es deceptus, quia non potes cognoscere veritatem. Absit enim, quod Christus unquam intelligeret de isto mundo; quare? quia non est suus, imo est diaboli. O stulte, quomodo potes tu intelligere, quod semen seu sancti fuissent seminati in isto mundo; quia iste mundus plenus est foetore; unde intelligas ea quae dicemus tibi. Nos intelligimus de alio mundo, et in illo fuit factum illud magisterium, et non in isto, non tantum illud magisterium, sed omnia alia, et sunt magisteria spiritualia et non temporalia, et ideo es caecus non intelligendo. Tu credis de isto mundo, et nos de superiori seu de coelesti. Modo videatur noster intellectus et tuus et videbitur, quis erit melior. In illo mundo de Deo patre omnipotenti vel de suo filio, quod idem est, ille vere est suus ager, et suus mundus, et suum saeculum, et in illo agro filius Dei seminavit bonum semen, scilicet ss. angelos, archangelos, Cherubim et Seraphim etc., filius Dei seminavit istud semen, et filius mali Dei superseminavit malum semen contra voluntatem filii Dei, quia de isto mundo ascendit in coelum cum magno exercitu i. e. cum suis angelis, et ibi superseminavit istud semen, ita quod angeli istius permiscuerunt se cum illis occasione seducendi eos. Ergo videant sapientes, quia nostra melior est et pulchrior sententia, et tua turpis est et corrupta et falsa.

O Albanenses, catholicus vult adhuc confirmare suam sententiam ad hoc, ut populus cognoscat truphas vestras et vestrum bonum, si potest esse. Vos praedicatis et creditis, duos creatores esse ab aeterno et quod sunt contrarii et magnum proelium est inter eos, et quod unus pugnat contra alium, et perdat alium, sicut plus possunt et privatim et publice. Si ita est, uterque est dominus pro se et est dominus de suo regno, et creaturae suae et filii eorum debent esse subditi eis, et si malus Deus fecit proelium contra bonum Deum et habet voluntatem percutiendi eum, tunc non

peccat. Quare? quia non est sub suo regimine, nec sub suis praeceptis, nec est sua creatura. — O Albanenses, ideo cecidistis in errorem, quia videtis malitias et peccata hujus mundi, et ideo quia ecclesia dicit, quod erat unum bonum tantum, scilicet Deus, argumentamini contra eam dicentes: unde venit peccatum? in hoc estis decepti et caeci, quia creditis plus cordibus vestris, quam scripturae divinae.

Forte dicent Albanenses: diabolus semper fuit malus apud patrem suum, et tu dicis, quod in initio fuit bonus; non est ita, quod probo: Dominus dicit (Jo.: non est veritas in eo). O stulte imitator bestiae, nota, quod dicit, in veritate non stetit etc., quod est hoc dictum? hoc est dicere, quod nunquam fuit in veritate, imo semper contra veritatem fuit. In Christi nomine amen. O Albanenses, vos praedicatis duos deos, duos populos et duo regna sine principio et quodlibet horum duraturum in perpetuum; ergo sunt potentia, sapientia et ingenio pares, unus in bono, alius in malo, quia si alter esset potentior altero seu sapientior aut ingenuior, alter non posset ei resistere, ergo vinceret eum et regnum ejus ab eo auferret, et non cessaret, quamdiu eum destrueret. — O Albanenses, vos praedicatis, quod malus Deus misit nuntium suum vel nuntios suos in regnum boni Dei, et ibi fuit magnum proelium, et non valentes resistere Michaeli Archangelo projecti fuerunt de illo regno, sed tamen ceciderunt cum multitudine animarum boni Dei, quas ipse malus Deus carceravit in corporibus humanis, pro quibus restaurandis bonus Deus misit filium suum in hunc mundum, qui mortuus, crucifixus et martyrizatus fuit in hoc mundo; sic enim praedicatis populo simplici. Scimus tamen, quod creditis de Christi morte. — O Albanenses, similitudo, quam ponitis solis et sphaerae, non est pro vobis, imo potius contra vos. Unde illa similitudo pertinet filio Dei et non alicui creaturae, quia sicut sphaera est a sole et de sole et de substantia solis, et a sole non discedit, nec recedit, et quamvis sphaera hic luceat, unum tantum est cum sole.

O Albanenses, modo quaero a vobis, si beatus Deus

scivit, quando malus Deus misit exercitum suum in regnum beati Dei ad proeliandum, ad tradendum, ad decipiendum et occidendum. Si dixeritis non, contra: ergo jam sequeretur, quod animae sanctae boni Dei, quae in mundo isto agunt veram poenitentiam, essent sapientiores beato Deo, et hoc probo: quia cognoscunt inimicos suos seu carnem, mundum et diabolum, et ita sunt animatae contra illos caritate et amore Christi, quae non possunt intrare in ipsis; ergo falsa sunt, quae dicitis: Si dixeritis, quod scivit ad hoc, ut omnes caperet et incarceraret, ergo beatus Deus fuit deceptus, quia non fuit (fecit?) sic, quod falsum est. Praeterea si dixeritis, quod beatus Deus permisit eos intrare in regnum suum ad hoc, ut reciperet et recuperaret vi de regno mali Dei et angelorum ejus omnes, quos ipse malus Deus cum suis angelis caperet de illis boni Dei, ut ibi ostenderet potentiam suam, contra: quamvis sint aequaliter potentes in contradicendo unus alteri, tamen sequeretur ex hoc facto, quod bonus Deus esset minus potens et stultus, quia misit filium suum, ut occideretur et pateretur tam horribiles poenas ad hoc, ut recuperaret illas animas; ergo non est ita, ut dicitis. Praeterea si dixeritis, quod bonus Deus bene scivit, quando ipsi intraverunt in regnum suum, sed non erat ita armatus cum suo exercitu, ut posset se defendere, ideo vi intraverunt; contra, quia jam sequeretur, quod bonus Deus longe esset minus potens, quod nefas est dicere. — O Albanenses, quomodo credendum est, ubi est tota curia coelestis cum Deo Patre, quod malus Deus potuisset misisse exercitum suum in regnum beati Dei et fecisse ibi magnum proelium et occisionem et traxisse deorsum in regnum suum magnam multitudinem animarum populi boni Dei in hunc mundum, quum una anima de regno boni Dei tracta et carcerata carceribus mali Dei superet totum exercitum supradictum diaboli vel mali Dei.

O Albanenses, si quis quaerit a vobis, utrum animae vadant de corpore in corpus, vos respondetis, quod non, et quamquam habetis hunc intellectum, quod animae vestrae, quae faciunt poenitentiam et cognoscunt veritatem, non ibunt

amplius de corpore in corpus, sed ibunt sub altare Dei. O Albanenses, vestrae animae, quae sunt sine principio, ut dicitis, ubi tamdiu steterunt ad cognoscendum veritatem? forte quaelibet illarum jam stetit in tot corporibus, quod possemus dicere quasi innumerabilibus. Forte dicet aliquis, o catholice, tu fecisti mentionem superius de duobus crucificamentis, videlicet filii boni Dei et filii mali Dei, sed dicunt Albanenses: non est ita, quia nos credimus unum crucificamentum, scilicet filium boni Dei. Respondit Catholicus: verum est, quod dicunt hoc, sed quia credere duo crucificamenta est unum de secretissimis eorum, ipsa duo crucificamenta palam populo praedicare non attentant, ne populus scandalizaretur, unde super hoc intelligatis rationem, quia credunt duo crucificamenta. Si bonus Deus misit filium suum in hunc mundum ad recuperandum animas suas, et ideo idem filius sustinuit tormentum et opprobrium et dedecus, et hoc intelligatis secundum humanitatem, quia fuit verus homo, et si malus Deus non misit filium suum in coelestem patriam ad sustinendum simile tormentum, sicut sustinuit et passus fuit filius boni Dei in isto regno, sequitur ex necessitate, quod malus Deus et filius suus sit majoris potentiae et virtutis, quam bonus Deus et ejus filius, quod falsum est. Item sequitur, quod sunt duo crucificamenta. Si unus Deus esset fortior et potentior et sapientior altero etc., istud proelium et lis esset finitum et devictum millia millium anni sunt. O Albanenses, sicut audivi, quod male sentitis de isto verbo, quia dicitis: utinam ille non sit nobis adjutor in animabus nostris, qui dixit illud verbum: tristis est anima mea etc. Forte dicent Erretici: O bestiolae sequentes bestiam, vos tegitis naturam bestiae cum cauda, sed nos ita detegemus eam, quod omnis homo poterit legere in illo brevi. O miser Catholice, nota diligenter: secundum Matthaeum dicit Dominus Jesus loquendo de duabus arboribus: bona arbor etc. Igitur quomodo dubitatis vos, quod non sint duo principia contraria, quia bonum est contrarium malo et malum est contrarium bono, et si tu vis dicere, quod istae duae arbores non significent duo principia con-

traria, sive non sint, hoc planum est, quod una intelligitur in bona parte et alia in mala. Igitur illa quae intelligitur in bona parte est a bono principio, et ea quae intelligitur in mala parte est a malo principio; ergo habes manifeste duo principia contraria, si bene intelligis.

O Albanenses, quia videtis mundum sic corruptum et in eo tam gravia, istis verbis multum utimini, cum praedicatis populo simplici, scilicet quomodo posset esse, quod hujusmodi qui faciunt talia et in quibus fiunt, essent a bono Deo? absit, imo potius a malo, et ideo velletis, quod vestra disputatio esset opinio cum opinione sine scriptura; sed ecclesia Romana appellat disputationem sine scripturis stultam quaestionem, et stultae quaestioni non est respondendum.

O Albanenses, o Concorricii et o Bagnolenses, in ecclesia Dei sunt et esse debent septem sacramenta, sine quibus non est, nec esse potest ecclesia Dei. De istis septem non habetis nisi duo, scilicet impositionem manuum et fragmentum panis; sed in fragmento panis non multum vim facitis, et specialiter vos Albanenses, quia panis materialis, quem frangitis, propter hoc non fit melior nec deterior. O Albanenses, o Concorricii et o Bagnolenses, in ecclesia Dei reperitur in N. T., quod debent esse episcopi, presbyteri, diacones praepositi, et hoc vocabulum est in ecclesia Dei. Vestrum vocabulum est episcoporum et filii majoris et filii minoris et diaconum; ponamus, quod filius major et filius minor non contradicatur vobis, ubi est vocabulum presbyteri? O Albanenses, o Concorricii et o Bagnolenses, non videtur, quod cum lacrymis intrinsecis et externis poeniteat vos peccatorum vestrorum praeteritorum, praesentium et futurorum, nec in orationibus nec extra orationes. Non videtur, quod habeatis amorem divinum, quod est maxime crudelissimum.

O miseri tapini, vos multum nugamini de corporibus humanis, cum mortua sunt, et ponitis ea in foveas huc et illuc privatim, ut melius potestis. Ita non fuit factum de corpore Christi, quod fuit ex quatuor elementis. Vos dicetis, quod fuit spirituale corpus, contra: notate, quod fuit se-

pultum secundum morem Judaeorum, ergo potestis videre manifeste, quod erat corpus materiale.

De juramento.

O Erretici, Pauperes Lombardi et Leonistae praedicant et credunt, quod juramentum debebat et potuit esse in V. T., quia Deus docuerat ipsum, scilicet perjurium erat prohibitum, sed dicunt: in N. T. filius Dei prohibuit, scilicet quod aliquis aliquo casu non potest jurare sine peccato mortali. Item sunt alii erretici, qui Cathari appellantur, qui aliter sentiunt de juramento dicendo, quod juramentum tantum prohibitum est ecclesiae, h. e. christianis, sed illis, qui sunt extra ecclesiam, non prohibitum jurare, nec pejerare, nec homicidium facere, quia propter haec non sunt meliores nec deteriores apud Deum, sed si pejerant, scandalum est mundo, et ideo praedicant Concorricii, quod omnes damnati habebunt eandem poenam; et ideo si sunt extra ecclesiam, faciunt, quidquid velint, non nocet adulterari, nec prodest elcemosynas facere, quia debent esse in eadem damnatione. Cathari non concordant in hoc (doctrina de jurejurando) cum Pauperibus. Igitur videndum est de hac divisione. Dicunt Cathari: Audistis, quia dictum est antiquis etc. Ista lex data fuit a truphatore vel a malo Deo; cognoscendo filius Dei sic esse, dedit aliam legem ecclesiae Dei contra istam. Unde sequitur: ego dico vobis etc. Hoc dat intelligere, quod illi qui jurabant faciebant malum, nec mirum, quia erant sub regimine mali Dei, et ideo filius Dei dedit aliam legem contra istam.

Nunc restat videre de resurrectione. Albanenses dicunt: Nos credimus, esse duos dominos ab aeterno sine principio, sine medio et sine fine, et esse contrarios, unum bonum et unum malum. Mundus iste et corpora ista sunt a Deo non bono, et bonus Deus non habet aliquid ad faciendum in istis in aliquo casu, et quod ista corpora morientur et non magis resurgent. Concorricii autem aliter sentiunt, dicentes contra eos: O Albanenses, si vos non creditis bonum esse illum Deum (qui creavit) quatuor ista elementa mundi, et

non adoratis eum et petitis ab eo salvationem secundum hominem interiorem, nescitis, quid petatis, et nihil adoratis, quia non est alius bonus Deus, nisi ille qui creavit quatuor elementa. Nos Concorricii adoramus bonum Deum illum, qui est ab aeterno, et alius non est ab aeterno: et iste noster Deus, quem adoramus, creavit quatuor elementa istius mundi in chaos, sed non divisit simpliciter, sed unus angelus, quem creavit, qui peccavit, qui multos angelos bonos seduxit falsa promissione, qui vocatur diabolus, Satanas, princeps hujus mundi, et iste Satanas divisit elementa istius mundi et omnes istas imagines fecit de creatione boni Dei et istam divisionem fecit permissione boni Dei. Corpus istud morietur et marcescet et amplius non resurget.

Multipliciter erreticorum erroribus improbatis nunc quod de animabus vel spiritibus sentiant intimemus. Dicent Pauperes Lombardi: Credimus, quod spiritus descendat a spiritu et caro a carne, et hoc fit in conjunctione hominis et mulieris, et quod hoc sit verum audite. Dicit filius Dei secundum Joannem 3: „quod natum est ex carne etc.“ ergo potes videre, quod sumus concordes cum filio Dei, tace ergo et noli in hoc contradicere.

O pauperes Lombardi, magistri fixice (physices) non sunt concordes vobiscum dicentes, quod non potest nasci spiritus de spiritu. Physica non est contra divinitatem. Probatur, quod non possitis probare per divinam scripturam ea quae dicitis, nec vos nec nos, quibus credendum est? an nobis an ipsis? non nobis, sed ipsis; quare? quia longo tempore medici habent experimentum, h. e. quia probaverunt, quia, cum mulier habet puerum vivum, ipsi invenerunt eum, et quando mortuus, h. e. sine anima, ipsi invenerunt eum mortuum etc. O pauperes Lombardi, prius fuerunt Concorricii in hac credulitate, quam vos, quia prius fuerunt erretici, h. e. extra ecclesiam, quam vos. O pauperes Lombardi, o Concorricii, mirum videtur de vobis, quia creditis, quod anima descendat ab anima sicut caro a carne. Anima immortalis est, caro vero mortalis, quia anima est simplex et non potest dividi nec incidi nec occidi.

VI.

Joannis et Apostoli et Evangelistae Interrogatio in coena sancta regni coelorum de ordinatione mundi, et de Principe et de Adam. (Codex Vindob. membr. 1137. fol. 158. saec. XIV.)

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Interrogatio Johannis et apostoli et evangelistae in coena secreta regis coelorum de ordinatione mundi istius et de principe et de Adam. Ego Johannes particeps in tribulatione et regno Dei, ut essem particeps, qui et recumbens in coena supra pectus Jhesu Christi Domini nostri, dixi: Domine, quis tradet te, et Dominus dixit mihi: qui intinxerit manum in catino, et introibit in eum sathanas, ille tradet me. Et dixi: Domine, antequam sathanas cecidisset, in qua gloria assistebat apud Patrem? et dixit: in virtutibus coelorum et in trono Patris invisibilis et ordinator erat omnium, et sedebam [1]) ego apud Patrem meum, et ille erat ordinans virtutes coelorum et illos qui secuti sunt Patrem et descendebat de coelis usque ad infernum et ascendebat usque ad tronum Dei invisibilis Patris et custodiebat illas glorias, quae erant supra omnes coelos, et cogitavit volens ponere tronum super nubes et esse similis altissimo. Et cum descendisset in aërem, invenit angelum sedentem super aërem et dixit ei: aperi mihi portas aëris, et aperuit ei, et descendens invenit angelum, qui tenebat aquas, et dixit ei: aperi mihi portas aquarum, et aperuit ei, et descendens invenit totam terram coopertam de aquis [2]) et ambulans per subter invenit duos pisces jacentes super aquas et erant quidem vincti substinentes totam terram per praeceptum Patris invisibilis, et descendens desubtus invenit magnas nubes tenentes pelagum

---

Randbemerkungen: [1]) sedebat.

[2]) Verum est, quod sunt pisces, et non est aliud, sed significant evangelium et epistolam, quae sustinent ecclesiam, sicut illi sustinent terram, quae ecclesia manet in VII columnis id est VII candelabris.

maris, et descendit subtus et invenit suum infernum quod est geenna [3]) ignis, postea vero non valuit descendere subtus propter flammam ignis qui ardebat. Tunc reversus est sathanas retro implens se de malitiis et ascendit ad angelum, qui erat super aërem, et ad illum, qui erat super aquas, dicens eis: omnia sunt mea, si me audieritis, ponam tronum meum super nubes et ero similis altissimo et substolam aquas supra firmamentum istum et ceteras aquas in lata maria congregabo, et postea non erit aqua super faciem omnis terrae, et regnabo nobiscum in saecula saeculorum, et hoc dixit angelis. Et ascendebat ad illos coelos usque ad tertium coelum subvertens angelos invisibilis Patris et dicens singulis eorum: quantum debes Domino tuo? et primum respondit: c. chados olei, et dixit ei: accipe cautionem et sede et scribe l. Et alii dicit: tu vero quantum debes Domino tuo? qui ait: c. chados tritici, et ait illi: tolle cautionem tuam et sede et scribe cito octuaginta. Et asscendebat ad alios coelos ita dicens adscenditque usque ad quartum coelum seducens angelos invisibilis Patris, et exivit vox de trono Patris dicens: quid facis, dejecte, subvertens angelos Patris; factor peccati, cito fac, quod cogitasti. Tunc Pater praecepit angelis suis: deponite stolas et tronos et coronas ab omnibus angelis audientes eum, et tulerunt angeli vestimenta et tronos et coronas omnibus angelis audientes eum. Iterumque ego Johannes interrogavi Dominum dicens, quum sathanas cecidit, in quo habitavit, et respondens dixit mihi: praecepit Pater meus, et transfiguravit se propter elationem suam, et abstulit lumen gloriae suae ei, et facies ejus sicut ferrum fuit fervens [4]) ab igne et [5]) tota species faciei ejus

---

[3]) Vallis Josaphat idem sunt, scilicet oseph et atto et infernus et tartarus et generatio ignis, sed secundum diversas linguas nominantur, non est spiritus neque aliquid vitale, sed locus est, sicut est Bossina et Lombardia et Tuscia.

[4]) . . . . in aliquo malo opere a Domino suo et facies ejus mutatur in alium colorem.

[5]) Mutata est facies ejus sicut hominis, qui amisit lumen, quod habebat, et fuit tenebrosus propter malum, quod cogitaverat.

fuit sicut hominis et habuit VII caudas[6]) trahentes tertiam partem angelorum Dei et ejectus fuit a trono Dei et a vilicatione coelorum et descendens de coelo sathanas in firmamentum hoc nullam requiem poterat facere, neque hi qui cum eo erant, rogavitque Patrem dicens: peccavi, patientiam habe in me, omnia reddam tibi; Pater misertus est ejus et dedit ei requiem facere, quod voluerit, usque ad diem septimum, et tunc sedit super firmamentum praecepitque angelo, qui erat super aërem, et illi, qui erat super aquas. Et elevaverunt duas partes aquarum sursum in aërem et de tertia parte fecerunt l maria, et fuit divisio aquarum per praeceptum Patris invisibilis. Et praecepit iterum angelo, qui erat super aquas: sta super duos pisces, et elevavit capite suo tertiam, et apparuit arida et fuit, quum accepit coronam ab angelo, qui erat super aërem, media fecit tronum suum et medium lumen solis accipiensque coronam ab angelo, qui erat super aquas, medietatem fecit lumen lunae et medietatem lumen diei. Et de lapidibus fecit ignem et de igne fecit omnem militiam et stellas et de illis fecit angelos spiritus, ministros suos secundum formam ordinatoris altissimi fecitque tonitrua et pluvias et grandinem et nivem et misit ministros angelos suos super ea. Praecepitque terrae, ut educeret omne vivens, animalia, arbores et herbas. Et mari praecepit, ut educeret pisces et aves[7]) coelorum. Et cogitavit facere hominem in servitio sibi et tulit limum de terra et fecit hominem similem sibi. Et praecepit angelo secundi coeli introire in corpus luti et tulit de eo et fecit aliud corpus in forma mulieris praecepitque angelo primi coeli introire in illum. Angeli ploraverunt multum videntes super se formam mortales esse in divisis formis, praecipiebatque eis carnalia opera facere in corporibus luti, et illi nesciebant

---

[6]) Septem caudae VII peccata sunt vel vitia, quibus adhuc seducit homines, scilicet mendacium, adulterium, rapacitas, furtum, blasphemia, invidia, dissensio.

[7]) Volucres et pisces non habent spiritum nec bestiae, neque habent spiritum hominis, sed volucres et pisces ab aquis et aëre et bestiae a terra et aëre recipiunt, quod habent.

facere peccatum. Initiator autem peccati cum sua seductione ita fecit: plantavit paradisum[8]) et misit homines intra et praecepit eis, ne comederent ex eo. Diabolus introivit in paradisum et plantavit arundinem in medio paradisi et de sputo suo fecit serpentem et praecepit ei in arundine manere et sic diabolus asscondebat sapientiam suae fraudis, ut non viderent deceptionem suam, et introibat ad eos dicens: de omni fructu comedite, qui est in paradiso, de fructu iniquitatis ne comedatis. Postea malignus diabolus intrans in serpentem malum et decepit angelum qui erat in forma mulieris et effundit super caput ejus concupiscentiam peccati, et fuit concupiscentia Evae sicut fornax ardens.

Statimque diabolus exiens de arundine in forma[9]) serpentis fecit concupiscentiam suam cum Eva cum cauda serpentis, ideo non vocantur filii Dei, sed filii diaboli et filii serpentis, voluntates patris facientes diabolicas usque ad saeculi finem. Postea diabolus effudit suam concupiscentiam super caput angeli, qui erat in Adam, et ambo inventi sunt in concupiscentia luxuriae simul generando filios diaboli et serpentis usque ad consummationem saeculi. Et postea ego Johannes interrogavi Dominum dicens, quare dicunt homines: Adam et Eva a Deo sunt formati et in paradiso positi fuerunt custodire mandata ejus, et ipsi propter transgressionem praecepti Patris morti traditi sunt, et Dominus dixit mihi: audi, Johannes carissime, insipientes homines sic

---

[8]) Plantavit paradisum id est ortum fructiferum XX arboribus, scilicet nucibus et malis perimicis et cotanis et aliis pomis et inte et circumdedit omnia paradisino igne et misit intus Adam et Evam et adhuc manet ad deceptionem hominum, qui credunt ea esse bonum locum, sed malus est, intis vetita non fuit mors, sed diabolus latenter misit saporem suum in —, ut posset decipere eos, non tamen esset liberatus a morte, si non comedisset, sed diabolus fecit hoc totum, ut decipiat homines.

[9]) Serpens non fuit ut serpens, sed sicut homo; fecit enim se sicut pulerum adolescentem et per praeceptum diaboli introivit in paradisum per — canam et decepit mulierem et fornicatus est cum ea cum cauda, quod diabolus, cum dormiret, ceeidit de bava ejus, ex illa creatus est ille serpens.

dicunt, sed quum in praevaricatione Pater meus lutea corpora fecit, sed de Spiritu sancto omnes virtutes coelorum fecit, ipsi autem propter transgressionem et propter causam eorum inventi sunt habentes lutea corpora et morti traditi sunt. Et adhuc ego Johannes interrogavi Dominum dicens: Domine, quomodo incipitur homo de Spiritu in corpore carnali, dixitque mihi Dominus: de lapsis spiritibus coelorum ingrediuntur in corpora feminea lutosa et carnem accipiunt de concupiscentia carnis, et nascitur spiritus de spiritu et caro de carne, et ita finitur regnum sathanae in hoc mundo. Et interrogavi Dominum dicens: usque quo reguabit sathanas in hoc mundo super essentia hominum? dixitque mihi Dominus: Pater meus permisit illi regnare VII dies, qui sunt septem secula. Et iterum ego Johannes interrogavi Dominum dicens: quale erit hoc saeculum, dicens et dixit mihi: ex quo cecidit diabolus de gloria Patris et propriam gloriam voluit seditque supra nubes et posuit nubes ministros suos ignem urentem et interea homines ab Adam usque ad Enoch et misit ministrum suum et assumpsit eum supra firmamentum et ostendit illi deitatem suam et praecepit illi dari calamum et atramentum et sedens scripsit septuagiuta VI libros et praecepit ei, eos deferri in terram, detulit autem Enoch libros et tradidit filiis et docuit, eos facere formam sacrificiorum et locum sacrificiorum, et fecerunt ita et clauserunt regnum coelorum ante homines, et dicebat eis: videte quia ego sum Deus, et non est alter Deus praeter me. Ideo misit me Pater meus in mundum istum, ut manifestem nomen meum hominibus, et ut cognoscant eum et malitiosum diabolum. Cum autem cognovisset sathanas, quod descenderem in hunc mundum, misit angelum suum et accepit de tribus arboribus et dedit Moysi prophetae ad crucifigendum me, quae ligna [10]) mihi custodiuntur usque nunc, et ipse an-

[10]) etiam fuerunt ligna illa, cum quibus divisit mare Moyses, cum autem venerunt filii Jsrael ad aquas amaras quas qui gustabant moriebantur. Erat tunc angelus Moysi dicens: tolle ligna et junge insimul et planta ea juxta aquam dicens, ista ligna erunt salus mundi et defensio mundi, remissio peccatorum mundi . . . . . erit confessus in

nuntiabat ei deitatem praecepitque ei legizare filiis Israel, et ita eduxit eos per siccum per medium maris. Quum cogitávit Pater meus mittere me in mundum istum, misit ante me angelum suum per Spiritum sanctum, ut reciperet qui vocabatur Maria, mater mea, et ego descendens per auditum introivi et exivi, et scivit sathanas, princeps hujus mundi, quod ego veni quaerere et salvare quae perierant, misit angelum suum Elyam prophetam baptizantem in aqua, qui vocatur Johannes Baptista. Elyas autem interrogavit principem hujus mundi, quomodo poterit eum cognoscere, et ipse dixit ei: supra quem videritis Spiritum sanctum descendentem in specie columbae et manentem supra eum, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto et igni. Ideo hoc dicebat Johannes, quia non cognoscebat eum, sed ille qui misit me baptizare in aqua, ille dicit ei: testificatur Johannes, ego baptizo in aqua in poenitentia, ille autem baptizat nos in Spiritu sancto in remissionem peccatorum, ille est, qui potest perdere et salvare. Et iterum ego Johannes interrogavi Dominum: potest homo habere salvationem per baptismum Johannis? Sine meo baptismate, quo baptizo in remissionem peccatorum, inquam solum, nullus potest habere salvationem Dei, ex quo ego sum panis vitae descendens de septimo coelo, quod qui manducat carnem meam et bibit sanguinem, hi filii Dei vocabuntur. Et interrogavi Dominum, quid est caro tua et quid est sanguis tuus, et dixit mihi Dominus, antequam cecidisset diabolus cum tota militia angelica Patris, angeli Patris orantes glorificabant Patrem meum hanc orationem dicentes: „Pater noster, qui es in coelis,[11]) ita hic cantus ascendebat ante tronum Patris, sed angeli, ex quo ceciderunt, jam non

---

illo, qui . . . enim de Maria virgine, quod significat fidem sanctae trinitatis; quicunque enim crediderit in fidem sanctae trinitatis, salvus erit, sicut homines bibentes postea illam aquam per plantationem illam salvi fuerint.

[11]) Cantabant angeli hanc orationem dicentes, sed Pater noster non ideo dixerunt, quod ipsi peccata haberent, sed Pater providens nostra delicta futura, qui nos dicturi eramus hanc orationem, sic placuit ei esse dicendam.

potuerunt glorificari Dominum in hac oratione. Et iterum interrogavi Dominum: quomodo totus mundus accepit baptismum Johannis, tuum autem non omnes accipiunt. Respondit mihi Dominus: ideo, quia opera eorum mala sunt, et non veniunt ad lucem; discipuli Johannis nubunt et nubuntur, discipuli autem mei non nubunt, nec nubuntur, sed sunt sicut angeli Dei in coelo in regno coelorum. Et ego dixi: si ita est peccatum cum mulieribus, non expedit nubere. Et Dominus ait: non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est; sunt enim eunuchi, qui de ventre matris sic nati sunt, et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, et sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum. Et postea ego interrogavi Dominum de die judicii, quod signum erit adventus tui, et respondens Dominus ait, et erit, cum consummabitur numerus justorum secundum numerum coronarum cadentium, tunc solvetur sathanas de suo carcere habens iram magnam et faciet bellum cum justis, et clamabunt justi ad Dominum Deum suum, et statim praecipiet Dominus Deus archangelo, ut tuba cantet, et exiet vox archangeli de coelis et usque ad inferiora audietur, et tunc obscurabitur sol [12]), et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelis et solventur. . . .[13]) Venti magni a constitutione eorum, et tremet terra et mare montesque et colles insimul, et tunc revelabitur signum filii, et plangent omnes tribus terrae, statimque coelum tremet et obscurabitur, et sol lucet usque ad horam nonam, et tunc manifestabitur filius hominis in gloria sua omnesque sancti et angeli cum eo, et sedes ponentur supra nubes, sedebitque supra sedem gloriae suae cum XII apostolis super XII sedes suae gloriae, et libri aperientur, et judicabit omnes gentes orbis terrae, tunc praedicabitur fides, tunc mittet filius hominis angelos suos et colligent electos suos a summis coelorum

[12]) Quatuor venti reges sunt, qui persequentur ecclesiam, quae tunc erit, et alios bello occident, sine misericordia.

[13]) Sol, id est, princeps et tronum suum; luna, id est lex Moysi, stellae spiritus sui ministri, quod apostoli non habebunt locum ut p. . regnare, sed Christus filius Dei, qui est sol septuplum, regnabit.

usque ad fines eorum et adducent eos cum sua in omnia mihi super nubem in aërem; tunc mittet filius Dei daemones malos et ejiciet eos cum ira et omnes linguas quae crediderunt in eum, eos ve . . n . . r et . . . . . qui . . . . . manducemus et bibamus et recipiamus et his, qui hic sunt, et videamus, quale adjutorium habebit de his, et confestim omnes gentes ante judicium timidum, et aperientur duo libri et manifestabunt omnes gentes eum praedicatione eorum et glorificabunt justos in sufferentia eorum cum operibus bonis, gloria et honor inaccessibilis custodientibus angelicam vitam, et obedientes iniquitati iram et furorem et angustiam et indignationem accipient, et separabit filius hominis justos suos de medio peccatorum dicens eis: venite, benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum a constitutione mundi, et tunc dicet peccatoribus: discedite a me, maledicti, in ignem aeternum paratum diabolo et angelis ejus, et ceteri videbunt novissimam separationem et convertentur peccatores in infernum. Et per licentiam Patris exibunt de carcere spiritus increduli aliquando et vocem meam audient, et erit unum ovile et unus pastor. Et tunc per licentiam Patris exiet de inferiori terrae obscuritas tenebrosa et geenna ignis et ardebit omnia inferiora terrae usque ad aërem firmamenti, erit ignis affic. . . . . .

VII.

De Pauperibus de Lugduno. (Cod. Vatic. lat. 2648.)

f. 71. Sequitur de vita et actibus, de fide et erroribus haereticorum, qui se dicunt Pauperes Christi seu Pauperes de Lugduno.

Primo est sciendum, quod de secta praedictorum haereticorum alii dicuntur haeretici perfecti et consolati, alii amici eorundem. Item haereticorum perfectorum alii dicuntur sandaliati, alii Novellani. Sandaliati sunt illi, qui sacerdotes, magistri et rectores dicuntur totius haereticae pravitatis et possunt, ut asserunt, conficere opus Christi sicut catholici sacerdotes. Item sandaliati non tenent pecuniam, et

sotulares decollatos seu perforatos super pedes in dictis sandaliis. Et quodquod per ipsos sandaliatos ordinatur, constituitur vel etiam praecipitur, ab omnibus inferioribus irrefragibiliter observatur, et eisdem tanquam capitibus obediunt. In ipsa secta homines et mulieres recipiuntur et fratres et sorores nuncupantur. Non possident aliqui immobilia, sed propriis renuntiant et sequuntur paupertatem. Non laborant, nihil acquirunt vel lucrantur, unde valeant sustentari. Sed de bonis et eleemosynis suorum amicorum et credentium sustinentur et vivunt studiis cum magna sollicitudine inhaerentes. Item amici eorundem et credentes possident immobilia et utuntur conjugio, mercantur, negotiantur, acquirunt etiam et lucrantur et per ipsos haereticos perfectos visitantur, praedicantur et reducuntur ad credulitatem eorum, prout inferius apparebit.

Secundo dicendum est, quod praedicti haeretici tenent, credunt et docent suis credentibus amicis septem articulos fidei, et septem etiam sacramenta, et alia pro majori parte, quae Catholici credunt, exceptis erroribus, qui sequuntur. Non credunt, quod D. Papa tantam potestatem habeat in terris, quantam habuit b. Petrus, nisi ita bonus esset et sanctus, ut b. Petrus erat. Item non credunt, esse purgatorium nisi duntaxat in hoc mundo. Item non credunt, quod eleemosynae vel orationes proficiunt animabus defunctorum. Item non credunt, quod alicui liceat sine mortali peccato in aliquo casu de mundo hominem occidere vel jurare. Item credunt, quod alter alteri sua peccata valeat confiteri juxta autoritatem b. Jacobi. Item credunt, quod illi, qui inter eos in sandaliatos ordinantur, possunt ita bene opus Christi conficere sicut catholici sacerdotes.

Tertio sciendum est, quod praedicti haeretici in diversis locis, provinciis et regiminibus hujusmodi, tam in Alamannia, quam in aliis partibus commorantur per domos et familias, duo vel tres in uno hospitio cum duabus vel tribus mulieribus, quas suas uxores esse fingunt vel sorores. Aliquot antiquae mulieres sine hominibus in hospitiis commorantur, sed per alios haereticos saepe et saepius visitan-

tur et eis alimenta praeparantur. Talem in hospitiis vitam ducunt. Surgunt — — multorum, dicunt, quod orent pro regibus et ducibus et gubernatoribus, scilicet ut Deus concedat eis ita mundum gubernare, quod sit ad suam gloriam et eorum salutem vel verba consimilia. Item orant pro inimicis et persecutoribus eorundem, ut ad poenitentiam per Dei adjutorium convertantur vel verba similia, et pro omnibus dicatur septies vel decies Pater noster. Facta oratione ille, qui regit hospitium, primo surgit et dicit: Deus sit nobiscum, si sibi placet. Post hoc illi tam homines quam mulieres, qui scripturam volunt addiscere, recipiunt a suis doctoribus lectionem, et lectionibus receptis et pluries repetitis faciunt postea id quod volunt, et mulieres cibaria praeparant. Si aliquod offendant peccatum in aliquo, coram omnibus hospitii projiciunt se in terram postulantes veniam, et tunc eriguntur a circumstantibus, et poenitentia eis datur. Ante prandium ponunt se ad orationem, ut superius continetur, et pluries in die: in prandio ille, qui regit hospitium, benedictionem prandii facit in hunc modum, dicendo benedicite, et alii respondent: Deus, et praeterea dicitur Pater noster, qua completa dicit rector hospitii materna lingua: Deus, qui benedicere (voluit) quinque panes ordeaceos et duos pisces in deserto, benedicat cibum et potum et personas qui recipient, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Quandoque per illum, qui regit hospitium, praedicatur in prandio vel in coena, et facta praedicatione regratiatur eidem per aliquem circumstantem, et sua praedicatio confirmatur. Post prandium agunt gratias et rector hospitii dicit materna lingua: Benedictio et claritas etc. et: retribue etc. Et iterum ponunt se ad orationem, ut supra. Familiares hospitii peccata sua rectori suo confitentur, quando volunt, non tamen ad hoc compelluntur, nisi velint. Si aliqui credentes vel amici eorum ad hospitium veniunt, fit eisdem magnum festum, et cum magno gaudio recipiuntur et praedicantur et exhortantur in forma superius memorata, et quando confiteri volunt, a rectore seu majore hospitii confitentur, et eis injungitur poenitentia per eundem vel ab alio

de hospitio, si rector non sit praesens. Item cum aliqui haeretici perfecti in una villa habitantes veniunt ad hospitium aliquorum aliorum haereticorum perfectorum in alia villa commorantium, in adventu ipsorum dant sibi ad invicem osculum pacis, homines hominibus, mulieres mulieribus, et sic faciunt in recessu.

Quarto sciendum est, quod praedicti haeretici perfecti semel in anno in quadragesima vel circa celebrant concilium vel capitulum generale in aliquo loco Lombardiae vel Provinciae, vel in aliis regionibus, in quibus sandaliati vel eorum aliqui commorantur, et hoc fieri consuevit potius in Lombardia quam alibi. Ad quod concilium veniunt tres vel quatuor haeretici perfecti de Alamannia habentes secum aliquem clericum vel alium interpretatorem, et fingunt aliquo modo, se velle apostolorum Petri et Pauli limina visitare. In quo quidem generali concilio seu capitulo quasi omnes haeretici hospitiorum gubernatores congregantur. In quo etiam capitulo credentes non admittuntur, nec perfecti haeretici juvenes, nec mulieres, quamvis sint perfectae et antiquae, nec aliquis haereticus perfectus, quamvis antiquus, nisi eorum voluntati et obedientiae totaliter sit subjectus et servet immobiliter sectam illam. In praedicto siquidem capitulo tractatur de statu omni dictae sectae, et quaeritur a quolibet, ut audivit de statu familiae suae et qualiter se gubernet, et si fuerint aliqui inobedientes vel rebelles, mittuntur et cum aliis sociis adjunguntur. Item si aliqui haeretici perfecti fuerunt inter eos per longa tempora laudabiliter conversati juxta formam sectae suae et fuerint sapientes in scriptis, efficiuntur in eodem capitulo sandaliati, et ex tunc una cum aliis sandaliatis magistri et rectores et sacerdotes dicuntur. Item in dicto capitulo ordinatur de his, qui in dicta secta cupiunt profiteri et consolari, et illi, de quibus conceditur, postea consolantur, et mansio seu societas assignatur eisdem, in qua permanere debeant illo anno. Item in dicto capitulo deputantur et constituuntur visitatores amicorum suorum et credentium, qui visitare debeant illo anno, et mittuntur duo in qualibet regione seu provincia, in qua

aliqui de eorum credentia conversantur. Item in dicto capitulo parantur pecunia et eleemosynae per amicos et credentes eorundem sibi data et transmissa, quae quidem pecunia juxta ordinationem dictorum sandalicorum distribuitur, et datur cuilibet certa portio pro se et sua familia in victu et vestitu anno venturo sustinenda. Et si aliqui qui regunt hospitia praesentes non fuerint, mittitur eis pecunia per alios, qui in illis partibus morantur, et de Alamannia major pars pecuniae, de qua vivunt et sustinentur, apportatur. Qualiter autem, ignorat iste qui hoc deponit (der Zeuge). Qualiter autem in sandaliatos ordinent, ignorat similiter. Sed audivit, quod discalciantur per alios sandaliatos, et ei creduntur caligae et sotulares super pedes perforati, ut superius continetur.

Quinto est sciendum, quod professio eorum, qui inter ipsos recipiuntur, fit hoc modo: Major seu sapientior de societate seu hospitii, in quo consolandus moraturus est illo anno, seu alius haereticus extraneus, si sibi praesens fuerit et sapientior reputetur, congregatis omnibus tam hominibus quam mulieribus, quae in illo hospitio commorantur, praedicat, et facta praedicatione exponunt illi, qui recipiendus est, omnia quae observantur in dicta secta, et quod oportet illum, qui recipiendus est, credere illud quod superius continetur, et quod de cetero castitatem servet, proprium non habeat, humilitatem et obedientiam promittat et consilio et voluntati ipsorum haereticorum obediat in omnibus et pareat, non mentiatur, non juret, non occidat, nec aliud mortale peccatum faciat pro posse suo, imo antequam aliquod e praedictis offendat, mortem patiatur; quod si praedictum adimplere non vellet, non reciperetur inter eos. Et consolandus respondet separatim, omnia et singula supradicta pro posse suo fideli adimplere et observare, et tunc projiciens se in terram a circumstantibus erigitur et sibi a quolibet datur osculum pacis, si homo fuit, ab hominibus, si mulier, a mulieribus. Et tunc ille, qui sic receptus est, solvet expensas prandii, si (non) habet, non solvet.

Sexto sciendum, quod illi (qui) deputati et ordinati

sunt ad visitandum credentes sic procedunt: petunt enim loca, quae visitare debent, et notificant eis, quod tales fratres veniunt. Et tunc mandatur eisdem per dictos credentes et assignatur certa dies et hora, ad quam venire debeant. Ad quam horam veniunt cum dicto credente, qui conducit eos aliquando de die, aliquoties de nocte. Non faciunt quoad praesens congregationes magnas, sed dictos credentes visitant de hospitio in hospitium, videlicet quoslibet in hospitiis eorum, et ibi in quolibet hospitio manent per duos vel tres vel quatuor dies, aliquoties minus et praedicant, exhortantur et instruunt ipsos credentes in fide et erroribus supradictis, et quod ab infrascriptis abstineant: non occidant, non mentiantur, non jurent, non faciant aliquod, quod sibi nolunt fieri. Item audiunt confessiones ipsorum credentium et eis poenitentias injungunt, et eleemosynas recipiunt ab eisdem et scripturas eis docent. Aliquoties etiam in aliis hospitiis dictorum credentium visitant isto modo, et in pluribus locis perferunt dicti perfecti haeretici suis credentibus et eorum liberis et familiis aliqua jocalia, videlicet zonas, cultellos, achalbenos et acus, ut libentius et familiarius recipiantur. Et dicta visitatio fit potius in hieme quam aestate, quia credentes melius vacare possunt; visitatis credentibus salutant eos ex parte fratrum suorum omnium. Et dicti credentes rogant eos, ut ex parte ipsorum salutent omnes fratres suos et orent ad Dominum pro eisdem. Et sic dicti visitatores credentium cum pecunia et eleemosynis sibi datis ipsa reportant ad venturum capitulum generale, et eadem ibi praesentantes dividunt, prout superius continetur.

VIII.

Auszüge aus dem Codex Vaticanus 4030. (Protokolle der Inquisition in Languedoc, Anfang des 14. Jahrh.)

Ille, qui eum ordinavit diaconum, vocabatur Major, electus a Deo et hominibus; socii elegerunt eum, credentes, ipsum esse bonum, ac post electionem orantes super eum

et imponentes manus super caput ejus, ut acciperet Spiritum sanctum. Statuerunt eum Majorem suum, sicut apostoli fecerunt de Matthia, et ordinaverunt episcopos successores suos. Non voluit dicere, si Major est unus solus vel duo vel tres. Cum Major eorum decesserit, congregant se diaconi et presbyteri in quadam domo, et antiquior in ordine dicit aliis: fratres, nos sumus sine Majore et oportet, quod aliquis ordinatur inter nos, qui habet auctoritatem et scientiam regendi gregem Dei; quia inter nos non esset perfectus ordo, qui consistit in tribus ordinibus, episcopatu, presbyteratu et diaconatu, sine eo, qui debet habere ordinem majoralem, qui ordo est gradus perfectionalis, nec etiam habemus Majoralem, qui nos regat. Et tunc praecipitur alicui ordinis presbyteratus, quod egrediatur extra. Et tunc dicit ille antiquior, nominando illum, quem exire fecerunt: fuit inter nos per tot annos et est homo multum literatus in scientia divina, ut velletis vos, quod, si Deo placet, ipse esset Major noster post Deum, interrogando aliquem post se antiquiorem. Omnibus concorditer et univoce respondentibus, quod placet, quod ille praeficiatur super eos, tunc vocatur ille, qui electus est et ipso renuente et allegante suam insufficientiam, tandem praecipitur ei, quod obediat et servet obedientiam, quam promisit Deo et hominibus, et tunc ipse consentit, licet coactus per obedientiam. Quo facto omnes genua flectunt, dicentes Pater noster, tunc surgunt, et tunc electus confitetur omnia peccata sua in genere et petit a Deo remissionem suorum peccatorum et rogat eum, ut det ei fructuosam facere poenitentiam, et ut faciat eum dignum, quod possit recipere Spiritum sanctum. Ante tamen quam faciat generalem confessionem, confitetur in secreto peccata sua, de quibus recordari potest, alii Majori, si sit ille praesens, et si praesens non esset, mittetur pro eo, si in eorum statu alter Major esset, alioquin confitetur alii Majori, licet ille Major non haberet gradum perfectionalem. Tunc electus flectit genua in medio fratrum et ante Majorem habentem ordinem perfectionalem, si praesens sit, alioquin ante Majorem non ordinatum, et

tunc dictus Major imponit manus de voluntate fratrum super caput electi, orans super eum, ut accipiat Spiritum sanctum, et post eum imponunt manum omnes presbyteri praesentes et diaconi. Et Major habet ordinari in ordine gradus perfectionalis per alium Majorem, qui ejusdem gradus sit, si in eorum statu sit aliquis talis, quod si non esset, tunc presbyter antiquior de voluntate et licentia aliorum presbyterorum et diaconorum electum, qui tunc non induitur aliter, nisi communibus vestibus, sed induitur bonis operibus, jejuniis et orationibus, habet et mitram spiritualem, non tamen corporalem, scilicet auctoritatem regendi a Deo et hominibus, habet etiam baculum pastoralem non corporalem, sed spiritualem, scilicet minas sacrarum scripturarum contra peccatores. Quando Major est ordinatus, ipse potest ordinare et ordinat presbyteros et diaconos in statu suo. Diaconum eligunt fratres; et debet per sex annos et ultra in societate fuisse; Major ordinat eum, orando et imponendo manum super caput ejus, et oratio, quam dicunt, dum ordinatur diaconus, est Pater noster et Ave Maria. Et ipse ordinandus inflectendo genua ante Majoralem et confitendo peccata sua, et Majoralis imponendo manus suas super caput ejus et orando, ut accipiat Spiritum sanctum, et haec fiunt per jejunos. Presbyteri apud eos eodem modo ordinantur per electionem et orationem et impositionem manus Majoralis et aliorum presbyterorum ibidem assistentium. Solus Major vel multi Majores, si praesentes sunt, imponunt manus super caput ordinandi in diaconum, sed in ordine presbyteri Majoralis et omnes presbyteri praesentes imponunt manus super caput ejus, sed in ordine Majoralis imponit manus super caput ejus Majoralis ordinatus in gradu perfectionali et post eum imponunt manus presbyteri et diaconi praesentes. Ipse et alii, qui sunt de statu suo, credunt et dicunt, quod episcopi ordinantes episcopos, presbyteros et diaconos juxta formam ecclesiae Romanae bene faciunt. Et ordinati per eos sunt vere episcopi, presbyteri et diaconi, et si ipse vel aliquis de suo statu reciperet ordinem episcopalem, presbyteralem vel diaconalem ab episcopo sub-

jecto Romanae ecclesiae, crederet, se dictum ordinem recepisse ac etiam Spiritum sanctum.*)

Post electionem ad ordinem diaconatus et manus impositionem facit votum paupertatis, castitatis et obedientiae praedicto Majorali, et si aliquid de dictis votis frangeret, juxta ordinationem Majoralis expelleretur de congregatione ad poenitentiam peragendam, qua peracta per manus impositionem Majoralis reconciliaretur et reuniretur congregationi, non tamen reordinaretur, et si diaconus factus bene se habuit in ordine, quando jam est aetatis perfectae, eligitur et ordinatur in presbyterum. Et deinde potest eligi in Majoralem. Tamen etiam diaconus potest eligi in Majoralem, si prius ordinaretur in presbyterum. Majoralis potest ordinare Majoralem alium, presbyteros et diaconos, potest et alios fratres delinquentes corrigere.

Solum quando aliquis Majoralis vivat, non potest ordinari alter Majoralis in gradu perfectionali, nisi per dictum Majoralem viventem, sed si tantum esset, quod nullus Majoralis viveret, tunc presbyteri et diaconi possunt ordinare Majoralem.

Als er gefragt wurde, warum sie in einem solchen Falle nicht für ihren Majoralis die Ordination eines katholischen Bischofes nachsuchten, antwortete er, quia timent, quod statim caperentur per episcopos subjectos Romanae ecclesiae. Dicit, quod, quia eorum presbyteri et diaconi omnia dimittunt propter Christum, sunt ordinis et gradus apostolici, propter quod sicut apostoli ordinare possunt Majoralem, quando talis casus contingat.

Majoralis eorum potest conficere corpus Christi, ut audivit, non tamen vidit, tamen non tenet illum modum, quando conficit corpus Christi, nec missam celebrat, quem tenent episcopi et presbyteri subjecti Romanae ecclesiae. Presbyteri non conficiunt apud eos corpus Christi, nescit tamen, cur hoc non faciunt.**) Credit, quod raro Majoralis conficiat

*) Hier wird weiter ausgeführt, daß junge Leute in der heiligen Schrift unterrichtet, und dann, wenn sie wenigstens zwanzig Jahre alt sind, zu Diakonen ordinirt werden.

**) Der Majoral, heißt es weiter, thue dabei nur, was Christus gethan.

corpus Christi, praecipue hoc facit in die Paschae, ut communicet se et fratres suos, et adorent corpus Christi, et hoc facit, quia tunc est melius dispositus propter jejunium quadragesimae, quam jejunat ipse et si potest tribus diebus in pane et aqua, et etiam ut dicta die adoretur Christus, qui resurrexit a mortuis. Majoralis sacramentum baptismi vel confirmationis nulli ministrat, sed sufficit ei, quod illa receperint in ecclesia Romana, sed ipse ministrat sacramentum poenitentiae taliter: peccator poenitens genua flectit coram eo, et Majoralis dicit ei: quid fecisti, quae peccata commisisti contra praecepta divina, et tunc ipse Majoralis interrogat eum de peccatis, et ostendit ei per sacram scripturam, qualiter et quantum Deum offenderit, et imponit ei poenitentiam juxta qualitatem et quantitatem suorum peccatorum, et tunc dicit ei: Ego mando tibi ex parte Domini nostri Jesu Christi, qui instituit hoc s. sacramentum poenitentiae in ecclesia sua, confisus de auctoritate b. apostolorum Petri et Pauli, quod tu talem poenitentiam, quam tibi impono, perficias. Et hoc dicendo imponit manum super caput confitentis in significationem illius verbi Domini et etiam nunc in mente hoc verbum habens: super aegros manus imposuit et bene habebant, non tamen dicit: ego te absolvo de peccatis tuis.

Majoralis non ministrat sacramentum matrimonii, nec unctionis infirmorum, nec aliquod aliud sacramentum, nisi sacramenta ordinis, corporis Christi et poenitentiae, non quia non possit ipsa ministrare, sed sufficit eis, qui sunt de statu suo et credentibus eorum, quod alia sacramenta recipiuntur per manus episcoporum et presbyterorum subjectorum ecclesiae Romanae; et omnia septem sacramenta ecclesiae collata per episcopos et presbyteros subjectos ecclesiae Romanae credit, et etiam illi, qui sunt de statu suo, credunt, habere aequalem efficaciam et virtutem, sicut si ministrarentur pro eorum nomine, et quia hoc ipse Majoralis credit, vult, praecipit et cogit dictus Majoralis, quod dicta sacramenta accipiantur per eos ab episcopis et presbyteris subjectis ecclesiae Romanae. (Non voluit respondere, quare

magis vult Majoralis conferre sacramentum poenitentiae, quam baptismum, confirmationem, matrimonium et unctionem extremam.)

Confitentes sunt absoluti a peccatis suis quoad culpam, licet non sint absoluti a poena, quae eis est imposita pro poenitentia, quousque suam poenitentiam perfecerint, quam eis injunxit Majoralis.

Presbyter apud eos potest audire confessiones tam Majoralis, quam presbyterorum et diaconorum et credentium eis, et absolvere ab omnibus peccatis illos, qui ei confitentur, et imponere poenitentias, sed tales casus possunt esse in confitente, quod cum remittat ad Majoralem; presbyter etiam non dat indulgentiam, nec remittit poenam debitam peccatis eorum, qui ei confitentur, quod tamen Major aliquando facit. Presbyter non potest conficere corpus Christi, ut credit, et nunquam hoc faciet, sive possit sive non possit, nec ministrat aliquod aliud sacramentum, nisi sacramentum poenitentiae, et in casu necessitatis, quando omnes Majorales essent mortui, potest ordinare Majoralem in gradu perfectionali, et hoc de auctoritate, licentia et consensu omnium sociorum suorum, tam presbyterorum quam diaconorum praesentium.

Major in die coenae post nonam jam coena praeparata lavat pedes sociorum, quo facto ponit se ad mensam cum eis et tunc accipiens panem, vinum et piscem benedicit, non in sacrificium vel holocaustum, sed in memoriam dominicae coenae, dicens hanc orationem: Domine Deus Abraham, Jsaac et Jacob, Deus patrum nostrorum et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui per manus episcoporum et sacerdotum servorum tuorum jussisti offerri sacrificia et holocausta et oblationes multifarias; Domine Jesu Christe, qui benedixisti quinque panes hordeaceos et duos pisces in deserto et aquam benedicens conversa est in vinum, benedic in nomine Patris et Filii et Spiritus s. panem istum, piscem et vinum, non in sacrificium, nec in holocaustum, sed in simplicem commemorationem sacratissimae coenae Jesu Christi et discipulorum ejus, quia, Domine, non sum ausus tibi offerre

per immundas manus et polluto ore sacrificium episcopi Domini Nostri Jesu Christi Filii tui, summe piissime Pater, sed hunc panem et substantiam piscis et vini, petimus, ut benedicas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Et communicatio hujus panis tanquam simplex hostia tibi placeat, Pater aeterne, et animam meam et corpus meum, omnes meos sensus ita dirige et gressus meos ita dispone, ut illud sacratissimum corpus tibi sim dignus offerre, quod veneratur ab angelis in coelo, qui vivis et regnas etc. —

Qua benedictione panis, piscis et vini facta per unum Majorem comedit ipse et bibit de dictis et postea dat omnibus sociis et comedunt et bibunt omnes, et non datur aliquid de praedictis credentibus eorum, nec etiam volunt, quod hoc ipsi sciant. Et licet dicatur in dicta oratione: non sum ausus offerre tibi sacrificium sancti corporis et sanguinis Domini Nostri etc., tamen non pro tanto est, quin Major eorum in die paschae aliquando conficiat corpus et sanguinem Christi.

Presbyter apud eos, quando Majoralis non esset, non potest conficere corpus Christi, ut credit, hoc est, quia Major non dat presbyteris potestatem, nisi quod audiant confessiones. Quando absolvunt a peccatis, non dicunt: ego te absolvo etc., sed: Deus tua peccata tibi dimittat.

Diaconi apud eos nihil aliud habent facere, nisi quod ministrant necessaria ad comedendum et ad alias corporis necessitates Majorali eorum et presbyteris. Diaconi sunt primi in eorum statu, quia nullus est de eorum statu, nisi diaconi, presbyteri et Majoralis. Diaconus apud eos non potest audire confessionem, nec etiam portare in vasculo corpus Domini, sed bene habet potestatem legendi evangelium in ecclesiis, licet hac potestate non utatur. Nullus est perfectus apud eos, nisi ordinatus ad minus in ordine diaconali et qui in illo exsistens fecerit votum paupertatis, castitatis et obedientiae, sed perfectio eorum status consistit magis in statu diaconatus, quam in votis praedictis. Ordinatur aliquis in diaconum solummodo quod sciat Pater no-

ster et Ave Maria et aliter sit homo bonae vitae. Quando fit diaconus, facit dicta vota et tunc est in statu perfectionis. Qui facit votum paupertatis, nihil omnino debet habere, nec in proprio, nec in communi, nec debet vivere de laboribus manuum suarum. Ipsi non crederent, se esse in statu perfectionis, si de laboribus manuum suarum viverent.

Majoralis, qui habet potestatem a Deo, qui dedit eam beato Petro, potest evangelium praedicare sine hoc quod mittatur ab aliquo alio homine ad evangelium praedicandum, et potest dare auctoritatem et potestatem illis, qui sunt de statu suo, praedicandi evangelium.

Majoralis ubique potest praedicare et alia sacramenta ministrare sociis suis. Dixit tamen, quod praedicta facere non posset sine licentia Papae, si cum eo posset convenire, sed quia Papa persequitur eum et suos, idcirco non petit ab eo licentiam faciendi praedicta, sed ipse propria auctoritate, quam habet a Deo, praedicta facit et facere potest.

Major, presbyter et diaconus apud eos non possunt habere uxorem, imo nec etiam audent tangere mulierem cum manibus, nec permitterent etiam, quod mulieres osculärentur manus eorum, nec in camera, ubi jacent, permitterent, quod aliqua mulier jaceret, nisi aliter facere non possent. Interrogatus, si aliquis habens uxorem vellet transire ad eorum statum, utrum reciperent eum, respondit, quod non, ex eo quia est uxoratus. Dixit etiam, quod, si uxor vellet dimittere virum suum et absolvere eum, et vir similiter eam, adhuc eum non reciperent ad statum suum, sed dicerent ei illud Domini: quos Deus conjunxit etc. Et non vidit, nec audivit dici, quod ad statum eorum reciperetur aliquis, qui habuisset uxorem et mortua ipsa haberet pueros de ea. Viduae non recipiuntur apud eos, nec aliquae aliae mulieres, nec cohabitant cum eis. Et non permitteretur alicui de dicto statu, quod staret cum matre, sorore, vel alia consanguinea vel affini.

Tenentur obedire Majorali in omnibus, si non constet, quod praecipiat aliquid, quod sit contra praecepta divina. Interrogatus, si credit, licitum esse ecclesiae, interficere ho-

minem errantem in fide, respondit, quod non est licitum nec justum, quod ipse vel illi, qui sunt de statu suo, interficiantur, posito quod nollent redire ad unitatem ecclesiae Romanae, sed de aliis haereticis, ut puta Manichaeis, credit, justum esse et licitum, quod interficiantur, si nollent redire ad fidem et unitatem ecclesiae Romanae.

Interrogatus, si aliquem reciperent ad statum suum, qui habuisset uxorem, quae tamen jam obiisset, nec haberet filios vel filias de ea, respondit, quod non, quia ipsi dicunt, quod caro superaret ejus rationem, ex quo usus est opere carnali, dum exsistebat in matrimonio, et traheret eum ad opera carnalia, quibus usus fuit, dum erat in matrimonio.

Confessio Raymundi de Costa, diaconi Valdensis.

Credunt, quod si post mortem alterius conjugis conjux supervivens possit vivere caste sine uxore, quod melius est eum sic stare in statu viduati, quam si iterum nuberet, sed si caste vivere non possit, tunc credunt, quod melius est, quod nubat. Licet talem (hominem viduatum) possent recipere in fratrem suum, tamen hoc non faciunt, nec unquam fecerunt, timentes, ne in peccatum carnis laberetur propter pristinum usum, et etiam quia talis non possit addicere.

Credit, quod secundum evangelium et N. T. episcopus vel presbyter non potest habere uxorem, nec posset ordinari, si uxorem haberet, et si ordinaretur, dicta ordinatio esset nulla; et cum ei diceretur, quod apostolus dicit: oportet . . . . unius uxoris viri; respondit, quod illa uxor non intelligitur de muliere uxore, sed de ecclesia, dixit tamen, quod ordinari possit in episcopum vel presbyterum, qui uxorem habuisset, post mortem dictae uxoris, et eodem modo posset fieri de eorum Majorali.

Nullus apud eos habet officium praedicandi, nisi presbyter et Majoralis, et Majoralis potest dare potestatem presbyteris suis praedicandi, in quocunque loco voluerint, suis sociis et credentibus eorum, si essent, praecipit tamen dictis presbyteris, quod inducant credentes eorum, quod obediant curatis suis subjectis Romanae ecclesiae. Et dictam

potestatem acciperet a dicto Papa eorum Major, si posset convenire cum eo, sed quia non potest cum eo convenire, idcirco habet eam immediate a Deo; et bene facit dando presbyteris potestatem praedicandi et eos mittendi, quando mittit, vel misit, licet modo non mittat, quia non habet locum, ad quem mittat, et ipsi modo non habeant populum, cui praedicare possint. Ipse obediret Majorali suo in isto articulo (missionis et praedicationis) et non dicto Papae, quia est suo Majorali adstrictus per obedientiam, et non Domino Papae.

Credit, quod Major non habet claves regni coelorum, sed habet potestatem absolvendi a peccatis eandem et aequalem, quam habent episcopi subjecti Romanae ecclesiae, et presbyteri eorum habent eandem potestatem, quam habent presbyteri subjecti ecclesiae Romanae, quia idem sunt in fide et in credulitate.

Doctrina Majoris est ista, quando mittit presbyteros suos ad praedicandum, quod doceant et inducant credentes eis, quod vadant ad missam presbyterorum subjectorum Romanae ecclesiae, quia ibi audient epistolam, quam Spiritus sanctus dixit per os apostolorum et prophetarum, et evangelium, quod Dominus dixit, et licet haec ipsi non possint intelligere, quod dicuntur in latino, cum bonum est, quod audiant et habeant fidem, quae sunt verba Spiritus sancti; ibi etiam poterunt orare secretius et magis secrete et attente, quam in domo sua, in qua impediuntur negotiis secularibus; in ecclesia videbunt corpus Domini Nostri Jesu Christi, quod adorare debent et rogare, ut eos perducat ad bonum finem et iis dimittat sua peccata; ibi etiam audient Pater Noster, quam, si ignorent, melius poterunt addiscere, et post finem missae accipient benedictionem a sacerdote in nomine s. Trinitatis. Dicit etiam eis, quod inducant credentes, quod, quando erunt infirmi, quod mittant presbyteris subjectis Romanae ecclesiae et confiteantur eis peccata sua et accipiant corpus Domini et extremam unctionem per manus eorum.

Credit, quod ecclesiae debent consecrari juxta illud,

quod factum fuit in V. T., et etiam quia verba divina ibi dicuntur et sacramenta conficiuntur.

Interrogatus, cum ipse credat, quod ecclesia Romana errat in fide, dicendo, quod licitum est jurare, quod tamen secundum eum est illicitum, quia est contra divinum praeceptum de non jurando, si credit, quod stante ecclesia in dicto errore habeat potestatem ministrandi sacramenta, et si ministrata per ipsam habeant efficaciam et virtutem, respondit, quod credit quod ecclesia Romana habet omnia sacramenta et potest ea conferre, quae collata per eam habent efficaciam et virtutem, sicut ministrata per s. Petrum.

Credit, ecclesiam Romanam errare in hoc quod dicit, purgatorium esse et aliquando jurare, licet non multum in hoc secundo articulo credat eam errare, salva sua reverentia, et tamen tam ecclesia Romana quam eorum ecclesia possunt omnia sacramenta ministrare, et sacramenta ministrata per utramque ecclesiam aeque valent et aequalem efficientiam habent.

Credit, quod solus Petrus fuit caput ecclesiae post Christum, et Romani Pontifices sunt et fuerunt caput ecclesiae post Petrum usque ad diem istum, et Major eorum est sub Papa Joanne XXII, et dictus Papa est caput ejus.

Audivit dici a Majori suo et aliis sociis suis et ipse etiam credit, quod, si ecclesia Romana non esset, jam fides omnium sacramentorum et articulorum sublata esset et apratiata (?) ab hominibus et omnes illi, qui nunc sunt Christiani, effecti essent pagani.

Pro tanto eorum Major non vult obedire Papae, quia Papa dicit, purgatorium esse et licitum esse jurare, quae eorum Major negat, et etiam quia Papa non permitteret, quod teneret viam paupertatis, quam elegit tenere ipse et sui.

In collatione ordinis diaconatus Major recipit ad statum suum, qui status vocatur pauperes Christi, ordinatum per eum in diaconum, quia ante receptionem ordinis diaconalis nullus est de statu eorum, sed tunc tam per receptionem dicti ordinis quam per votum paupertatis, quod ibi emittitur, fit homo de eorum statu, et obligatur ad eorum statum.

Si aliquis esset ordinatus ad diaconum vel presbyterum vel episcopum in Romana ecclesia, et ille vellet transire ad eorum statum, eorum Major non reordinaret ipsum; sed talis solus faceret votum castitatis, paupertatis et obedientiae dicto Majori et sociis et obligaret se ad eorum statum, quae obligatio est, quod ipse permittitur, si Deus ei suam gratiam dederit, stare et perseverare in statu eorum usque ad mortem. Et tunc osculatur Majorem et deinde omnes alios socios. Tamen antequam dictum votum faciat, praedicitur ei eorum status austeritas et paupertas ac persecutio, quam pati solent, quibus expositis dicitur ei, quod si potest et vult eorum vitam et statum suscipere, quod suscipiat, alioquin liber recedat. Si habet res, antequam diaconus fiat, oportet quod ordinet de eis et eas det pro Deo faciendo eleemosynas, quia in eorum statu exsistens nihil omnino debet habere. Major nihil omnino habet ut proprium. Et non faciunt testamentum. Et nihil retinet pro crastino, nec, si daretur ei, reciperet, nisi tantum quantum sufficere posset sibi et sociis pro victu et vestitu dicta die, qua ei aliquid daretur, nec habet graminum nec arni (sic) nec terras nec possessiones nec aliquid omnino vult habere, nec reciperet, si ei daretur, nisi victum tenuem et vestitum. Ipse dicit, quod viginti septem anni sunt elapsi, quod recepit esse in dicto statu, licet non continuo residens cum magistro vel sociis.

Joannes Lotaringus, qui erat tunc Minister eorum, fecit eum diaconum, cum quo postea stetit, ab eo addidicit scripturam divinam per duos annos vel circa; et post duos annos dictus Joannes misit eum ad alios socios, ut maneret cum eis et instrueretur in scriptura divina, cum quibus mansit usque ad septem annos vel circa, et per dictum tempus docuit eum Michael Italicus, qui mortuus est, post quos septem annos fuit reversus ad dictum Joannem Ministrum, qui Joannes misit eum ad poenitentiam peragendam. Et post mortem Joannis ipse vidit Christinum, qui fuit Minister Major post Joannem, licet vivente Joanne dictus Christinus esset ordinatus in ordine Majoralis, qui Christi-

nus erat idiota et sine literis, post quem Christinum successit ille in officio Ministri, qui nunc est, cujus nomen noluit dicere, quem dictus Raymundus bene vidit, postquam factus est Minister.

Et Majores non faciunt mansionem in uno aliquo loco, sed Major vadit de loco ad locum, et ipse Raymundus per duos annos ivit cum Joanne, quem multum dilexit et adhuc mortuum diligit, et cum dicto Joanne fuit per Italiam, et illo tempore Joannes praedicabat sociis, quando eos inveniebat in domibus, exponendo eis scripturas, dixit tamen, quod nullum credentem acquisivit, quantum ipse vidit, dum ivit cum eo.

Major non congregat capitulum, in quo socii congregantur, sed notum facit sociis voluntatem suam, non literatorie, sed ipsemet vadit vel mittit aliquem de sociis ad eos, quia scit, ubi quilibet de sociis moratur. Ipse magis stetit cum dicto Joanne, Michaele presbytero et Bartolomaeo diacono et Joanne Moran presbytero, qui omnes mortui sunt, noluit tamen dicere, in quo loco. Ipse contraxit moram in Civitate Vivariensi quasi per duos annos, in Aurisica per unum annum; et ibi studuit in grammatica, postquam fuit diaconus ordinatus in Montepessulano, per unum annum et aliquando intrabat scholas titulatorum fratrum minorum in civitate Agathensi quasi per quindenam, et in Castris de Albigesio fuit in transitu, et postquam fuit in Civitate Appamiensi, ivit bis ad Civitatem Viennensem ad petendam pecuniam, quae sibi debebatur.

Confessio Beatricis Uxoris Othonis de Ecclesia.

Dixit, quod Reges et Principes, praelati et religiosi et omnes alii, qui divitias habent, salvari non poterant, nisi soli illi boni Christiani, et illi morabantur in Lombardia, quia non audebant hic morari, quia lupi et canes persequebantur eos.

Confessio Raymundi de Costa, haeretici Valdensis et diaconi in illa secta.

Interrogatus, si sciebat, quod episcopus, qui eum diaconum fecit, credebat, quod nullo modo deberet homo ju-

rare: respondit, quod nescit, quid dictus episcopus credebat. Sed dixit, quod bene credit et tunc credebat, quod dictus episcopus crederet, quod nullo modo aliquis jurare debebat. Interrogatus, quare credit, respondit, quod pro eo quia audivit dictum episcopum dicere, quod homo nullo modo jurare debebat. Interrogatus, si aliquis alius erat praesens, quando dictus episcopus dixit sibi, quod nullo modo debebat homo jurare, respondit, quod non, nisi ipse et dictus episcopus, qui episcopus monstrando librum evangelii ostendit ei dictum capitulum evangelii, ubi dicitur: ego autem dico vobis non jurare omnino; et tunc dixit ipse Raymundo, quod hoc Domini praeceptum totaliter observaret, si volebat intrare paradisum. Interrogatus, si ille, qui ordinavit eum diaconum, vocabatur episcopus, respondit, quod vocabatur Major electus a Deo et hominibus. Interrogatus, quomodo erat electus a Deo et hominibus Major praedictus, respondit, quod socii elegerunt eum, credentes, ipsum esse bonum et catholicum ac bonum clericum, et post electionem orantes super eum et imponentes manus super caput ejus, ut acciperet Spiritum sanctum, constituerunt eum Majorem suum, quemadmodum apostoli fecerunt de Matthia et apostoli ordinaverunt episcopos successores suos. Interrogatus, si ipse fuit praesens, quando dictus Major sic fuit ordinatus: respondit, quod non, nec etiam fuit in ordinatione alicujus Majoris. Interrogatus, si sunt multi tales Majores apud eos; vel est unus solus, vel duo, vel tres: respondit, quod non sunt multi, nec voluit dicere, si erat unus solus, vel duo. Interrogatus, si dictus Major eorum est subjectus D. Johanni, summo Pontifici, qui nunc regit ecclesiam Romanam, dixit, quod Major eorum nec accipit suam potestatem, nec jurisdictionem a D. Johanne Papa, nec a summo Pontifice. Interrogatus, quomodo vocatur Major eorum, vel ubi moratur, vel in quo loco fuit factus Major, noluit respondere, dicens, quod hoc scire non pertinebat ad salutem animae, quia ex hoc posset scandalum oriri, et vae homini, per quem scandalum venit. Interrogatus, si scit modum, quo ordinatur eorum Major, respondit, quod ordinatur illo

modo, quo Matthias fuit ordinatus per apostolos; nam cum Major eorum decesserit, congregant se diaconi et presbyteri eorum, et cum sunt congregati in aliqua domo, dicit antiquior in ordine aliis: fratres, nos sumus sine Majore, et oportet quod aliquis Major ordinetur inter nos, qui habeat auctoritatem et scientiam regendi gregem Dei, et oportet quod eligamus eum, ut fecerunt apostoli de Matthia, quia inter nos non esset perfectus ordo, qui consistit in tribus ordinibus, scilicet episcopatus, presbyteratus et diaconatus, sine eo, qui debet habere ordinem majoralem, qui ordo est gradus pontificalis; nec etiam habemus Majoralem, qui nos regat post Deum. Et tunc praecipitur alicui ordinis presbyteralis, quod egrediatur extra. Et tunc dicit ille antiquior, qui primo locutus fuerat: talis, nominando illum, quem exire fecerunt, fuit inter nos per tot annos; est homo multum literatus in scriptura divina, est etiam sapiens homo et bene regens; et postquam fuit nobiscum, scimus eum juste, sancte et honeste vixisse et conversatum fuisse, sicut homo plenus Spiritu sancto secundum illa, quae exterius apparent, et secundum quod homo potest cognoscere et judicare per exteriorem conversationem. Velletis vos, quod, si Deo placet, ipse esset Major noster post Deum? interrogando aliquem post se antiquiorem; qui cum responderit: quod ita, si Deo placet, interrogat eodem modo subsequentem, et sic gradatim usque ad ultimum. Quibus omnibus concorditer et universe respondentibus, quod placet, quod ille praeficiatur super eos, si Deo placet, et quod est bonus et sufficiens secundum illa, quae exterius apparent. Et tunc vocatur per aliquem de fratribus ille, qui electus est, et venit in congregationem aliorum, et tunc ille antiquior praedictus dicit ei: Tu es concorditer per fratres electus, si Deo placet, volumus, quod tu sis Major noster post Deum. Et ipso renuente et allegante suam insufficientiam et quoad scientiam et quoad aetatem, si juvenis sit, et quoad vitam, tandem praecipitur ei, quod obediat et servet obedientiam, quam promisit Deo et hominibus. Et tunc ipse consentit, licet coactus per obedientiam. Quo facto omnes genua flectunt,

dicentes: Pater Noster; et dum dicunt Pater Noster, tenent manus junctas positis pollicibus sub mento; et deinde surgit ille electus et omnes, et tunc electus confitetur omnia peccata sua in genere et petit a Deo remissionem suorum peccatorum et rogat eum, ut det ei facere fructuosam poenitentiam, et ut faciat eum dignum, quod possit recipere Spiritum sanctum. Ante tamen quam generalem confessionem faciat praedictam, confitetur in secreto peccata sua, de quibus recordari potest, alii Majori, si sit talis praesens, et si praesens non esset, mittetur pro eo, si in eorum statu alter Major esset; alioquin confitetur alii Majori, licet ille Major non haberet gradum pontificalem. Quibus confessionibus factis et orationibus dictus electus flectit genua in medio dictorum fratrum et ante Majorem habentem ordinem pontificalem, si praesens sit, alioquin ante Majorem non ordinatum, et tunc dictus Major imponit manus de voluntate fratrum super caput electi, orans super eum, ut accipiat Spiritum sanctum. Et post dictum Majorem imponunt manus super caput ejusdem electi omnes presbyteri praesentes et diaconi et sic, ut dixit, ordinatur dictus Major. Dixit etiam, quod dictus Major habet ordinari in ordine gradus pontificalis per alium Majorem, qui ejusdem gradus sit, si in eorum statu sit aliquis talis; quod si non esset, tunc presbyter antiquior de voluntate et licentia aliorum presbyterorum et diaconorum ordinaret in gradu pontificali praedictum sic concorditer electum. Qui tamen electus, ut dixit, dum ordinatur, non induitur aliter, nisi communibus vestibus, sed induitur bonis operibus, jejuniis et orationibus; habet etiam mitram spiritualem, non tamen corporalem, scilicet auctoritatem regendi a Deo et ab hominibus, qui elegerunt eum juxta illud apostoli: omnis enim pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur ad ea, quae Dei sunt. Quae auctoritas est scientia divina regendi subjectos et vitae sanctitas ac ordinatio supradicta, in qua recepit gratiam Spiritus sancti. Habet etiam dictus Major crossam et baculum pastoralem, non corporalem, sed spiritualem, scilicet minas scripturarum sanctarum contra pec-

cantes, exhortationes sanctas et sustentationes permissionum divinarum, quibus sustententur infirmi juxta illud apostoli: Oportet esse episcopum eum, qui secundum fidem est, amplectentem fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt redarguere. Habet et annulum non materialem, sed spiritualem, scilicet fidei integritatem, qua se et alios cingit, ne a fide deappluant, juxta illud apostoli: sine fide impossibile est placere Deo.

Errores contra ecclesiam Romanam: — Item dixit: ecclesia Romana errat in fide, dicendo, quod licitum est jurare et quod purgatorium est in alio saeculo, non tenetur ei obedire, nisi solum, quando praecipit illud idem, quod Deus praecepit, et illud quod est secundum Deum; sed in re dubia, si est secundum Deum, vel non, et in re indifferenti, antequam cadat sub praecepto, si contrarium declararet D. Papa et eorum Major, sequeretur declarationem sui Majoris et non D. Papae, et si contraria praecepta darent in re indifferenti D. Papa et eorum Major, ipse obediret suo Majori et non D. Papae. Et credit, quod praedicta facere deberet. Item dixit, quod ecclesia errans in fide, quantumcunque modicum erret, est ecclesia malignantium, et quod non habet potestatem conficiendi et ministrandi sacramenta, licet concedat, quod ecclesia Romana potest conficere et ministrare sacramenta, quam dixit errare in fide, quia dicit, licitum esse jurare et purgatorium esse. Item dixit, quod, si in ecclesia errante in fide aliquod sacramentum suscepisset, non crederet, illud sacramentum suscepisse, licet in forma ecclesiae datum fuisset. Item dixit, quod eorum Major accipit immediate potestatem a Deo et jurisdictionem et non a D. Papa, et hoc pro tanto potest facere, quia non possunt inter se convenire, et propter hoc est exemptus a jurisdictione D. Papae; et non tenetur ei obedire, nisi quando praecipit illud idem, quod Deus, licet concedat, quod Romani Pontifices sunt et fuerunt caput ecclesiae: Item dixit, quod ideirco ipsi non revertuntur ad fidem et unitatem Romanae ecclesiae, quia credit, quod eorum fides sit secundum scripturas divinas et timent Deum

offendere, si ad Romanam ecclesiam reverterentur; dixit tamen, quod non vult tantum inhonorare Romanam ecclesiam, quod dicat, eam errare circa divinas scripturas. Item dixit, quod, si Romana ecclesia converteretur ad fidem ecclesiae eorum, quod tunc esset ecclesia, quam Christus elegit. Item dixit, quod ecclesia Romana non est bona, quia non credit illa, quae ipsi credunt, et quia eos persequitur. Item dixit, quod non credit aliquem fuisse sanctum, licet ecclesia Romana eum canonizasset pro sancto, qui non crederet illud, quod eorum ecclesia credit, et qui eos persequutus fuisset. Item dixit, quod in ecclesia Romana, licet erret in fide, est remissio peccatorum et etiam in ecclesia sua, quae non errat in fide, ut dixit. Item dixit, quod, quamvis ecclesia Romana reprobavit eorum statum et dictum statum excommunicavit, tamen non credit, quod illi, qui sunt de suo statu, malefaciant dictum statum accipiendo et in eo stando, nec quod mortaliter peccent, licet sint inobedientes in hoc D. Papae. Item dixit, quod, licet D. Papa habeat claves regni coelorum, et ipse eos propter hoc, quod dicunt, illicitum esse jurare, et negant purgatorium et propter inobedientiam eorum excommunicaverit, non tamen propter hoc est, quin ipsi possint ingredi regnum coelorum, quia, cum nihil sit mali apud eos, nec quoad fidem, nec quoad mores, non potuit eos excommunicare juste et licite, nec ejus sententia est justa vel licita; postea tamen dixit, quod illa sententia est justa, quia, quando eorum Major celebrat, non observat illa, quae D. Papa praecipit in missis celebrandis; a qua tamen sententia non se faciunt absolvi per aliquem, quare, ut dixit, credit, dictos Majores esse damnatos. Ipse tamen, ut dixit, non credit, se esse excommunicatum, licet fuerit ordinatus in diaconum in secta eorum. — Errores contra sacramentum ordinis. Item dixit, quod solum mala opera excommunicant hominem et extra congregationem fidelium ponunt, et non oportet quod excommunicetur ab aliquo. Item dixit, quod solum sunt tres ordines in ecclesia, scilicet diaconatus, presbyteratus et episcopatus, et episcopus apud eos vocatur Majoralis vel

minister. Item dixit, quód apud eos episcopus ordinare habet Majoralem, presbyterum et diaconum, sed quando nullus Majoralis esset vivens, tunc presbyter de consensu omnium presbyterorum et diaconorum potest Majoralem ordinare in gradu pontificali. Item dixit, quod apud eos ordinatur Majoralis sic: facta concordi electione de eo, orant omnes flexis genibus dicendo: Pater Noster pluries; postea confitetur primo sectae omnia peccata sua, deinde publice genera peccatorum; deinde Major, si sit praesens, alioqnin presbyter, orando et dicendo: Pater Noster imponit manum super caput ejus, ut accipiat Spiritum Sanctum; et post eum omnes alii, tam presbyteri, quam diaconi imponunt manus super caput ejus. Et sic ordinatus est, ut dixit, in ordine episcopali; non tamen indnitur aliter, nec fit hoc in ecclesia; nec super caput ejus et cervicem imponitur liber evangeliorum, nec inungitur ejus caput et manus, nec ei traduntur aliqua insignia pontificalia; et, ut dixit, credit, quod taliter ordinatus sit verus episcopus, sicut si ordinaretur in Romana ecclesia. Dixit etiam, quod sic ordinati fuerunt in episcopos Paulus et Barnabas et alii in primitiva ecclesia. Item dixit, quod dictus Major sic ordinatus ministrat sacramenta poenitentiae, ordinis et eucharistiae. Item dixit, quod dictus Major potest absolvere quemcunque de omnibus peccatis sibi confessis, qualiacunque peccata sint; potest etiam remittere totam poenam debitam peccatis vel partem, licet communiter hoc non faciat; quando autem absolvit a peccatis, dicit ita: Deus te absolvat ab omnibus peccatis tuis, et ego injungo tibi contritionem de peccatis tuis usque ad mortem et talem poenitentiam; non tamen dicit: ego te absolvo. Item dixit, quod dictus Major ordinat presbyterum isto modo: facta electione concordi et oratione per omnes socios, dicendo: Pater Noster et confessione peccatorum suorum, Major ipse imponit manus super caput ejus et post eum omnes presbyteri praesentes, ut accipiat Spiritum Sanctum, sed, ut dixit, in impositione manuum Majoralis confertur ordo, et, ut dixit, nihil aliud fit circa presbyterum, quando ordinatur. Quem sic ordinatum credit

esse verum presbyterum, sicut si fuisset ordinatus in ecclesia Romana, et ut dixit, isto modo fuerunt ordinati presbyteri in primitiva ecclesia. Qui presbyter sic ordinatus non potest celebrare missam, sed solum audire confessiones, nec poenas peccatorum remittere; potest tamen ordinare Majoralem, si omnes alii mortui essent, quia, ut dixit, per hoc quod diaconi et presbyteri sunt in eorum statu, in quo omnia propter Christum reliquerunt, sunt ordinis et gradus apostolorum. Item dixit, quod dictus Major ordinat diaconum isto modo: facta electione et oratione, ut supra, et confessione solus Major, dicendo Pater Noster, imponit manus super caput ejus, ut accipiat Spiritum Sanctum; et nihil fit aliud circa eum. Qui diaconus non potest aliud facere, nisi quod ministrat necessaria corporis Majori et presbyteris; sed tamen, ut dixit, per hoc quod ordinatur diaconus, efficitur de eorum statu cum voto, quod facit, paupertatis, castitatis et obedientiae; et sic ipse, ut dixit, fuit in diaconum ordinatus per Johannem Lotaringum, Majoralem eorum, 20 anni sunt elapsi, nec ante receptionem dicti ordinis aliquis est de eorum statu. Et dixit, quod sic ordinatus diaconus est verus diaconus, sicut si in ecclesia Romana esset ordinatus, et, ut dixit, tam Major, quam presbyteri et diaconi possunt fieri etiam idiotae, et facti fuerunt duo Majorales, quos ipse nominat, tempore suo, videlicet Christinus et Jacobus. Item dixit, quod eorum Major solum confieit corpus Christi in die Pasehae et non dieit aliud, nec faeit, nisi solum illud, quod Dominus dixit et fecit in coena, quando panem et vinum convertit in suum corpus et sanguinem. Dixit etiam, quod eorum Major solus habet benedicere in die coenae panem, piscem et vinum, quae solum recipiuntur per illos, qui sunt de secta eorum. Item dixit, quod nullus potest ordinari in episcopum, presbyterum et diaconum, habens uxorem, et si ordinaretur, ejus ordinatio esset nulla.

Errores contra purgatorium et suffragia ecclesiae, quae fiunt pro defunctis. Item dixit, quod purgatorium post mortem non est, sed solum paradisus et infernus sunt loca animarum hominum

post mortem. Item dixit, quod nescit, nec etiam scit, quid credat, si ille, qui male vixit et in aegritudine, de qua obiit, plene confessus est et contritus de peccatis suis, ad quem locum ejus anima ibit post mortem? Item dixit, quod orationes, sacrificia et eleemosynae, legata facta ad pias causas non valent alicui post mortem, nec ipse fecit, nec faciet pro aliquo suo amico, qui decessit vel decedet in posterum, talia. Item dixit, quod non credit illi capitulo libri Machabaeorum: Vir fortissimus Judas collatione facta misit Jerosolymam 12 millia drachmas argenti, offerri eas pro peccatis mortuorum, et: sancta ergo et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Item dixit, quod illa oratio, quae ponitur in canone missae: Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, deberet corrigi sic: qui nobiscum vivunt cum signo fidei, et tunc valeret, cum modo non valeat, ut dicit. Item dixit, quod in praedictis non crederet Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, nec ecclesiae Romanae, quia in hoc errant. Item dixit, quod nescit, quae utilitas sit, quod in ecclesiis vel coemeteriis corpora fidelium sepeliantur. — Errores contra vota. Item dixit, quod nullus potest esse in statu perfectionis, nisi sit diaconus ordinatus, quantumcunque fecerit votum paupertatis, castitatis et obedientiae. Item dixit, quod magis consistit perfectio status evangelici in illo, qui fecit votum et accepit diaconatum, in receptione ordinis diaconatus, quam in votis. Item dixit, quod de ratione voti paupertatis est, quod non vivat ille, qui fecit votum, de labore manuum et quod omnino nihil habeat, nec in proprio, nec in communi. Item dixit, quod apostoli non potuerunt tenere sine fractione voti paupertatis bona immobilia. Item dixit, quod in suo statu nullo modo reciperent virgines, nec viduas, quia non possunt praedicare, nec ordinem diaconatus accipere, nec etiam aliquem, qui habuisset uxorem, quia timent, quod postea non possent vivere nec continere. Item dixit, quod ipse plus tenetur obedire in recipiendo ordines et in accipiendo potestatem praedicandi Majori suo, quam

D. Papae. Item dixit, quod in hoc non obediret D. Papae, sed suo Majori. — Errores contra missiones ad praedicandum. Item dixit, quod eorum Majoralis potest licite vivere de evangelio. Item dixit, quod eorum Majoralis habet potestatem praedicandi evangelium a Deo, qui eam dedit beato Petro, et sine hoc, quod mittatur ab aliquo alio homine ad evangelium praedicandum. Item dixit, quod eorum Major potest dare auctoritatem et dat presbyteris suis praedicandi evangelium. Item dixit, quod ubique eorum Major potest praedicare evangelium propria auctoritate, quia non convenit cum D. Papa, cum quo si posset convenire, haberet ab eo accipere dictam potestatem. Item dixit, quod, licet D. Papa prohibeat, quod nullus mittatur ad praedicandum, nisi de mandato ejus, credit, quod eorum Major, qui habet potestatem a Deo, benefacit, dando presbyteris suis dictam potestatem, et quando eos mittit ad praedicandum, et ipsi faciunt bene, quando recipiunt dictam potestatem, et peccarent, si non reciperent et nisi praedicarent, et in hoc magis tenentur obedire Majorali suo, quam D. Papae. Et credit etiam, quod injuste facit D. Papa, quando eos propter hoc excommunicat. — Errores contra justam occisionem maleficorum. Item dixit, quod, si ipse accusaret apud judices saeculares aliquem in casu, ubi deberet interfici, vel mutilari, crederet peccare. Item dixit, si ipse haberet potestatem interficiendi haereticum obstinatum, nullo modo interficeret eum, nec faceret, quod ejus vita breviaretur, quia crederet peccare. Dixit etiam, quod conscientiam haberet, si haereticum, vel credentem revelaret. Item dixit, quod illi, qui eos persequuntur, eos persequuntur, quia ipsi tenent veritatem evangelii. — Errores contra baptismum. Item dixit, quod post divulgationem illius praecepti: nisi quis renatus fuerit etc., nullus salvari potuit, et si mortem sustineret pro Christo, vel in articulo necessitatis, non posset recipere sacramentum baptismi, nisi baptizaretur in aqua. — Errores contra confirmationem. Item dixit, quod sine unctione chrismatis in fronte potest esse quis confirmatus, quia hoc est de sollemnitate sacramenti, non de necessitate. — Errores

contra sacramentum ordinis. Item dixit, quod sine certa forma verborum possunt conferri omnes ordines per solam manus impositionem et sine collatione alicujus rei corporalis facta per episcopum ordinato.

Item et ibidem dictus Raymundus petiit copiam dictorum articulorum, in quibus continentur errores praedicti et diem ad deliberandum super praedictis, quod fuit sibi concessum per D. episcopum et fuit sibi dies assignata ad praedicta de hodie usque ad octo dies.

Postea 19. die mensis Januarii praedicti, videlicet ante assignationem diei praedictae ad hoc, ut dictus Raymundus converteretur ad fidem et unitatem Romanae ecclesiae, fuerunt praedicto Raymundo lectae per dictum D. episcopum in originali auctoritates Augustini et aliorum sanctorum et primo ad hoc, quod jurare pro veritate dicenda peccatum non est, et ad hoc fuit primo inducta auctoritas Augustini in 19. libr. contra Faustum c. 9, ubi dicit: pejerare grave peccatum est, non jurare autem, sicut bene jurare nullum peccatum est; et infra: apostolus Paulus in scriptis, ubi est consideratio major atque propensior, pluribus in locis jurasse invenitur, ne quisquam putaret, etiam verum jurando peccari. Item fuit ei lectus sermo b. Augustini de perjurio, in quo manifeste et pluries dicit, quod, qui verum jurat, non peccat. Item fuit sibi lecta glossa super illud: Ego autem dico vobis, non jurare omnino, quae incipit: non penitus. Item fuit sibi lecta auctoritas Augustini in lib. de mendacio, quae incipit: juravit apostolus et est c. 21. Item fuit ei lecta auctoritas Augustini in 1. lib. de sermone Domini in monte c. 16. Item fuit ei lecta auctoritas apostoli ad Hebraeos: Homines per majorem sui jurant, et finis omnis controversiae eorum ad confirmationem est juramentum. — Item quod purgatorium esset, fuerunt ei lectae auctoritates; primo glossae super illud: non remittetur ei, nec in hoc saeculo, nec in futuro, quae incipit: quaedam culpae et nec in futuro. Item fuit sibi lecta auctoritas Gregorii c. 4. lib. dialog. Item fuit ei lectum dictum apostoli: uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, et glossa, quae

ponitur ibidem. Item fuit ei lectus sermo Augustini de purgatorio. Item fuit ei lectus quidam sermo Augustini de resurrectione Domini et alia. Item fuerunt ei lectae auctoritates Augustini in XXI. de civit. Dei circa finem, in enchiridio de igne purgatorio, et quod orationes prosint aliquibus defunctis. Item fuit lecta eidem auctoritas Augustini de verbis apostoli: in sermonem humanum dico etc. Item, quod extra ecclesiam et fidem Romanae ecclesiae non sit remissio peccatorum, et quod sacramenta suscepta extra eam non conferunt gratiam, licet dicta sacramenta quoad aliqua, si dentur in forma ecclesiae, sint vera. Fuit ei lecta auctoritas Augustini de verbo Domini serm. 11. Ad hoc etiam sunt multae auctoritates in lib. de baptismo contra Donatistas. Quibus omnibus auctoritatibus lectis coram dicto Raymundo et in originali iterum monuit eundem, quod revertatur ad fidem et unitatem Romanae ecclesiae et credat et confiteatur illa, quae superius per scripturas tam Sanctorum quam canonis ei sunt ostensa, et quod abjuraret omnem haeresim et faciat omnia alia, quae in supradicta monitione continentur.

Post quae 23. mens. Jan. dicto Raymundo constituto in judicio in dicto castro de Alamannis coram dicto D. episcopo assistente sibi dicto fratre Qualardo de Pomeriis dictus D. episcopus monuit et induxit per diversas auctoritates et scripturas, quod reverteretur ad fidem et unitatem Romanae eclesiae, dicens ei, quod adhuc, si volebat plus de tempore ad deliberandum super abjuratione errorum superius per eum confessatorum, quod ei paratus erat dare, et quod, si aliquas auctoritates aut rationes exponeret et solveret, et quod etiam, si volebat suam responsionem differre usque ad crastinam diem, quae ei erat assignata, quod paratus erat, eum expectare. Qui Raymundus respondit, quod magis paratus erat, mori, quam si dictos articulos abjuraret. Etiam dixit, hoc nullo modo faceret, quia credebat, se in praedictis vere et secundum scripturas divinas credere et rectam fidem habere, nec super hoc crederet cuiquam, nisi solum doctrinae Christi et apostolorum ejus Petri

et Pauli; et cum ei diceretur, quod Paulus frequenter juravit in epistolis suis et posuit, quod aliqua peccata in alio saeculo per ignem devorabuntur; Christus etiam dixit, quod peccatum in Spiritum s. nec in hoc saeculo nec in futuro remittetur; et quod negare de uno, non videtur de aliis negare; in veteri etiam testamento, tam in lege, quam in prophetis, juramentum non est prohibitum ut illicitum, et in Malachia dicitur, quod Christus in suo adventu erit ignis conflans etc. et in 2. Machabaeorum. Christus etiam legitur jurasse frequenter, cum dicebat: Amen, dico vobis. In evangelio Joannis et in Luca dicit . . . . .
et angelus in apocal. juravit per viventem in saecula saeculorum . . . quia tempus non erit amplius. Per opera autem et facta Domini et sanctorum, maxime illorum, quorum dicta sunt recepta in canone scripturae s., recte Domini mandata, si in aliquo sunt dubia, declarantur, ut Augustinus dicit in lib. de mendacio. Respondit, quod nescit praedictis auctoritatibus respondere, nec aliter respondere voluit, sed perstitit, et persistere se velle dixit in his, quae prius dixerat, propter dictum Christi de non jurare omnino; verum est tamen, quod revocavit illud, quod dixerat, quod si quis ante baptismum pateretur martyrium pro Christo, vel in necessitate non posset recipere baptismum, et tamen vellet multum recipere ipsum et poeniteret de suis peccatis, quia non salvaretur propter illud, quod Dominus dixit: nemo, qui renatus etc., dicens, quod credit, martyrium susceptum pro Christo vicem baptismi habere et etiam cordis contritionem, si necessitas baptismum aquae excludat. Dixit etiam quod revocat illud, quod dixerat, quod sine signo crucis facto in fronte cum chrismate posset aliquis confirmari. Item revocavit illud, quod dixerat, quod habens uxorem non potest ordinari in diaconum, presbyterum et episcopum, et si ordinaretur, ejus ordinatio esset cassa, quia, ut dicit, credit, quod in ecclesia orientali, quae non emisit votum castitatis, habens uxorem, quam accepit virginem, et unicam, potest dictos ordines suscipere et ejus ordinatio firma est, et credit, quod in ecclesia orientali, si

uxor maritum absolvat ab illo debito, quo ei tenetur, potest ordinari et ejus ordinatio firma est. Item revocavit illud, quod dixerat, quod nullus potest esse in statu perfectionis, nisi ordinatus in diaconum, posito quod emisisset votum paupertatis, castitatis et obedientiae, dicens, quod hoc dixit loquens de statu vel secta sua, sed dixit, quod credit, quod in ecclesia Romana conversi et conversae religionum sunt in statu perfectionis. Dixit etiam, quod, licet apud eos ille, qui solum scit „Pater noster“ et „Ave Maria,“ ordinetur in diaconum, communiter tamen si aliquis esset, qui nollet esse diaconus, sed solum faceret vota praedicta et promitteret, quod ipse vult stare et perseverare usque ad mortem in via eorum, crederet, esse eum in statu perfectionis. Interrogatus, si vellet jurare, quod praedictas revocationes facit et fecit, quia ita credit, ut dixit in revocatione dictorum articulorum, respondit, quod hoc nullo modo juraret, nec credit, ut dixit, ita esse. Interrogatus, si, quando dictos articulos, quos nunc revocavit, fuit confessus, et in prima confessione sua credebat eos, ut confessus fuit in dicta confessione, respondit, quod sic. Interrogatus, qui erant illi de statu suo, qui fuerunt in partibus Vasconiae et fecerunt multos credentes, respondit, quod Robertus Morterii et Stephanus Maurini, qui ambo erant presbyteri sectae suae, et, ut dixit, sunt mortui, sex anni sunt elapsi, ut dixit. Interrogatus, si ipse fuit missus ad partes istas per suum Majorem, vel si stat sub obedientia sui Majoris, dixit, quod non venit ad partes istas de mandato sui Majoris, nec est sub obedientia ejus, quia est ei rebellus. Interrogatus, quare est rebellus suo Majori et propter quid, dixit, quod idcirco est rebellus suo majorali, quia vult et voluit sequi suas voluntates.

Tenor commissionis dicti fratris Gualhardi, de quo superius in dicto processu est facta mentio, talis est.

Rev. patri in Christo D. Jacobo, Dei gratia Appamiensi episcopo, frater Joannes de belua, inquisitor haereticae pravitatis in regno franciae per sedem apostolicam deputatus, salutem et reverentiam debitam et devotam.

Cum in vestra dioecesi, Domino permittente, casus haereticales proh dolor reperiantur frequenter, et nos occupati plurimum ad vestram praesentiam faciliter accedere non possimus, paternitati vestrae, de cujus sapientia magnifica et discretione circumspecta fiduciam gerimus non immerito pleniorem, tenore praesentium committimus et consentimus, quod vocato fratre Gualhardo ordinis nostri de conventu Appamiensi nobis munere requisitis pro poenitentia arbitraria imponenda cuicunque, citra tamen casum injurationis, libere ad sententiam procedere, aut de jam imposita poenitentia per nos gratiam facere valeat. Dat. Carcasson. dominica secunda in adventu, 10. die Decembr. a. D. 1318.

Post quae a D. 1320 die 23. mens. April. constitutus dictus Raymundus in castro de Alamannis coram dicto D. episcopo assistente sibi venerabili et religioso viro D. fratre Joanne de belua, inquisitore haereticae pravitatis in regno franciae per sedem apostolicam deputato, monuerunt, rogaverunt et praeceperunt semel, secundo, tertio et caritative dictum Raymundum, sicut aliter jam monitus, rogatus et requisitus fuerat per dictum D. episcopum, quod errores et haereses, quas confessus est tenuisse et tenere, pluries coram dicto D. episcopo in judicio constitutus et nunc coram dicto D. inquisitore relinqueret et dimitteret, et quod abjuraret et juraret omnem haeresim Valdensium et sectam Pauperum de Lugduno, in quibus per longum tempus stetit, et quod revelaret complices et socios suos et credentes, et quod reverteretur ad fidem et unitatem ecclesiae Romanae. Et dicti DD. episcopus et inquisitor protestati fuerunt eidem, quod, nisi redire voluerit et praedictos errores et haereses, quas dixit se tenere et credere, relinquere noluerit, contra ipsum tanquam contra haereticum procedetur secundum canonicas sanctiones et quantum de jure fuerit procedendum. Et assignaverunt jam dicti DD. episcopus et inquisitor eidem Raymundo ad respondendum et deliberandum super praedicta praecise, videlicet diem dominicam proximam, praesentibus D. Germanno de Castro, novo ar-

chidiacono ecclesiae Appamiensi, fratre Gualhardo de Pomeriis, fratre Arnaldo de Cassario, ord. praedic., conventus Appamiensis, fratre Joanne Stephani, ejusd. ord., socio dicti D. inquisitoris, et magistro Bartholomaeo Adalberti, notario inquisitoris haeret. prav., et magistro Guilielmo Petri Barta notario etc.

Qua die dominica superius assignata constituto dicto Raymundo in judicio coram dictis DD. episcopo et inquisitore, praesentibus testibus supra proxime scriptis, in castro praedicto de Alamannis, fuerunt eidem Raymundo lecti articuli superius in dicto processu positi et extracti de confessionibus suis, in quibus erravit et errat dictus Raymundus contra fidem catholicam, potestatem et auctoritatem Romanae ecclesiae, quorum articulorum praedictorum tenor iterum inferius est insertus, in quibus articulis dictus Raymundus corrigeret, emendaret, revocaret illa, quae videntur ei in dictis articulis corrigenda, emendanda et revocanda, de quibus aliis etiam consulte et deliberate respondendum fuerat sibi copia data, in quibus articulis dictus Raymundus correxit, emendavit, revocavit, addidit, prout in fine quorundam dictorum articulorum continetur. Quibus articulis lectis, correctis, emendatis, revocatis et additis illis, quae dictus Raymundus voluit facere circa praemissa, dicti DD. episcopus et inquisitor iterum semel, secundo et tertio et caritative monuerunt, rogaverunt dictum Raymundum et etiam ei persuaserunt rationibus, auctoritatibus, et etiam eidem praeceperunt, quod dictos errores in dictis articulis contentos, per eum emendatos et correctos, revocaret, abjuraret et omnem aliam haeresim extollentem se adversus scientiam Dei et insurgentem contra s. Rom. ecclesiam, matrem omnium ecclesiarum et magistram, et quod detegeret credentes, fautores, celatores, receptatores et omnes alios de secta sua, intimantes eidem, quod, nisi hoc in continenti fecerit, contra eum procederent velut contra haereticum obstinatum et impoenitentem. Quibus factis dictus Raymundus respondit, quod nolebat revocare dictos errores, nisi illos, quos revocavit, nec abjurare aliquem articulum de

praedictis, nec jurare pro quocunque, nec etiam, ut dixit, revelaret compliees suos, credentes, fautores, receptatores et defensores ac nuntios eorum, sed in ista credentia praedicta vult vivere et mori, et, quantum in ipso est, in dicto negotio voluit haberi pro renuntiatore concluso et petiit sententiam ferri super praedictis.

Post quae die Mercurii, sc. ultima die mens. April., magister Guilielmus Petri Barta, notarius D. Appamiensis episcopi praedicti, accessit personaliter ad dictum castrum de Alamannis et de mandato dictorum DD. episcopi et inquisitoris, citavit dictum Raymundum, ut die crastina personaliter coram dictis DD. episcopo et inquisitore compareret in dicto loco de Alamannis ante ecclesiam dicti loci, auditurus sententiam super praedictis, quae coram eis confessus fuerat, qui Raymundus dictam diem gratis aceeptavit, cujus citationis et responsionis fuerunt testes magister Marcus Rivelli, notarius terrae periagii, rever. Vasconis de Alamannis et Joannes Boerii de Maleriis.

Tenor vero articulorum praedictorum, de quibus superius est facta mentio, talis est.

Isti sunt articuli, quos dictus Raymundus de Costa, aliter dictus de s. fide, diaconus Pauperum de Lugduno, confessus est in judicio coram dicto D. episcopo et fratre Gualhardo de Pomeriis, tenente locum D. inquisitoris Carcasson., qui quidem Raymundus, respondendo ad interrogationes factas eidem per dictum D. episcopum confessus fuit errores eosdem. Primo dixit, quod, si juraret pro veritate dicenda, crederet peccare mortaliter, licet non multum graviter. Item dixit, quod in novo testamento quicunque juraret pro quacunque causa, peccat mortaliter, quia facit contra praeceptum Domini de non jurare omnino. Item dixit, quicunque ei vel cuicunque alteri —, quod juraret, peccaret mortaliter, et si eum vel alios cogeret ad jurandum, peccaret eodem modo. Item dixit, quod tota Romana ecclesia, quae praecipit jurare, et cogit etiam aliquos ad jurandum, peccat mortaliter, licet non multum graviter. Item dixit, quod ecclesia et quicunque, qui dicat, quod licitum

est jurare, peccat in fide Christi quoad hoc. Item dixit, quod quicunque patitur persecutionem vel mortem, quia non vult jurare pro aliqua causa, est martyr Christi. Item dixit, quod ille, qui persequitur, vel morti tradit illum, qui non vult jurare pro aliqua causa, est homicida, quia justum et innocentem interficit, et etiam est socius illorum, qui s. Stephanum lapidaverunt, et veniet super eum sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae etc. Item dixit, quod ecclesia Romana cum excommunicaret propter hoc, quia non vult jurare, vel alium, non credet, se excommunicatum, nec alium, nec dictam sententiam esse justam, et crederet, se bene facere, si excommunicatus propter hoc non obediret ecclesiae. Item dixit, quod, quia ecclesia Romana errat in fide, dicendo, quod licitum est jurare, et quia purgatorium est in alio saeculo, non tenetur ei obedire, nisi solum quando praecipit vel illud quod est secundum Deum, vel in re dubia, si est secundum Deum vel non, et in re indifferenti, antequam cadat sub praecepto, si contrarium declaret D. Papa et eorum Major, sequeretur declarationem sui Majoris et non D. Papae, et si contraria praecepta darent in re indifferenti D. Papa et eorum Major, ipse obediret suo Majori et non D. Papae, et credit, quod praedicta facere deberet. Item dixit, quod ecclesia errans in fide, quantumcunque modicum erret, est ecclesia malignantium, et quod non habet potestatem conficiendi et ministrandi sacramenta, licet concedat, quod ecclesia Romana potest conficere et ministrare sacramenta, quam dixit errare in fide, quia dicit, licitum esse jurare et purgatorium esse. Item dixit, quod, si in ecclesia errante in fide aliquod sacramentum suscepisset, non crederet, illud sacramentum suscepisse, licet in forma ecclesiae datum fuisset. Revocavit quantum ad ecclesiam Romanam de omnibus sacramentis, quantum ad haereticam etiam, excepto sacramento poenitentiae. Item dixit, quod eorum Major accepit immediate potestatem a Deo et jurisdictionem, et non a D. Papa, et hoc pro tanto potest fieri, quod non possunt inter se convenire; et propter

hoc est exemptus a jurisdictione D. Papae, et non tenetur ei obedire, nisi quando praecipit illud idem, quod Deus, licet concedat, quod Romani Pontifices sunt et fuerunt caput ecclesiae. Item dixit, quod primo Majoralis eorum non fuit ordinatus in gradu pontificali ab aliquo alio pontifice, sed a Deo et hominibus sui status non ordinatis in gradu pontificali, sed habentibus dignitatem apostolorum Petri et Pauli. Item dixit, quod idcirco ipsi non revertuntur ad fidem et unitatem ecclesiae Romanae, quia credunt, quod eorum fides sit secundum scripturas divinas, et timent, Deum offendere, si ad Romanam ecclesiam reverterentur; dixit tamen, quod non vult tantum inhonorare Rom. Ecclesiam, quod dicat, eam errare circa divinas scripturas. Item dixit, quod, si ecclesia Rom. reverteretur ad fidem ecclesiae eorum, quod tunc esset ecclesia, quam Christus elegit. Item dixit, quod credit, quod eorum ecclesia sit illa, quam bonus pastor rexit et quam Christus elegit. Item dixit, quod ecclesia Romana non est bona, quia non credit illa, quae ipsi credunt, et quia eos persequitur. Item dixit, quod non credit, aliquem fuisse sanctum, licet Rom. ecclesia eum canonizasset pro sancto, qui non crederet illud, quod eorum ecclesia credit, et qui eos persecutus fuisset. Item dixit, quod non colunt aliter festa, nisi quod custodiunt se, quantum possunt, a peccato; revocavit. Item dixit, quod in ecclesia Rom., licet erret in fide, est remissio peccatorum et etiam in ecclesia sua, quae non errat in fide. Item dixit, quod, quamvis ecclesia Rom. reprobaverit eorum statum et dictum statum excommunicaverit, tamen non credit, quod illi, qui sunt de suo statu, male faciant dictum statum accipiendo et in eo stando, nec quod mortaliter peccent, licet sint inobedientes in hoc D. Papae. Item dixit, quod, licet D. Papa habeat claves regni coelorum et ipse eos propter quod dicunt, illicitum esse jurare, et negant purgatorium et propter inobedientiam eorum excommunicaverit, non tamen propter hoc est, quin ipsi possint ingredi regnum coelorum, quia, cum nihil sit mali apud eos, nec quoad fidem nec quoad mores, non potuit eos excommunicare juste et licite,

nec ejus sententia est justa vel licita; postea tamen dixit, quod illa sententia est justa, quia, quando eorum Major celebrat, non observat illa, quae D. Papa praecipit in missis celebrandis, a qua tamen sententia non se faciunt absolvi per aliquem, quare, ut credit, dicit, dictos Majores esse damnandos, ipse tamen, ut dixit, non credit, se esse excommunicatum, nec fuerit ordinatus in diaconum in secta eorum. Item dixit, quod solum mala opera excommunicant hominem et extra congregationem fidelium ponunt, et non oportet, quod excommunicetur ab aliquo. Revocavit, quod D. Papa et episcopi et alii jurisdictionem habentes possunt excommunicare. Item dixit, quod solum sunt tres ordines in ecclesia, sc. diaconatus, presbyteratus et episcopatus, et episcopus apud eos vocatur Majoralis vel minister. Item dixit, quod apud eos episcopus ordinare habet Majorem, presbyterum et diaconum, sed, quando nullus Majoralis esset vivens, tum presbyter de consensu omnium presbyterorum et diaconorum potest Majoralem ordinare in gradu pontificali. Item dixit, quod apud eos ordinatur Majoralis sic: facta concordi electione de eo orant omnes flexis genibus, dicendo „Pater noster,“ postea confitentur primo secrete omnia peccata sua, deinde publice genera peccatorum, deinde Major, si est praesens, alioquin presbyter, orando et dicendo „Pater noster,“ imponit manum super caput ejus, ut accipiat Spiritum s., et post eum omnes alii, tam presbyteri quam diaconi, imponunt manus super caput ejus, et sic ordinatus est, ut dixit, in ordine episcopali, non tamen induitur aliter, nec fit hoc in ecclesia, nec super caput ejus imponitur liber evangeliorum, nec inungitur ejus caput et manus, nec ei traduntur aliqua insignia pontificalia, corporaliter et actualiter, sed solum spiritualiter et per fidem, et dicuntur ei verba, quae significant insignia pontificalia, cum magna solemnitate. Et, ut dixit, credit, quod taliter ordinatus sit vere episcopus, sicut si ordinaretur in Rom. ecclesia. Dixit etiam, quod sic ordinati fuerunt in episcopos Paulus et Barnabas et alii in primitiva ecclesia. Item dixit, quod dictus Major sic ordinatus solum ministrat

sacramentum poenitentiae, ordinis et eucharistiae. Item dixit, quod dictus Major potest absolvere quemcunque a peccatis omnibus sibi confessis, qualiacunque peccata sint; potest etiam remittere totam poenam debitam peccatis vel partem, licet hoc communiter non fiat; quando autem absolvit a peccatis, dicit ita: Deus absolvat te ab omnibus peccatis tuis, et ego injungo tibi contritionem de peccatis tuis usque ad mortem et talem poenitentiam; non tamen dicit: ego te absolvo. Item dixit, quod dictus Major ordinat presbyterum isto modo: Facta electione concordi et oratione per omnes socios, dicendo „Pater noster," et confessione peccatorum suorum, Major ipsis imponit manus super caput ejus et post eum omnes presbyteri praesentes, ut accipiat Spiritum s., sed, ut dixit, in impositione manuum Majoralis confertur ordo. Et, ut dixit, nihil aliud fit circa presbyterum, quando ordinatur, quem sic ordinatum credit esse verum presbyterum, sicut si fuisset ordinatus in ecclesia Romana; et, ut dixit, isto modo fuerunt ordinati presbyteri in primitiva ecclesia. Qui presbyter sic ordinatus non potest celebrare missam, sed solum audire confessiones, nec poenas peccatorum remittere, potest tamen ordinare Majoralem, si omnes alii mortui essent, quia, ut dixit, per hoc, quod diaconi et presbyteri sunt in eorum statu, in quo omnia propter Christum reliquerunt, sunt ordinis et gradus apostolorum. Item dixit, quod dictus Major ordinat diaconum isto modo: facta electione et oratione, ut supra, et confessione, solus Major, dicendo „Pater noster," imponit manus super caput ejus, ut accipiat Spiritum s., et nihil aliud fit circa eum, qui diaconus non potest aliud facere, nisi quod ministrat necessaria corporis Majori et presbyteris, sed tamen, ut dixit, per hoc, quod ordinatur diaconus, efficitur de eorum statu cum voto, quod facit, paupertatis, castitatis et obedientiae, et sic ipse, ut dicit, fuit in diaconum ordinatus per Joannem Lotaringium, Majoralem eorum, 20 anni sunt elapsi, nec ante receptionem dicti ordinis aliquis est de eorum statu, et dixit, quod sic ordinatus diaconus est vere diaconus, sicut si in ecclesia Romana esset ordina-

tus, et ut dixit, tam Major, quam presbyter et diaconus possunt fieri etiam idiotae et facti fuerunt duo Majorales, quos ipse nominat, tempore suo, videlicet Christinus et Jacobus. Item dixit, quod eorum Major solum conficit corpus Christi in die Paschae, et non dicit aliud, nec facit, nisi solum illud, quod Dominus dixit et fecit in coena, quando panem et vinum convertit in suum corpus et sanguinem. Dixit etiam, quod eorum Major solus habet benedicere in die coenae panem, piscem et vinum, quae solum excipiuntur per illos, qui sunt de secta eorum. Item dixit, quod nullus potest ordinari in episcopum, presbyterum et diaconum habens uxorem, et si ordinaretur, ejus ordinatio esset nulla; revocavit. Item dixit, quod purgatorium post mortem non est, sed solum paradisus et infernus sunt loca animarum hominum post mortem. Item dixit, quod nescit, nec etiam scit, quid credat, si ille qui male vixit et in aegritudine, de qua obiit, plene confessus est et contritus de peccatis suis, ad quem locum ejus anima ibit post mortem. Et idem dixit de illo, qui moritur in venialibus sine peccato mortali. Item dixit, quod orationes, sacrificia et eleemosynae et legata facta ad pias causas non valent alicui post mortem, nec ipse fecit, nec faciet pro aliquo suo amico, qui decessit, vel decedet in posterum, talia. Item dixit, quod non credit illi capitulo 2. Machab.: vir fortissimus Judas collatione facta misit Jerosolymam 12 millia drachmas argenti, offerri eas pro peccatis mortuorum, et: sancta igitur et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Item dixit, quod illa oratio, quae ponitur in canone missae: memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei, deberet corrigi sic: qui nobiscum vivunt cum signo fidei, et tunc valeret, cum modo non valeat, ut dixit. Item dixit, quod in praedictis non crederet Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, nec ecclesiae Rom., quia in hoc errant. Item dixit, quod nescit, quae utilitas sit, quod in ecclesiis vel coemeteriis corpora fidelium sepeliantur. Item dixit, quod nullus potest esse in statu perfectionis, nisi sit

diaconus ordinatus, quantumcunque fecerit votum paupertatis, castitatis et obedientiae. Revocavit. Item dixit, quod magis consistit perfectio status evangelici in illo, qui fecit votum et accepit diaconatum, in receptione ordinis diaconatus, quam in votis. Item dixit, quod de ratione voti paupertatis est, quod ille, qui hujusmodi votum fecit, non habeat bona immobilia in communi. Item dixit, quod apostoli non potuerunt tenere sine fractione voti paupertatis bona immobilia. Item dixit, quod in suo statu non reciperent virgines nec viduas, quia non possunt praedicare, nec ordinem diaconatus accipere, nec etiam aliquem, qui uxorem habuisset, quia timent, quod postea non possent vivere continenter. Item dixit, quod ipse plus tenetur obedire in recipiendo ordines et accipiendo potestatem praedicandi Majori suo, quam D. Papae. Item dixit, quod in hoc non obediret D. Papae, sed suo Majori. Item dixit, quod eorum Majoralis potest licite vivere de evangelio. Item dixit, quod eorum Majoralis habet potestatem praedicandi evangelium a Deo, qui eam dedit beato Petro, et sine hoc, quod mittatur ab aliquo alio homine ad evangelium praedicandum. Item dixit, quod eorum Major potest dare auctoritatem et dat presbyteris suis praedicare evangelium. Item dixit, quod ubique eorum Major potest praedicare evangelium propria auctoritate, quia non convenit cum D. Papa, cum quo, si posset convenire, ab eo accipere (haberet) dictam potestatem. Item dixit, quod, licet D. Papa prohibeat, quod nullus mittatur ad praedicandum, nisi de mandato ejus, credit, quod eorum Major, qui habet potestatem a Deo, bene facit, dando presbyteris suis dictam potestatem, et peccarent, si non reciperent et nisi praedicarent, et in hoc magis tenetur obedire Majorali suo, quam D. Papae, et credit etiam, quod injuste facit D. Papa, quando eos propter hoc excommunicat. Item dixit, quod, si ipse accusaret apud judices saeculares aliquem in casu, ubi deberet interfici aut mutilari, crederet peccare. Item dixit, quod, si ipse haberet potestatem interficiendi haereticum obstinatum, nullo modo interficeret eum, nec faceret, quod ejus vita abbreviaretur, quia

crederet peccare. Dixit etiam, quod conscientiam haberet, si haereticum vel credentem revelaret. Item dixit, quod illi, qui eos persequuntur, eos persequuntur, quia ipsi tenent veritatem evangelii. Item dixit, quod ex illo tunc, quo Dominus dixit: „immitte“ usque hic „converte gladium tuum in vaginam,“ fuit prohibitum per D. N. J. Chr. omnis occisio corporalis malefactorum. Item dixit, quod non licet aliquem interficere in bello quocunque, quia Dominus prohibuit omnem occisionem corporalem. Item dixit, quod post divulgationem illius praecepti: nisi quis renatus fuerit etc. nullus salvari potuit, etiam si mortem sustineret pro Christo, vel in articulo necessitatis non posset recipere sacramentum baptismi, nisi baptizaretur in aqua. Revocavit. Item dixit, quod sine unctione chrismatis in frontem potest quis esse confirmatus, quia hoc est de solemnitate sacramenti, non de necessitate. Revocavit. Item dixit, quod sine certa forma verborum possunt conferri omnes ordines per solam manus impositionem et sine collatione alicujus rei corporalis facta per episcopum ordinato; postmodum autem revocavit simplici verbo illud, quod dixerat, videl. quod nullus poterat ordinari habens uxorem, et quod, si ordinaretur, illa ordinatio esset nulla. Item revocavit illud, quod dixerat, quod nullus poterat esse in statu perfectionis, nisi esset ordinatus in diaconum, etiam si vota evangelica emisisset. Item illud, quod dixerat, quod martyrium susceptum pro Christo et baptismus flaminis non poterant supplere vicem baptismi facti in aqua. Dixit tamen, quod praedicta, quae nunc revocat, ita credebat et crediderat, quando confessus fuit, ut superius continetur in confessione ejus. Hoc revocavit. Non tamen super ista revocatione vel alia de veritate dicenda, licet frequenter fuerit admonitus, voluit jurare, nec complices, vel credentes eorum viventes voluit, nec vult adhuc revelare. Dixit etiam, quod sic recipiunt homines ad sectam suam, quod primo inquiritur, si ille, qui vult recipi, est filius parentum fidelium, et deinde, si est bonae conversationis et aptus ad addiscendum; quod, si sit talis, instruitur et docetur de secta eorum per sex

annos ad minus, et si dicto tempore fuerit repertus aptus, eligitur in diaconum, si vult remanere apud eos. Et exposita sibi auctoritate sectae eorum, si dicat, quod vult stare et perseverare in eorum secta usque ad mortem, tum recipit eum Major ad osculum, et postea omnes alii. Et tunc facit votum castitatis, paupertatis et obedientiae. Quo facto ordinatur in diaconum per impositionem manus Majoralis, et ex tunc nihil omnino debet retinere pro crastino, et si amplius ei daretur, quam sufficeret pro una die, non retineret, ut dixit. Et hanc vitam dixit esse apostolicam. Item dixit de se, quod ipse stetit per 5 annos, antequam ordinaretur in diaconum, cum illis de secta sua, et postea, quando Joannes Lotaringius ordinaverat eum in diaconum, docuit eum per duos annos theologiam, et post dictum Joannem docuit eum Michael Italicus per 7 annos. Dixit autem, quod non habent alicubi certam mansionem, nec ipsi praedicant, nisi per viam vel in domibus, nec, ut dixit, congregantur in aliquo certo loco, nec Major eorum per literas notificat absentibus suam voluntatem, sed mittit aliquem de sociis, cui aliquid vult mandare. Habuit autem socios in addiscendo Bartholomaeum diaconum et Joannem Moram presbyterum. Dixit etiam, quod contraxit moram in partibus linguae occitanae quasi per 5 annos. Item dixit, quod sic dicunt horas. Nam incipiendo matutinas vel vigilias dominico die dicunt: „Domine, in adjutorium meum intende,“ cum „Gloria Patri“ totum; deinde „Kyrie eleison,“ „Pater noster,“ „Ave Maria,“ deinde: „Venite, exultemus,“ et postea: „Beatus vir“ usque ad „Dominus illuminatio mea,“ dicendo „Gloria Patri“ etc. post finem cujuslibet psalmi; postea „Te Deum laudamus;“ deinde „Kyrie,“ „Pater noster,“ „Ave Maria.“ Et sic fiunt vigiliae. Sed laudes dicunt ita. Post „Domine, in adjutorium meum etc.“ et „Gloria Patri“ dicunt „Kyrie,“ „Pater noster“ et „Ave Maria,“ „Deus, Deus meus“ et „Deus misereatur nostri,“ „Dominus regnavit,“ „Jubilate Deo,“ „Laudate Dominum de coelis,“ „Quicunque vult,“ „Benedicite,“ „Benedictus“ et „Gloria Patri“ in fine cujuslibet. Postea „Kyrie,“ „Pater noster,“

„Ave Maria.“ Ad Primam autem dicunt: „Deus in adjutorium,“ „Gloria Patri,“ „Kyrie,“ „Pater noster,“ „Deus in nomine tuo,“ „Beati immaculati“ usque ad „legem pone,“ „Kyrie,“ „Pater noster,“ „Ave Maria,“ et eodem modo dicunt Tertiam, Sextam et Nonam, dicendo psalmum a „Legem pone“ usque ad „Dominum cum tribularer.“ Ad Vesperas autem dicunt psalmos, quos dicit ecclesia Rom. post „Deus in adjutorium,“ „Gloria Patri,“ „Kyrie,“ „Pater noster,“ postea dicunt „Magnificat,“ „Kyrie,“ „Pater noster.“ Completorium vero dicunt sic: „Deus in adjutorium,“ „Gloria Patri,“ „Kyrie,“ „Pater noster,“ „Cum invocarem“ et partem psalmi: „In te Domine speravi,“ „Benedixisti,“ „Qui habitat,“ „Ecce, nunc,“ „Nunc dimittis,“ „Kyrie,“ „Pater noster,“ „Christus qui lux,“ „Kyrie,“ „Pater noster.“ Qualibet vero die septimana dicunt unum matitutinale ad Vigilias, postea „Te Deum laudamus,“ et in omnibus aliis dicunt et faciunt, ut in die dominica. Non dicunt autem Antiphonas, Lectiones, Responsoria, Hymnos, Versus, Orationes alias, nisi „Pater noster,“ nec faciunt aliquam diversitatem in officio inter dies festivos et alios dies communes. Item dixit, quod, si benedicunt mensam, Major inter eos dicit: „Benedicite,“ et alii respondent: „Dominus,“ et tunc Major dicit: „Kyrie eleison,“ „Christe eleison,“ „Pater noster,“ postea Major dicit: „Gratia Domini Nostri Jesu Christi et caritas Dei et communicatio Spiritus s. sit semper cum omnibus nobis. Amen.“ Et deinde dicit: „Dominus J. Chr., qui benedixit quinque panibus hordeaceis in deserto et duobus piscibus, benedicat huic cibo et omnibus personis, quae sumpturae sunt de eo. In nomine Patris et Filii et Spiritus s. Amen.“ Ex post cibum dicunt: „Benedictio et caritas etc.“ Deinde „Kyrie,“ „Pater noster,“ et postea dicit Major: „Deus autem spei repleat nos omni pace et gaudio in credendo, ut abundetis in spe et consolatione Spiritus s., vel illud: „Regi autem saeculorum etc.

Et ego Ramandus Jalbandi, clericus de Tolosa, juratus in negotio inquisitionis, de mandato D. episcopi supra-

dicti istam confessionem praedictam cum originali fideliter correxi.

Post quae anno, quo supra, die 8. mens. Octobr. praedicti educta de carcere de Alamannis, in quo capta detinebatur, dicta Mengardis et constituta in judicio in camera episcopali praedicta coram dicto D. episcopo, assistente sibi dicto fratre Gualhardo de Pomeriis, tenente locum dicti D. inquisitoris Carcassonensis, praesentibus D. Guilielmo Audiberti, canonico Lemovicensis dioecesis, licentiato in legibus et religioso viro fratre Arnaldo de Cassario de ord. praed., conventus Appamiensis, et me Guilielmo Petri Barta, notario dicti D. episcopi, testibus ad hoc vocatis. Et quia volebat reverti ad primam confessionem suam, quam fecerat apud Duachum et etiam addere, ut dicebat, iterum juravit de veritate mere et plene dicenda super crimine haeresis, tam de se, ut principalis, quam de aliis vivis et mortuis, ut testis. Quo juramento per eam praestito dixit, deposuit et confessa fuit, ut sequitur. Quod, 19 anni sunt vel circa, ipsa morabatur in una domo cum Guilielmo Bustalh, quondam de Pradis, sororio suo, et quadam die, de qua dixit se non recordare, cum ipsa et dictus Guilielmus solent stare ad ignem in domo, vocata la foganha, dictus Guilielmus dixit ipsi loquenti, quod illi homines, qui fugabantur, quia erant de bona fide, erant boni homines et sancti et amici Dei et non faciebant malum alicui rei, nec accipiebant aliquid de alieno, nisi homo daret eis, nec mentiebantur, nec occidebant aliquod animal, et salvabant animas, nec poterat homo salvari, nisi homo haberet eos in fine suo, et si homo haberet eos in suo fine et reciperetur per eos, erat absolutus ab omnibus peccatis suis, nec poterat homo absolvi a peccatis, nisi per eos, et recepti per eos incontinenti post mortem eorum animae statim ibant ad terram requici. Et his dictis interrogabat eam, si praedicta credebat, et ipsa ei bene respondit, quod credebat praedicta, ipsa tamen, ut dixit, non credidit praedicta. Item dixit, quod, quando socrus ejus praedicta fuerat haereticata, ipsa loquens habebat unum filium duorum vel trium mensium infirmum, et dictus

Guilielmus Bustalh dixit ei: velles, quod haberemus aliquem de illis bonis hominibus, loquens de haereticis, ut reciperet dictum filium tuum ad sectam eorum, si inciperet declinare ad mortem, quia, si reciperetur per eos et moreretur, esset angelus Dei. Et cum ipsa quaereret ab eo, quid faceret ipsa de infante, postquam fuisset receptus per haereticos, dictus Guilielmus dixit ei, quod postea non daret lac dicto puero, nec aliquid aliud, sed quod eum permitteret sic mori. Quod ipsa audiens dixit, quod nullo modo omitteret dare mamillam puero, quamdiu viveret, quia ex quo Christianus erat et non habebat peccatum, nisi de ipsa, credebat, quod, si ipsa perderet dictum puerum, Deus haberet eum. Et dictus Guilielmus respondit ei, quod melius Deus haberet animam dicti pueri, si receptus fuisset per dictos bonos homines, quam aliter, quia tunc esset angelus Dei, et, ut dixit, dictus puer non fuit haereticatus, quia his dictis dictus Guilielmus recessit ab ea. Item dixit, quod, cum ipsa semel iret ad ecclesiam, obviavit dicto Guilielmo, qui dixit ei, quo vadis, et ipsa respondit, quod ibat ad ecclesiam, et dictus Guilielmus respondit, ohe bona ecclesiastica, tantum valeret, quod orares Deum in domo tua, sicut si orares ipsum in ecclesia. Et ipsa respondit ei, quod magis locus erat opportunus orandi Deum ecclesia, quam domus. Et ipse Guilielmus dixit murmurando, non es de la fé. Item dixit revocando revocationem, quam fecerat in prioratu de Unacho, dicens, quod, postquam Guilielmus Bustalh ei dixerat, quod dicta socrus ejus fuerat recepta per haereticum, et quod propter hoc non daret comedere, nec bibere dictae socrui suae, nisi ipso Guilielmo praesente. Cum Bruna praedicta duxisset capellanum ad socrum praedictam ipsius loquentis, postquam haereticata fuerat, de quo reprehendit eam dictus Guilielmus, audiente ipsa loquente, dicens ei, quod de cetero non posset facere bonum, quia duxerat dictum capellanum ad dictam infirmam, quae jam fuerit recepta. Et dicta Bruna responderat, quod immo adhuc faciet bonum. Nocte sequenti dicta Bruna venit ad domum ipsius loquentis et de ostio domus vocavit

eam, quae egressa ad dictam Brunam petivit ab ea, quid volebat tali hora. Et dicta Bruna respondit: nonne vidisti, qualiter hodie reprehendit me frater meus, Guilielmus praedictus, quia adduxeram capellanum ad matrem meam, socrum tuam, postquam fuerat per illum bonum hominem recepta, loquens de haeretico; veni mecum, eamus ad domum Petri Michaelis Rubei, in qua est ille bonus homo, qui recepit matrem meam, et ducamus cum ad matrem meam, ut iterum recipiat ipsam. Et ipsa loquens, ut dixit, non respondens ei aliter ivit cum dicta Bruna ad domum dicti Petri Michaelis, et intrantes dictam domum invenerunt in domo, vocata la foganha, dictum Petrum Michaelis sedentem ad ignem, et dicta Bruna aperiens sotulum dictae domus, quod erat clausum, intravit dictum sotulum, remanente ipsa loquente en la foganha cum dicto Petro Michaelis. Et dictus Petrus interrogavit ipsam loquentem, et quid quaeris filia? et ipsa respondit, quod ipsa venerat cum Bruna de Sannihano, quae intravit sotulum vestrum. Et dictus Petrus respondit: ita bene, filia! Et cum per aliquam pausam stetisset cum dicto Petro, dictus Petrus dixit ei: et quid tantum expectas, filia? et ipsa respondit, quod expectabat dictam Brunam. Et dictus Petrus dixit ei, per aliud ostium egressi sunt. Quod audiens ipsa egressa de domo dicti Petri vidit dictam Brunam et unum hominem cum ipsa, euntes versus domum dictae socrus suae. Et ipsa currens, non tamen clamans, post eos attinxit eos ante domum Raymundi Saurina et ivit cum ipsis usque ad domum dictae socrus suae, et dictus homo petiit a dicta Bruna, quae erat ipsa loquens. Et dicta Bruna respondit, nostra est, quia est uxor Bernardi fratris mei. Et cum venissent ad domum dictae socrus ipsius loquentis, intraverunt cameram, in qua dicta socrus infirma jacebat, et invenerunt cum ipsa Guilielmum Bustalli praedictum et Gualhardam, uxorem Pontii Esquinati, quondam de Camuraco, filiam dictae infirmae, et quia per quoddam magnum foramen, quod erat in dicta camera, radii lunae, quae tunc clara erat, intrabant et resplendebant in lecto dictae infirmae, non fuit accensus ignis, sed dictus haereti-

cus appropinquavit lecto dictae infirmae et posuit se ad caput lecti dictae infirmae et interrogavit eam, dicens: Raymunda, qualiter est vobis? Et ipsa respondit, quod debiliter, et tunc dictus haereticus fecit multas inclinationes et elevationes et tenebat unum librum super caput dictae infirmae et haereticavit eam, vidente et praesente ipsa loquente, dicta Bruna et dicto Guilielmo, non recordatur tamen, si dicta Gualharda surrexit de lecto, in quo erat, quando ipsa et dicta Bruna cum haeretico dictam cameram intraverunt, et tunc credidit, quando vidit dictum haereticum praedicta facientem, quod dictus haereticus dictam infirmam reciperet, credidit etiam tunc, quod dictus haereticus, quando eam recipiebat et dicta infirma, quando recipiebatur, facerent bonum opus, et postquam haereticata fuit dicta infirma, dictus haereticus dixit, quod de cetero non daretur cibus vel potus dictae Raymundae, nisi solum panis et aqua, et quod illa non darentur, nisi ei prius dixisset „Pater noster." Quibus factis ipsa recessit de dicta domo et remansit in dicta domo dictus haereticus cum dictis Guilielmo Bustalh et aliis, et in crastinum dictus Guil. Bustalh in curti dictae domus dixit ei: et tu non credis bonum esse illud, quod nocte fecimus, loquens de dicta haereticatione? Et ipsa respondit, quod non, et addidit, et quomodo possit esse bonum, cum ille homo praeceperit, quod non daretur cibus et potus dictae infirmae, nisi solum panis et aqua, de quibus vivere nec sani possent. Et dictus Guilielmus respondit, quod immo bonum erat, quod fecerant, quia non poterant homines aliter salvari, nisi reciperentur per tales homines, qui sunt amici Dei, et non audent ire de die, sed de nocte solum, et omne, quod faciunt, faciunt propter amorem Dei et salvant animas illorum, qui credunt eis, et non valent aliquid, qui non credunt eis, et si tu non habes fidem tuam in eis, nihil tibi valent. Cui ipsa respondit, ut dixit, quod non habebat fidem suam in eis. Et tunc dictus Guilielmus interrogavit ipsam: et non faceres eis bonum vel malum? Et ipsa respondit, quod nec bonum vel malum faceret dictis hominibus, sed tamen volo eos videre ultra. Et tunc

dictus Guilielmus dixit ei, quod Guilielma Maleta quondam docuerat eam praedicta. Et ipsa petivit a dicto Guilielmo, quis erat ille homo, qui receperat dictam socrum suam praeterita nocte. Et ipse respondit ei, quod dictus homo vocabatur Pradas Tavernerii, qui erat bonus christianus. Et postquam socrus ejus fuerat haereticata, supervixit per tres vel quatuor dies, et tunc, postquam haereticata fuit, non comedit, ut credit, sed bene vidit, quod semel Guil. Bustalh praedictus dedit ei ad potandum aquam frigidam. Et ipsa, ut dixit, sepulturae dictae socrus suae (interfuit), licet sciret, eam fuisse haereticatam. Quae sepultura fuit in coemeterio s. Petri de Pradis, et non fuit exhumata. Ex tunc praecedentes ejus confessiones et revocationes lectae ei fuerunt intelligibiliter et in vulgari anno, quo supra, die 21. mens. Oct., praesentibus religiosis viris Albenone priore claustralis ecclesiae Appam., fratre Arnaldo de Cassario, ord. praed., conventus Appam., fratre David, monacho fontis frigidi, et me Guilielmo Petri Barta, notario dicti D. episcopi, testibus ad hoc vocatis; et fuit interrogata, si fecerat praecedentes confessiones et revocationes et si volebat persistere et perseverare in eis. Quae respondit, quod sic; et quia non plene videbatur adhuc confiteri veritatem, dedit ei diem ad deliberandum et ad confitendum plenius et perfectius, diem hunc sequentem.

Post quae anno, quo supra, die 29. mens. Octobr., dicta Mengardis comparuit in dicta camera sedis episcopalis Appam. coram dicto D. episcopo, assistente sibi fratre Gualhardo de Pomeriis praedicto, praesentibus fratre Arnaldo de Cassario, Petro Carperii, clerico cantore dicti D. episcopi, et fratre David, monacho fontis frigidi et me Guilielmo Petri Barta, notario praedicto, testibus ad hoc vocatis, quia die superius assignata fuerat prorogata ex causa usque ad diem praesentem, et constituta in judicio fuit interrogata, si ultima sua confessio, quam fecit, in omnibus et per omnia continet veritatem et si ita fuit in rebus, ut confessa est. Quae respondit, quod sic. Interrogata, an ipsa crediderit unquam, quod illi homines, qui fugabantur, essent boni

homines et amici Dei et non faciebant malum alicui rei, nec accipiebant alienum, nec mentiebantur, nec occidebant aliquid, et salvabant animas, et si homo non transiret per manus eorum, salvari non poterat, et quod recepti per eos erant absoluti ab omnibus peccatis, et quod homo non poterat absolvi a peccatis per alium, nisi per dictos homines, et quod recepti per eos incontinenti post mortem vadunt ad terram requiei, et quod, si filius ejus lactans fuisset receptus per dictos haereticos et sic mortuus, post mortem esset angelus Dei, ut praedictos errores confessa est, se audivisse a dicto Guilielmo Bustalh: respondit, quod non. Interrogata, si tunc, dum haereticabatur dicta socrus ejus, credidit, quod dictus haereticus bonum opus faceret et ad salutem animae dictae infirmae, respondit revocando, quod dixerat in praecedenti confessione, quod nunquam credidit, nec tunc nec aliter, quod dictus haereticus bonum opus faceret, dum dictam infirmam haereticabat, nec ad salutem animae ejus, nec quod etiam dicta mulier bene faceret, quando faciebat haereticari. Interrogata, quantum temporis erat, ex quo Guilielmus Bustalh dixit ei dictos errores juxta ignem usque ad illud tempus, quod dicta ejus socrus fuit haereticata: respondit, quod ei videtur, quod unus annus fuit intermedius, ex quo primo dixit ei dictus Guilielmus dictos errores usque ad illam noctem, qua dicta ejus socrus haereticata fuit, aliter tamen, ut dixit, non plene recordatur de tempore. Et quia in tot perjuriis inveniebatur et tot varietatibus, idem D. episcopus volens scire plenius veritatem praecepit ei, quod incontenti se ponat in castro de Alamannis in carcere talibus deputato.

Post quae anno, quo sequitur, die 4. mens. Novembr., educta de carcere castri de Alamannis dicta Mengardis et constituta in judicio in camera sedis episcopalis Appam. coram dicto D. episcopo, assistente sibi dicto fratre Gualhardo de Pomeriis, tenente locum dicti D. inquisitoris Carcasson., praesentibus religiosis viris D. Jacobo Albenonis, priore claustralis ecclesiae Appam., fratribus David, monacho fontis frigidi, Arnaldo de Cassario, de ord. praed., con-

ventus Appam., D. Bertrando Barrani, presbytero et me Guilielmo Petri Barta, notario dicti D. episcopi supradicto, testibus ad hoc vocatis, dixit et confessa fuit sub virtute per eam prius praestiti juramenti, quod ipsa fuit praesens in prima haereticatione Raymundae Bustalh praedictae, socrus suae, dicens, ut sequitur, quod illa hora homines communiter solent intrare lectum, ipsa stabat in ostio domus suae et vidit transeuntes ante dictum ostium per viam Guilielmum Bustalh praedictum cum quodam alto homine, et ipsa, ut dixit, cognovit dictum Guilielmum, quia luna clara erat, alium autem hominem non cognovit, ut dixit, credidit tamen tunc, quod haereticus esset, qui Guilielmus et dictus homo ibant versus domum, in qua infirma jacebat dicta Raymunda. Et videns ipsa eos transeuntes secuta fuit eos, qui homines intraverunt domum dictae Raymundae, et ipsa incontinenti intravit post ipsos dictam domum et invenit cum dicta Raymunda Brunam, uxorem nunc Bernardi Pelitii, filiam dictae Raymundae et Gualhardam, uxorem Pontii Esquinati de Camuraco quondam, filiam dictae Raymundae. Et tunc ille homo altus appropinquavit ad caput lecti, in qua jacebat infirma dicta Raymunda, et petivit ab ea, qualiter sibi erat. Quae respondit, quod debiliter. Deinde petivit ab ea, si volebat recipi per eum. Quae respondit, quod sic. Et tunc dictus homo fecit multas inclinationes et, ut videtur ei, quater vel quinquies fecit tales inclinationes et elevationes et deinde posuit librum super caput dictae infirmae et recepit eam ad fidem et sectam suam. Et dum haec fiebant, dicta infirma tenebat manus junctas extra pannos, ac si oraret Deum, et quando sic dictus haereticus eam haereticaverat, dictus haereticus dixit illis, qui praesentes fuerant, quod de cetero non darent comedere vel bibere dictae infirmae, nisi panem et aquam frigidam. Fuerunt autem praesentes in dicta haereticatione, ut dixit, ipsa loquens, Bruna, Gualharda et Guilielmus Bustalh. Non fuit accensum lumen, quando dicta haereticatio facta fuit, quia per quoddam foramen magnum, quod erat in posticio, radii lunae domum, in qua dicta infirma jacebat, intrabant, et

clare homo poterat videre illud, quod in dicta domo fiebat. Et deinde facta dicta haereticatione Guilielmus Bustalh et dicta Bruna flexerunt genua coram dicto haeretico, et ipsa hoc videns fecit similiter, quia Guilielmus Bustalh dixit ei, quod faceret sicut et ipsi, et videtur ei, quod dixerunt dicto haeretico: Domine, miserere, vel Domine, orate Deum pro nobis. Et dictus haereticus respondit alterum de duobus, vel Deus nos benedicat, vel Deus sit rogatus pro vobis. Non vidit, ut dixit, quod aliquid fuisset datum tunc dicto haeretico. Et his factis dictus haereticus recessit cum Guilielmo Bustalh, nescit tamen ipsa, quo iverunt. Ante tamen quam dictus haereticus recederet, dictus Guilielmus Bustalh dixit, quod multum gaudere debebat, quia mater ejus erat recepta, quia propter dictam receptionem erat salvata et statim post mortem iret ad terram requiei. Interrogata, quare alias de dicta haereticatione non fuerat confessa, cum tamen super hoc fuisset interrogata, respondit, quod non recordabatur, quousque modo ultimo fuit in castro de Alamannis. Et in crastino ipsa interrogavit dictum Guilielmum Bustalh, quis erat ille homo, qui receperat nocte praeterita dictam Raymundam; qui Guilielmus respondit ei, quod erat Pradas Taverneriis haereticus, qui erat amicus Dei. Item dixit, addendo confessioni suae supradictae, quod, quando Petrus, filius ejus, infirmari coepit de infirmitate, de qua obiit, dictus Guilielmus Bustalh dixit ei, quod bonum esset, quod si dictus puer appropinquaret ad mortem, quod eum facerent recipi per dictum bonum hominem, et ipsa respondit, quod placebat ei, sed, quia audiverat a dicto haeretico, quod dictae Raymundae post haereticationem non darentur, nisi panis et aqua, interrogavit dictum Guilielmum, quid daretur dicto puero post haereticationem, et dictus Guilielmus respondit, quod, postquam haereticatus fuisset, non daret ei mamillam, quia nihil valeret receptio vel haereticatio, si post haereticationem lac sugeret, vel biberet dictus puer. Quod audiens ipsa dixit, quod nullo modo dimitteret dare lac dicto filio, et propter hoc dictus puer haereticatus non fuit, licet placuisset ipsi loquenti,

quod haereticatus fuisset, (si) postea eum lactare posset, quia dictus Guilielmus dixerat ei, quod, si dictus puer reciperetur, esset angelus Dei post mortem. Item dixit, quod ipsa per duas noctes et unam diem stetit in credentia, quod haeretici erant boni homines et amici Dei, et quod nulli rei malum faciebant, nec accipiebant res alienas, et quod non mentiebantur, nec aliquod animal occidebant, et quod salvabant animas, et quod nullus poterat salvari, nisi transiret per manus eorum, et quod recepti per eos erant absoluti ab omnibus peccatis suis et quod homo non poterat absolvi a peccatis, nisi per eos, et quod recepti per eos post mortem ibant in terram requiei, et quod, si filius ejus lactans fuisset receptus per eos, fuisset angelus Dei, quod bonum opus erat, se facere haereticare, et praedicta credidit instructa per dictum Guilielmum Bustalh.

Confessio Joannis de Vienna, haeretici Valdensis. A. 1319.

Post quae anno, quo supra, die 18. mens. Martii fuerunt ei expressi articuli haeretici, quos supra confessus est, se credidisse, qui sunt infrascripti, primo videl., quod jurare pro veritate dicenda, quando homo est in judicio constitutus, et maxime in causa fidei, est peccatum. Secundo, quod purgatorium non est in alio saeculo, in quo peccata venialia purgentur et satisfactio fiat de poenis peccatorum mortalium, de quibus in praesenti vita non est plenarie satisfactum. Tertio, quod orationes, missae et eleemosynae et alia opera pietatis non prosint ad citiorem liberationem animarum in purgatorio existentium a poena, quam sustinent ibi pro peccatis suis. Quarto, quod excommunicatio lata rite et canonice per eum, qui potest, contra subjectum suum non excludat excommunicatum a regno Dei et a bonis spiritualibus, quae in ecclesia fiunt. Quinto, quod potestates saeculares vel ecclesiasticae, habentes jurisdictionem temporalem, peccent occidendo malefactores eis subjectos. Sexto, quod non credit, se esse subjectum Romano Pontifici, nisi solum, quando praecipit illud idem, quod Deus. Septimo, quod in ecclesia non sunt, nisi tres ordines, scil. episcopa-

tus, presbyteratus et diaconatus. Et monuit eum et rogavit instanter, quod dictos articulos haereticos, quos, ut dixit, credidit, discredat et abjuret secundum formam ecclesiae, abjuret etiam omnes articulos haeresis Valdensis et omnem aliam haeresim extollentem se adversus scientiam Dei et s. ecclesiae catholicae et apostolicae et Romanae. Qui respondit, quod in credentia dictorum articulorum persistere volebat, ut confessus fuerat supra, nec volebat dictam credentiam abjurare, sed vult perseverare in ea et vivere et mori.

Confessio Huguetae, uxoris Joannis de Vienna, haereticae perfectae sectae Valdensium seu Pauperum de Lugduno. A. 1319, die Jovis, in vigilia s. Laurentii.

Item dixit, quod 16 anni sunt vel circa, quod inducta per dictum Girandum, qui dixit ei, quod Joannes Lotaringius eorum Majoralis erat in Monte Pettulano, ipsa de Arelate venit apud Montem Pettulano ad videndum dictum Joannem Lotaringium, accepta occasione vigilandi in ecclesia b. Mariae de Tabulis. Quem Joannem ipsa reperit in carreria de Sannaria, et fuit loquens cum ipsa in quadam domo, den falco, quae est juxta le Peiro. Quem Joannem inveniens in carreria dixit ei, quod volebat secum loqui, et ingressi dictam domum loquuta fuit cum dicto Joanne. Qui Joannes inter alia ei dixit, quod de cetero nullo modo juraret, quia peccatum erat jurare pro quacunque causa. Item dixit, quod purgatorium pro peccatis solum erat in vita praesenti et non in alio saeculo, quia illi, qui moriuntur, incontinenti post mortem vel vadunt ad infernum vel ad paradisum. Item dixit, quod orationes, eleemosynae, missae et alia, quae fiunt pro mortuis, nihil valent eis, quia purgatorium non est in alio saeculo. Item dixit, quod nullus homo interfici debebat, non excipiendo malefactores. Item dixit, quod excommunicatio nihil valebat, nec ipsi curabant de excommunicatione. Quae omnia ipsa, ut dixit, credidit et adhuc credit et ex tunc credidit.

Confessio Guilielmi Escaunerii de Ax. A. 1320, die 13. mens. Jan.

. . . . . Interrogatus, si sciebat, tunc dictum Jacobum Auterii esse haereticum, respondit, quod sic, quia sic communiter dicebatur inter credentes. Item dixit, quod circa idem tempus ipse morabatur apud Archas et quadam die, de qua dixit se non recordari, Sibilia, uxor dicti Raymundi Petri, et Marquesia, uxor Guilielmi Botolh dieti loci de Archis, dixerunt ei, quod volebant ire apud Limosum ad visitandum Petrum Auterii haereticum, cui volebant (dare) unum pastillum de piscibus, quod fecerant pro eo, quia dictus Petrus non comedebat carnes, sed solum pisces, et quia non venirent ambae solae, rogaverunt eum, ut ipse vellet ire cum ipsis, et ipse respondit, quod libenter. Et iverunt simul portando dictum pastillum. Et cum fuerunt in Limoso, iverunt recta via ad domum Martini Francisci de Limoso, in cujus domo invenerunt Petrum Auterii, et cum eo stabant dictus Martinus et quaedam mulier, quae vel erat ejus uxor, vel concubina, quia eam dictus Martinus in domo sua continuo tenebat. Et dictae mulieres dixerunt dicto Petro, quod unum pastillum de piscibus portaverant, et ipse recollegit eas bene. De quo pastillo comedit dictus haereticus et etiam ipse loquens cum dictis personis. Et ipse comedit eum eo in eadem mensa et dieta nocte ipse jacuit cum dicto haeretico in eodem lecto. Et antequam intrarent lectum, dietus haereticus voluit, quod biberet cum ipso in uno cipho de vitro de aqua. Et postquam ipse loquens intraverat lectum, dictus haeretieus fecit multas genuflexiones super quandam baneam, quae distabat aliquantulum a lecto, vidente ipso qui loquitur. Et antequam ipse intraret lectum, dictus haereticus et dictus Martinus instruxerunt ipsum loquentem, quod adoraret dictum haereticum flectendo genua coram ipso, ter dicendo: benedicite, quod et ipse feeit super dictam bancam, dicendo: benedieite, bone christiane. Dixit etiam, quod antequam intrarent mensam, dictus haereticus instruebat eum et alios praesentes, quod di-

cerent: benedicite. Et dicta nocte multa sibi dixit de erroribus suis, non tamen recordatur de erroribus, quos dixit ei dicta nocte, nisi quod dixit ei, quod ipsi nullo modo tangerent in carne nuda mulierem aliquam, et quod non reddebant malum pro malo, quia Dominus prohibuerat, et quod non mentiebantur, nec occiderent aliquid, nisi traheret ventrem per terram, et quod, si irent per viam et invenirent bursam vel saccum pecuniarum, non tangerent ipsam, nisi scirent, vel crederent, quod esset alicujus credentis eorum, et tunc acciperent ipsam et redderent ei, et si non esset dicti credentis, reportarent eam ad locum, ubi eam prius invenerant, et ibi dimitterent ipsam. Videtur etiam ei, quod nocte illa dixit ei, quod matrimonium nihil valebat, nec baptismus factus in aqua, nec aliquid, quod fieret in missa, excepto evangelio et „Pater Noster," et quod in sacramento altaris non erat, nisi panis communis, quia, si esset in altari corpus Domini, capellani non essent digni, tangere eum, quia capellani erant mali homines, facientes multas turpitudines et mentientes, et tamen postea levabant hostiam, de qua faciebant corpus Domini, cum tamen non esset. Dicebat etiam, quod dicti capellani non dicebant, nisi malum, nisi quod dicebant evangelium vel „Pater Noster." Dicebat etiam ei, quod nullus homo poterat intrare paradisum, nisi per sectam eorum. — — —

— — — et iverunt apud Archas et intrantes domum, in qua jacebat infirma dicta mater ejus, invenerunt dictam matrem ejus valde graviter infirmam nec plene existentem in suo sensu. Et tunc dictus haereticus accessit ad lectum dictae infirmae et locutus fuit cum ea, quae non loquebatur cum sensu suo, sed semper dicebat: O, O. Dictus haereticus incepit dubitare, si eam reciperet ad sectam suam, et quia dubitabat, et erat circa auroram, fuit vocata Raymunda, socrus dicti Petri, quae etiam erat credens haereticorum, et tandem deliberavit dictus haereticus, quod ipsam reciperet ad suam sectam, et fecit multas genuflexiones in quadam banca, quae erat ante lectum dictae infirmae; deinde accipiens quendam librum posuit super caput ejus et haeretica-

vit eam. Interrogatus de praesentibus dixit, quod ipse, dicta Raymunda, Marquesia, soror sua praedicta, Raymundus, frater ejus praedictus, et Petrus praedictus. Et postquam dictus haereticus haereticaverat dictam matrem ejus, dixit eis, quod de cetero non darent ei aliquid, nisi aquam puram, et postea dictus haereticus ivit ad domum dicti Raymundi Petri. Et post quinque vel sex dies, cum mater ejus non acciperet, nisi aquam frigidam, aliquantulum meliorata incepit petere victualia, et dicta Marquesia, filia ejus, nolebat ei dare, nisi aquam juxta praeceptum haeretici. Et postea dicta mater ejus conquerens dictae filiae suae, quia non dabat ei comedere, dixit ei, quare non dabat ei comedere. Quae respondit ei, quod pro tanto non dabant ei comedere, quia erat recepta per dictum haereticum ad sectam et fidem eorum, propter quod non debebat aliquid accipere in cibum vel potum, nisi aquam frigidam, quia sic ordinavit dictus haereticus. Ipsemet etiam loquens hoc idem dixit ei, eadem vel consimilia. Quae respondit eis, quod nolebat tenere praeceptum dicti haeretici, sed volebat comedere, et quia ipsa mater ejus vituperabat dictam filiam suam, quia non dabat ei comedere, Jacobus Auterii haereticus, qui tunc erat in domo Raymundi Petri, ut postea audivit a Sibilia, uxore dicti Raym. Petri, dicebat, quod mala vetula erat mater ipsius loquentis, quia multa mala effundebat, quando maledicebat filiae suae praedictae, quia non dabat ei comedere.

Confessio et depositio Arnaldi Cicredi de Ax super crimine haeresis. A. 1321, die 21. mens. Octobr.

— — — et cum fuerunt praedictae personae congregatae, et mensa fuit posita et panis desuper, dictus haereticus accepit unum tersorium et partem ejus posuit super humerum suum sinistrum. Deinde cum manu dextera nuda accepit unam placentam de mensa et involvit eam in dicto tersorio et tenuit dictam placentam totaliter involutam juxta pectus suum, ita quod cum manu nuda non tangebat dictam placentam, et stans pedes ipse cum praesentibus dicebat

aliqua verba submisse, quae nullus audire poterat. Et cum sic stetissent per pausam, quo homo posset dicere bis „Pater Noster," dicendo dicta verba, extrahebat cultellum suum et scindebat in longum de una parte dictae placentae usque ad aliam dictae placentae in tot frusta vel calhatas, quot personae erant praesentes. Et cum sic dictam placentam divisisset, sedit, et post eum alii sederunt ordine suo, ita quod ille, qui fuerat prius credens, sedebat primus, et post eum ille, qui secundo credidit, et sic per ordinem, et tunc dictus haereticus primum frustum dictae placentae dedit illi, qui primo credidit, et quando dictus credens accepit dictum frustum, dixit: benedicite, Senher, et dictus haereticus respondit: Deus vos benedicat. Ex eodem modo fuit factum de secundo frusto placentae, quod dedit illi qui secundo credidit, et sic deinceps usque ad ipsum loquentem, qui erat ultimus credentium, qui eodem modo dixit dicto haeretico: Benedicite, sicut et alii dixerant. Et ibidem dixit dicta Guilielma ipsi loquenti, quod dictus panis erat benedictus et, ut dixit, primo comederunt de illo pane benedicto, et dum primo ponebant de ipso pane in ore, dicebant: Benedicite, Senher, et haereticus respondebat: Deus vos benedicat. Et cum ipse postea frequenter videret, quod dictus haereticus taliter panem benedicebat in principio mensae, interrogavit dictam Guilielmam, quam virtutem habebat ille panis sic benedictus. Quae respondit ei, quod dictus panis majorem virtutem centics habebat, quam panis, qui benedicitur per sacerdotes in ecclesia in die dominica, licet non fiat signum crucis super dictum panem, nec spergatur aqua benedicta; non tamen dixit ei aliter virtutem panis praedicti. Et cum coenassent et post coenam habuissent suum solatium, ipse accepit commeatum a dicto haeretico et aliis praesentibus et recessit ad domum suam.

Item dixit, quod illo tempore Guilielma Maurina dixit ipsi loquenti, quod dictus haereticus non tangebat mulierem. Et tunc ipse dixit ei, et quomodo ergo est hoc, ex quo mulieres non tangit, quod mulierem secum in domo tenet. Et ipsa respondit, quod domini melius se cooperiunt du-

cendo et tenendo secum mulierem, quam aliter, quia homines videntes, quod secum mulieres habent, credunt, quod sint eorum uxores, et sic non existimantur haeretici, et tamen, licet habitent simul cum muliere in domo una, tamen nunquam ipsi tangunt eas, immo si solum extenderent manum ad mulierem, ut tangeret ipsam, non comederent, nec biberent de tribus diebus et noctibus. Et mulier, ut dixit, quae stat cum domino, parat ei coquinam et lectum, et ne perpendatur per vicinos, quod non sit dicta mulier ejus uxor, ipse dominus diebus dominicis et Jovis emit carnes et portat ei, et, quia cum manu tetigit carnes, tribus vicibus lavat manus suas, antequam comedat vel bibat, aliis vero diebus dicta mulier comedit illa victualia, talia qualia comedit dictus dominus. Dixit etiam ei, quod, quando in aliquo loco dictus haereticus trahit moram, in duobus lectis jacent et separatim multum dictus haereticus et dicta mulier, sed quando erant in itinere, dicebant de se invicem, quod erant conjuges, et ponebant se in uno lecto, tamen induti, ita quod unus aliud in nuda carne non tangebat.

Haereticus, postquam aliquantulum cogitaverat, dixit: Pater sanctus dixit ore suo, quod nullus debet facere alteri, quod non vult fieri sibi; deinde intulit: invenitur, quod Pater sanctus in coelo cum sanctis spiritibus in regno suo et gloria (stabat), deinde Satanas, inimicus Patris sancti, ut turbaret quietem Patris sancti et regnum ejus, ivit ad portam regni Patris sancti et stetit ad portam per 32 annos; non permittebatur intrare. Tandem quidam janitor dictae portae videns, quod per longum tempus expectaverat ad portam et non fuerat adhuc permissus intrare, introduxit illum in regnum Patris s. Et cum fuit inter spiritus bonos, stetit cum eis per annum, absconditus inter eos, ne Pater s. eum videret, et incepit sollicitare spiritus bonos, dicens eis: et non habetis aliam gloriam vel delectationem, nisi illam, quam video vos habere? Qui responderunt ei, quod non. Et tunc ipse dixit eis, quod, si vellent descendere ad mundum suum inferiorem et regnum, ipse majora bona et majores delectationes eis daret, quam eis dederat Pater s. Et cum boni

spiritus peterent ab eo, cujusmodi bona eis daret, respondit eis, quod daret eis agros, vineas, aquas, prata, fructus, aurum, argentum et omnia bona hujus mundi sensibilis et etiam cuilibet ipsorum uxores. Et tunc incepit laudare uxores multum et delectationes carnales, quae cum uxore habentur. Et tunc dicti spiritus quaesiverunt ab eo, cujusmodi res erant uxores. Ipse respondit eis, quod mulieres erant, et si ipsi vellent videre aliquam de dictis mulieribus, quas ipse se promittebat eis daturum, ipse adduceret unam mulierem ad eos, ut eam viderent, solum quod permitterent reintrare regnum Patris s. Et cum dicti spiritus dixissent ei, quod eum permitterent reintrare, egressus fuit de regno Patris s. et post tempus adduxit mulierem pulcherrimam et formosam auro et argento et lapidibus pretiosis ornatam et introduxit eam in regnum Patris et abscondit eam, ne Pater sanctus eam videret, et illam mulierem ostendit spiritibus bonis dicti Patris. Quam cum vidissent, inflammati concupiscentia ejus, quilibet eorum eam habere volebat, quod videns Satanas eduxit secum de regno Patris dictam mulierem et spiritus concupiscentia dictae mulieris illecti secuti fuerunt dictum Satanam et mulierem ejus, et tot eos secuti fuerunt, quod per novem dies et noctes per quoddam foramen, unde Satanas egressus fuerat cum muliere, non cessaverunt cadere spiritus, et magis minutatim et spisse ceciderunt spiritus de coelo per dictas dies, quam cadat pluvia super terram, et tot ceciderunt, quod usque ad cathedram, in qua Pater s. sedebat, fuit locus spiritibus desertus. Quod videns Pater s. petivit, quid hoc erat, et respondit ei unus de spiritibus astantibus, quod inimicus ejus intraverat regnum ejus cum quadam muliere, quam spiritus, qui recedebant, adamaverant, et cum egressus fuisset cum dicta muliere de regno ejus, spiritus ejus sequebantur inimicum ejus propter mulierem, quam secum ducebat. Quod videns Pater s. surrexit de cathedra sua et ivit ad foramen, unde spiritus boni egrediebantur, et posuit pedem in foramine et tunc juravit per saecula saeculorum, quod, quicunque de illis, qui remanserant, se moverent, nunquam re-

quiem invenirent; juravit etiam tunc Pater s., quod, quia per mulierem regnum suum ita fuerat turbatum et spiritibus suis spoliatum, quod de cetero nulla mulier regnum suum intraret. Spiritus autem praedicti, qui de coelo ceciderant, videntes se esse deceptos per inimicum Patris s., recordantes se de gloria, quam habebant cum Patre s., quam perdiderant, quotidie supplicabant Patrem s., quod eis indulgeret, quia eum dimiserant, inimicum ejus sequendo. Quod diabolus cernens dixit, isti spiritus, qui recordantur de gloria, quam perdiderunt, propterea rogant Patrem s., ut eis misereatur, ego dabo eis tunicas, quibus induti non recordabuntur de cetero de gloria, quam perdiderunt. Et tunc inimicus Dei Satanas fecit corpora humana, in quibus dictos spiritus inclusit ad hoc, ut non recordarentur de gloria Patris s. Qui spiritus, quando egrediuntur de una tunica, i. e. de uno corpore, tam velociter currunt, quod, si in Valencia unus spiritus egressus fuisset ex corpore et intrare deberet in comitatus Fuxi villagio, et plueret fortiter per totum spatium, quod est inter dicta loca, vix tres guttae pluviae attingerent eum. Sic autem currens Espaurucastrum ponit se in primo foramine, quod vacuum invenire potest, i. e. in ventre cujuscunque animalis concupiscentis prolem, quae nondum est animata, sive sit canis, sive canicula, sive equa, sive quodcunque alind animal, sive etiam in ventre mulieris, sic tamen, quod, si dicti spiritus malum fecissent in corpore primo, incorporabantur in corpore animalis bruti, si vero non fecissent malum, intrabant corpus mulieris. Et sic spiritus intrabant de tunica in tunicam, quousque intrarent tunicam pulchram, i. e. in corpus alicujus hominis vel mulieris, qui haberent entendentiam de bestiis, et in illo corpore salvarentur et reverterentur. Postquam egressi fuissent de dicta pulchra tunica, i. e. de corpore alicujus sectae eorum, revertebantur ad Patrem s., quia nullus spiritus de praedictis poterat salvari, nisi per eorum manus, vel eorum fidei esset. Si tamen dicti spiritus in corpus mulieris habentis entendentiam de bestiis subintrassent, egressi de corpore mulieris convertebantur in viros, quia Pater s. jurave-

rat, quod nulla mulier de cetero ingrederetur regnum suum; et propter hoc, ut dicebat, quia spiritus ingrediuntur corpora animalium, ipse et sui consimiles nullum animal habens sanguinem occiderent; sed, ut dixit, pisces poterant occidere, quia in piscibus non incorporantur dicti spiritus, quia non concipiuntur, vel generantur in ventre matris, sed generantur ex aqua, et, ut dixit, ipsi propter hoc poterant comedere carnes piscium et non animalium, quia filius Dei dixit, quod tres erant species carnis, sc. carnis humanae, bestiarum et piscium, et pusilli mei non comedant, nisi carnes piscium, et ipse et sui, ut dixit, erant pusilli, et propter hoc solum poterant comedere carnes. Et cum ipse loquens dixerat ei, et quomodo dicitis, quod manus meas et oculos Deus non fecerit, ipse haereticus respondit, quod Deus dixerat, quod nihil eorum, quae ipse fecit, posset perire, quia verbum suum, quo omnia fecit, permanet in aeternum, et ideo nihil potest perire illorum, quae Pater s. fecit, et quia omnia, quae sunt in hoc mundo visibili, i. e. coelum et terra et omnia, quae sunt in eis, peribunt et destruentur, ideo nihil istorum fecit, sed, ut dixit, dominus hujus mundi fecit omnia ista; nam, ut dixit, Deus Pater non fecit, nec dixit, nisi bonum. Vides autem, quod multa mala fiunt in hoc mundo, sicut tempestates et grandines, quae non fecit Deus Pater, sed rector hujus mundi, inimicus Dei Patris. Et cum ipse loquens peteret ab eo, et nonne animae malorum hominum post mortem cadunt ad infernum, et dictus haereticus respondit, quod non erat aliud infernus, nisi iste mundus visibilis, in quo spiritus praedicti faciendo poenitentiam vadunt de corpore in corpus et de tunica in tunicam, et, ut dixit, non finietur mundus, quousque omnes spiritus creati a Patre s. fuerint incorporati in corporibus hominum et mulierum suae fidei, in quibus salvarentur et reverterentur ad Patrem coelestem, et creatura tota Dei Patris, id est spiritibus omnibus a Deo Patre collectis in coelum, blada nascentur et crescent et florebunt et tamen non granabunt et vineae emittent palmites et tamen non fructificabunt. Et cum ipse loquens peteret, quomodo ipse sciebat,

quod spiritus irent de corpore in corpus et de bestia in hominem et de homine in bestiam, ipse haereticus respondit, quod boni homines invenerant, quod quidam homo fuerat multum malus homo, hominum interfector, et quando mortuus fuit, spiritus ejus subintravit corpus bovis, qui bos habuit durum dominum, qui male pascebat eum et cum magno stimulo eum pungebat; tamen spiritus ipsius bovis recordabatur, quod homo fuerat, et quando mortuus fuit ille bos, spiritus ejus intravit corpus equi, qui equus fuit cujusdam magni domini, qui bene nutriebat eum; sed cum quadam nocte hostes dicti domini invaderent ipsum, dictus dominus ascendit equum praedictum et per rupes et loca aspera duxit dictum equum, et cum inter duo saxa dictus posuisset pedem suum, non potuit extrahere pedem, nisi cum magna difficultate, et remansit ferrum inter dicta duo saxa, et postea per partem noctis subsequentem dictus dominus duxit dictum equum, recordabatur tamen spiritus equi, quod in homine fuerat. Tandem mortuo dicto equo spiritus ejus intravit corpus mulieris praegnantis et fuit incorporatus in corpore pueri, quem dicta mulier portabat in ventre. Qui puer cum crevisset, venit ad entendensa de bestiis, deinde fuit factus bonus christianus et cum quadam die cum quodam socio suo transiret per locum, in quo dictus equus fuerat differratus, dictus homo, cujus spiritus fuerat in equo, dixit socio suo: quando ego eram equus, quadam nocte inter ista duo saxa perdidi ferrum, et postea ivi per totam noctem differratus et perdidi ferrum. Deinde ambo perquirentes ferrum inter duo saxa invenerunt ferrum praedictum. Et hoc ipsi loquenti toties dictus haereticus dixit, quod anima hominis ingreditur corpus bestiae et spiritus bestiae ingreditur corpus hominis, quod audiens dicta Guilielma dixit: heu me, quantam poenam sustinuit ille spiritus, antequam posset venire ad pulchram tunicam. Et in dicto sermone fuerunt praesentes ipse dictus Petrus Maurini et dicta Guilielma Maurina.

Confessio Beatricis, uxoris Othonis, de ecclesia quondam de Adalone.

Alazaicis dixit, quod boni christiani venerant ad domum dictae Guilielmae infirmae et receperant eam ad sectam suam, ut facerent eam bonam christianam, et postquam eam receperant ad sectam suam, praeceperant ei, quod non comederet, nec biberet, nisi solum aquam frigidam; quod et ipsa Guilielma fecit, non comedens aliquid, nec bibens, nisi aquam frigidam; et sic mansit quasi per 15 dies, quousque mortua fuit. Et ex tunc dicta Alazaicis incepit, ipsam, quae loquitur, frequentare, et loquebatur sibi de bonis christianis, dicens, quod illi erant sancti et boni homines, et quod magis eis credendum erat, quam catholicis, quia illi sustinent multas persecutiones propter Christum, et Catholici non sustinent aliquam persecutionem, sed habent mundi delectationes. Dicebat etiam ei, quod propter nullum periculum vel malum, quod homini imminere possit, debet dimittere sectam dictorum bonorum christianorum. Dicebat etiam ei, quod in sola eorum secta et credentia homo salvari poterat, et quaecunque peccata homo fecisset in vita praesenti, solummodo quod reciperetur per eos in fide, dimittebantur ei et salvabatur. Dicebat etiam ei, quod illi boni christiani latitant, et non audent apparere, quia ecclesia persequitur eos et destruit, et quod magna eleemosyna est, qui facit eis bonum, et quod ipsa frequenter et Raymundus Maurini, maritus suus, de paupertate sua eis eleemosynas faciebant, abstinendo a cibis, ut eis dare possent, et frequenter eis mittebant farinam et alia, quae habebant, et semper meliora.

Errores Manichaeorum: Confessio Raymundi Valsiera de Ax, haeretici conversi, super crimine haeresis.

Item dixit, quod Guilielmus Auterii haereticus, qui fuit praecipuus et principalis doctor ejus in haeresi, quam aliquando credidit, ut confessus fuit in carcere coram fratre

Gaufredo, quondam inquisitore carceris, docuit eum infrascriptos articulos haereticales sectae Manichaeorum. Primo, quod duo erant dii, unus benignus et alter malignus; et deus benignus, ut dicebat, in altissimis stabat coelis, sed deus malignus stabat infra mundum visibilem; quia, ut dicebat, deus benignus solum fecerat spiritus; deus vero malignus fecerat omnia, quae oculis corporalibus sentiri possunt vel aliis sensibus corporalibus, sicut sunt coelum et terra et omnia animalia, aer et aqua et omnia, quae sunt in eis; et illum deum malignum vocabant dominum mundi, et illum deum malignum dicebant esse Johannem baptistam, qui secundum eos erat prior inter omnes daemones; et de eo dicebant, quod dominus ei dixerat, quod minor in regno coelorum esset major illo, nec faciebant, ut dixit, festum de ipso. Item dixit, quod cum ipse interrogaret semel dictum Guilielmum, si Christus natus erat de virgine Maria, dictus Guilielmus respondit ei, quod ipsi bene sciebant, quod Christus natus erat de virgine Maria, sed non intelligebant hoc ita, sicut catholici dicunt, sed dicta Christi nativitas de virgine Maria intelligitur spiritualis, et non corporaliter, et cum ipse loquens diceret ei, quod daret sibi illud intelligere, quomodo intelligitur Christus natus de virgine, dictus Guilielmus respondit ei, quod non poterant in eo confidere plene, et ideo non exponeret ei praedicta. Item dicebat, quod Christus vere non habuerat carnes et ossa, nec comederat, nec biberat, nec mortuus fuerat, nec resurrexerat vere, quia non fuerat homo verus, nec acceperat veram carnem humanam ex Maria virgine. Item dixit, quod dictus Guilielmus dicebat ei, quod baptismus factus in aqua corporaliter illo modo, quo baptizantur homines in ecclesia catholica, non valebat aliquid, sed baptismus factus in aqua Spiritus Sancti, quomodo ipsi baptizant in Spiritu Sancto. Item dicebat ei dictus Guilielmus, quod ipse et illi, qui erant de secta sua perfecti, poterant absolvere hominem quemcunque de omnibus peccatis suis, et ut dicebat ipse Guilielmus, tantam potestatem habebat absolvendis peccatis, quantam habuerant apostoli Petrus et Paulus, et, ut dicebat, ecclesia

catholica illam potestatem non habebat, quia erat leno et meretrix. Item dicebat praedictus Guilielmus, quod post consecrationem panis et vini in sacramento altaris remanebat ibi panis et vinum, sicut et ante fuerat, nec erat ibi corpus Christi; sed catholici dicentes, quod corpus Christi est in sacramento altaris, faciebant homines errare, quia panis consecratus tantum valebat, sicut non consecratus; et nullam differentiam faciebat inter panem communem et dictum panem. Item dicebat ei, quod ordines collati in ecclesia catholica nihil omnino valebant, sed solum illi, qui erant collati in sancta ecclesia eorum. Item dixit, quod dictus Guilielmus dicebat ei, quod matrimonium, quod fit in ecclesia, non valet aliquid, quia majus peccatum est, cognoscere uxorem propriam, quam aliquam aliam mulierem, quia hoc fiebat publice, illud vero secrete, et quia ecclesia conjungebat matrimonialiter virum et mulierem: per hoc dicebat, quia ecclesia erat leno et committebat in hoc lenocinium, et ex hoc, ut dixit, quia audiverat a dicto Guilielmo, quod majus peccatum erat cognoscere propriam uxorem, quam aliam quamcunque, eocirco ipse accessit et carnaliter cognovit Gualhardam, uxorem Bernardi Gaufredi, cognatam germanam uxoris suae; et ex hoc etiam ipse credit, quod, quia Simon Barra praedictus erat credens haereticorum, per hoc jacebat cum duabus sororibus, et non credebat peccare, ut supradictum fuit. Item dixit, quod dictus Guilielmus dicebat ei, quod deus benignus non faciebat florere, nec granare, nec hominum generationem vel animalium, sed hoc totum faciebat deus malignus. Item dixit, quod dictus Guilielmus dicebat ei, quod animae hominum catholicorum tenentium fidem Romanae ecclesiae statim, quando exeunt de corporibus eorum, vadunt ad infernum, non egressurae postea inde, sed animae credentium ipsis et sectae eorum, si non possunt recipi ad sectam eorum in fine, egressae de corporibus intrant alia corpora humana, si possunt, alia corpora animalium brutorum, si aliud non possunt, etiam intrant corpus bufonis vel grapaudi, et hoc tamdiu faciunt diversa corpora successive snbintrando, quousque inveniunt corpus ali-

cujus de secta eorum, de cujus corpore egrediens vadit ad paradisum; si vero credens eorum in suo fine reciperetur per eos ad sectam eorum, statim quando moriebatur, anima ejus ibat ad paradisum. Et audivit, quod idem Guilielmus dixit ad Aliscendi, uxorem Petri Vincentii de Ax quondam, quod, quando anima recepti ad sectam eorum per eos egreditur de corpore, intra sex vel septem dies ascendebat ad paradisum, quia oportebat quod transiret per septem coelos, antequam esset in paradiso, et in transeundo quodlibet coelum ponebat unam diem. Et hoc dixit ei Guilielma, uxor Gulhami quondam de Ax, quae per praedicta verba fecit haereticari dictum maritum suum in morte. Item dictus Guilielmus dicebat ei, ut dixit, quod Papa, cardinales, archiepiscopi, episcopi et etiam praedicatores erant lupi rapaces, quia persequebantur ipsos et illos, qui sunt de secta eorum. Item dictus Guilielmus dicebat ei, quod non debet homo occidere quodcunque animal, etiam serpentem vel lupum, sed tamen bene poterant occidi per credentes eorum catholici, qui eos persequuntur, sed tamen ipsi perfecti non debebant occidere quemcunque, licet possent comminari de interfectione illos, qui persequebantur eos, et extrahere etiam spatam vel gladium, si portabant ipsum, vel lanceam opponere, dicendo: si appropinquas, hic morieris: interpretando morieris non, quod ipsi eum occiderent, sed quod aliquando moreretur. Dicebat etiam, quod nullo modo perfecti inter eos debebant mentiri, nec mulierem tangere, nec cum ipsa in una banca sedere, quantumcunque longa esset, nec comedere carnes vel sanguinem. Item dixit, quod, cum, 19 anni sunt elapsi, ipse fuisset infirmus graviter apud Ax, et crederetur communiter, quod moreretur, venit ad eum Bernardus Arqueratoris quondam de Ax et dixit ei, modo esset tempus; ex quo ita debilis erat, quod faceret bonum finem, et illi, id est haeretici reciperent eum ad sectam eorum, et quod, postquam fuisset receptus, non biberet, nisi aquam, quousque esset mortuus. Et ipse respondit, quod nullo modo hoc facere volebat, quia adhuc volebat vivere. Item dixit, quod dictus Guilielmus Auterii haereticus dixit

ei semel in domo Sibiliae de Batte, quod bonum esset, quod ipse faceret se recipi ad sectam eorum, ut salvaret animam suam et quod esset eorum socius; et ipse respondit, quod hoc nullo modo faceret, quia non placebat ei, et quod de cetero non loqueretur sibi de hoc; et dictus haereticus respondit, quod, ex quo non placebat ei, non loqueretur sibi de hoc de cetero. Item dixit, quod circa illa tempora quadam die Paschae de mane dictus Guilielmus Auterii haereticus misit ei unum frustum placentae quantitatis pugni sui per Guilielmum Cumberti quondam, in cujus domo tunc dictus haereticus erat, ut dixit ei dictus Guilielmus Cumberti, et quum dictus Guilielmus Cumberti praesentavit ipsi loquenti dictum frustum placentae, dixit ei, quod dominus Guilielmus Auterii mittebat sibi de pane benedicto per eum; quem tamen panem ipse loquens, ut dixit, recipere noluit. Item dixit, quod 20 anni sunt et amplius, non recordatur plene de tempore, ut dixit, quadam die ipse ibat spatiatum cum Bernardo Arqueratoris praedicto versus locum vocatum Castel, et tunc dictus Bernardus dixit ipsi testi, quod Guilielmus Rossetti quondam de Ax fuerat receptus per dictos haereticos ad sectam eorum, et in receptione ejus fuerat ipse Bernardus et Gualharda, uxor Guilielmi Auterii haeretici praedicti. Item dixit, quod idem Bernardus praedictus dixit ei, quod uxor Petri Auterii, alias vocatus Petrus Pauc, fuerat recepta ad sectam et fidem haereticorum per Guilielmum Auterii haereticum; in cujus haereticatione fuerat, ut dicebat, ipse Bernardus et Gualharda, uxor dicti Guilielmi Auterii haeretici, et dicebat idem Bernardus, quod magnum miraculum contigerat, dum haereticabatur mulier, quia magna claritas descenderat de coelo super dictam domum et pertigerat usque ad dictam infirmam, quae jacebat in lecto. Super aliis denunciatis de novo contra eum negavit et dixit, ut supra.

Haereticus dixit ipsi loquenti: et vos quomodo oratis Deum? Et ipse loquens respondit, quod ipse signabat se

signo crucis et commendabat se Deo, qui mortuus fuit pro nobis in cruce, et beatae Mariae et dicebat Pater Noster et Ave Maria. Et dictus haereticus dixit ei: propter hoc belat muto, quia nescit loqui. Et cum ipse dixisset: Et non facio bene? dictus Petrus Maurini respondit, quod nullus debet dicere Pater Noster, nisi domini, qui sunt in via veritatis, sed nos et alii, quando dicimus Pater Noster, mortaliter peccamus, quia non sumus in via veritatis, cum comedamus carnes, erraremus cum mulieribus. Et cum ipse loquens interrogaret: quam ergo orationem ego faciam, cum non debeam dicere Pater Noster? dictus haereticus respondit, quod sic Deum oraret: Dominus Deus, qui direxit Reges Melchior, Baltazar, Gaspar, quando venerunt ad adorandum eum in oriente, dirigat me, sicut direxit eos, et, ut dixit, non debebat orare Pater Noster. Ave Maria autem nihil valebat, ut dixit, quia capellani invenerant eam. Et cum ipse diceret, quod immo Gabriel, dictus haereticus respondit: pec! pec! dixit tamen, quod ipse loquens poterat dicere Pater Noster non per modum orationis, sed ad hoc, ut haberet in memoria Pater Noster et non oblivisceretur ipsum ad hoc, ut, si confessores interrogarent ipsum, si sciebat Pater Noster, et vellent audire ab ipso, si ipsum sciebat, dictum Pater Noster dicere posset. Et dictus Petrus Maurini dixit ipsi loquenti, quod dominus sexies surgebat ad orationes suas in nocte et propter hoc posuerat se in sponda lecti et, ut dixit, rogabat Deum pro omnibus credentibus suis et amicis.

Circa vesperas cum reversi fuissent de vineis et bibissent, dictus haereticus juxta ignem cum eis incepit praedicare dicens: Pater sanctus dixit: non faciatis alteri, quod tibi non vis fieri. Invenitur, quod, quando spiritus, quos creaverat Pater sanctus, decepti ab inimico ejus modo supradicto in alio sermone de coelo exierant, et inimicus Dei induerat eos tunicis, id est corporibus, ut obliviscerentur de gloria Dei, in qua aliquando fuerant, Pater sanctus videns se depauperatum de spiritibus et quasi solitarium, et quod cathedrae, in quibus dicti spiritus sedere consueverant, vacabant, doluit et turbatus fuit de perditione suorum

spirituum et cogitavit intra se, qualiter spiritus, qui decepti de coelo ceciderant et non recordabantur de gloria coelesti, quam habuerant, propter quod non affectabant illuc reverti, possent iterum ad coelum reverti ad sedes suas. Et tunc incepit scribere unum librum, quem composuit in quadringentis annis, in quo libro scripta erant plene dolores, angustiae, afflictiones, paupertates, infirmitates, contumeliae, injuriae, invidiae, odia, rancores et generaliter omnes poenalitates, quae contingere hominibus possunt in hac vita. Et continebatur ibi, quod ille, qui vellet sustinere omnes praedictas poenalitates et docere, quod dictas poenalitates sustineret, esset filius Patris sancti. Et cum incepit librum dictus Pater sanctus, Isaias propheta incepit prophetizare, quod una branca vel ramus debebat venire, qui redimeret spiritus humanos. Et cum Pater sanctus dictum librum composuisset, posuit eum in medio spirituum coelestium, qui remanserant in coelo cum eo, et dixit: ille, qui perfecerit illa, quae scripta sunt in isto libro, filius meus erit. Et multi de spiritibus coelestibus volentes esse Patris sancti filii et prae aliis esse honorati, accesserunt ad dictum librum et aperuerunt ipsum et legentes poenalitates contentas in libro, quas oportebat pati eum qui vellet venire inter homines et honorare humanum genus, postquam modicum in dicto libro legerunt, cadentes spasmati deficiebant, et nullus volebat dimittere gloriam, quam habebat, et supponere se poenalitatibus hujus vitae, ut Dei filius esset. Quod videns Pater sanctus dixit: Et non est aliquis de vobis, qui velit esse filius meus? et tunc unus de spiritibus astantibus, qui vocabatur Johannes, surrexit et dixit, quod ipse volebat esse filius Patris et complere omnia, quae scripta erant in libro praedicto; et accedens ad dictum librum aperuit ipsum, legit in eo quatuor vel quinque folia et spasmatus cecidit juxta librum et stetit sic per tres dies et noctes; et deinde expergefactus ploravit multum et, quia promiserat se completurum illa, quae in dicto libro continebantur, et mentiri non debebat, dixit Patri, quod ipse volebat esse ejus filius et complere illa omnia, quae in dicto libro continebantur,

quantumcunque gravia essent illa; et descendit de coelo et apparuit ut puer natus de novo in Bethlehem. Et videtur ipsi loquenti, quod dictus haereticus dixit, quod beata Maria fuit grossa, ac si esset praegnans. Et postea dictus puer apparuit juxta eam, et existimavit, quod grossities ejus dissonita fuit, quod dictum filium peperisset; cum tamen eum non gestasset in ventre, nec cum peperisset. Et postquam sic dictus puer apparuit in Bethlehem, auditum fuit et narratum per multos, quod propheta, quem praedixerat Isaias esse venturum, venerat. Quod audientes tres Reges venerunt singuli de loco suo et convenerunt simul, ut ad dictum puerum venirent et eum adorarent et munera, quae paraverant, offerrent; quorum unus portabat aurum, alter thus, tertius myrrham; et cum fuerunt simul in via, ordinaverunt, quod antiquior inter eos primus offerret, et junior inter eos multum affectabat, primus offerre munus suum; propter hoc dixit antiquiori, quod, si daret ei illum honorem, quod primus offerret, ipse daret ei juventutem suam pro ejus senectute. Et tunc dixerunt, quod, si haec propheta apparens faceret, scilicet quod junior annis esset antiquus, antiquus esset junior annis, cognoscerent, quod ipse erat ille propheta, quem praedixit Isaias. Quod cum factum fuisset, iverunt, et stella duxit eos usque ad Bethlehem, et adoraverunt dictum prophetam. Et dictum fuit eis, quod Herodes volebat eos interficere, et quod non reverterentur per terram ejus, sed per aliam viam, quia Herodes perpendens occidit multos filios. Qui Dei Filius postea fuit baptizatus per Johannem; deinde diabolus portavit eum in collo suo super unum montem, de quo ostendit ei omnia regna mundi, et dixit ei, quod omnia regna mundi sua erant, et quod omnia ei daret, si in eum credere vellet. Cui respondens Dei Filius dixit: Vade Sathanas, scriptum est in libro Patris mei, quod Dei Filium non decipies. Deinde sustinuit multas poenalitates hujus mundi et praedicavit et tandem, cum tempus advenit, quod reverteretur ad Patrem, dixit discipulis suis: Ego veni in mundum, et mundus me non cognovit; ego non sum de

mundo, nec mundus de me: et qui est meus, non est de mundo, et qui est de mundo, non est meus; quia mundus iste est maligni et inimici Dei, rectoris istius mundi, et rector mundi nihil in me habet. Tunc etiam dixit apostolis suis: amici mei et pusilli! tres carnes sunt, et vos non comedatis, nisi de una, scilicet de carne aquae, quae nascitur sine peccato et corruptione. Dixit etiam eis, quod tempus erat, quod reverteretur ad suum Patrem, et dixit eis, quod ipsi praedicarent verba sua, quae scripserat Pater propter mundum, et quod propter nullam poenam vel tribulationem mundi dimitterent ejus fidem, dicens, quod novem sunt poenae, de quibus ipse volebat sustinere octo, et nonam sustinerent ipsi, et in nona, quam sustinerent ipsi, daret eis tantum de adjutorio, quod faciliter dictam poenam possent tolerare. Deinde quando debuit capi, dixit eis: quod pro nulla re, quae contingeret sibi vel eis, eum negarent, vel ejus fidem dimitterent. Et Petrus respondit ei: quod, etiamsi deberet mori, non negaret ipsum, nec dimitteret. Cui Dei Filius dixit, quod, antequam gallus (cantaret), eum ter negaret. Quod et ita contigit, quia ad vocem cujusdam mulieris ter Dei Filium negavit. Dixit etiam eis, quod ipse ibat ad Patrem suum et quod reverteretur ad eos certa die, quam eis praefixit inter tertiam et meridiem, et quod inveniret eos in domo Simonis Barjona; et his dictis supervenerunt Pharisaei et servientes cum eis filii diaboli et ceperunt eum et omnes injurias et opprobria, quae ei inferre potuerunt, dicti Pharisaei et ministri intulerunt Dei Filio, in tantum etiam, quod quidam leprosus spuit ei in faciem, et ipse omnibus parcebat. Et quando sic fuit consputus per dictum leprosum et derisus ac vilipensus, dixit: Pater, modo cognosco, quod sum Filius tuus, quia ita mihi promiseras, quando me misisti, que als orrores dels hombres saria fasti, id est quod opprobrium essem abjectis hominibus, qui abjecti sunt inter homines. Deinde postquam eum irriserant et terruerant, posuerunt eum in cruce et eum vulneraverunt et multas plagas ei imposuerunt. Quibus factis ipse sine morte media, quia Filius Dei mori non poterat, ascendit ad Patrem

sanctum, flexit genua coram eo et dixit: Pater sancte, ego complevi omnia, quae erant scripta in libro, quem scripseras, obediens voluntati tuae. Et Pater respondit ei: ex quo fecisti omnia, quae scripsi in libro, tu eris Filius meus; cui dictus Filius respondit: Pater, et quid dabis, quod ipse dare possim amicis et credentibus meis? et ipse Pater respondit: quod volebat, quod potestatem, quam ipse dederat ei, posset ipse dare amicis suis et illi aliis, sic quod dicta potestas iret de manu ad manum bonorum hominum, et etiam, quod eis daret, quod illud, quod ipsi facerent in terris, fieret per ipsum Patrem in coelis. Et his dictis exivit a Patre et descendit, ut die assignata appareret amicis suis; qua die, cum Maria Magdalena et alia mulier irent simul, videntes venientem unum hominem senem et antiquum, velociter venientem versus ipsas, timuerunt multum et absconderunt se in duabus bartis quae juxta viam erant, et cum transivisset dictus senex, Maria Magdalena traxit caput de barta et vocavit dictum senem, qui videbatur peregrinus. Cui cum dictus senex diceret, quod non poterat exspectare, quia multum facere habebat, et cum illa rogaret instanter eum, quod reverteretur ad loquendum cum ipsa, reversus fuit ad eam, et ipsa interrogavit ipsum, si sciebat nova de propheta, et ipse respondit, quod sic, quia die per eum assignata amicis suis ipse cum eis in domo Simonis Barjona inter tertiam et meridiem — et cum ipsa diceret ei, si hoc erat certum, ipse respondit, quod sic; et recedens ab ea statim disparuit. Et tunc dicta Maria Magdalena cognovit, quod ille senex propheta erat. Et ipsa et etiam ipsemet propheta congregaverunt amicos prophetae in domo Simonis Barjona, excepto apostolo Thoma. Qui cum essent congregati in dicta domo, et jam hora assignata videretur transire, Petrus dixit aliis, qui existimabant se esse deceptos: vel nos sumus peccatores, vel erramus in die, quia propheta mendax non est. Cui cum dicerent, quod in die non errabant, ipse Petrus dixit: ergo nos sumus peccatores, et propter nostra peccata non venit propheta. Et tunc ipse dixit aliis: Ex quo nos sumus peccatores, videamus, qualiter

quivis vestrum credat in ipso. Et tunc composuerunt symbolum vel Credo Apostolorum, quilibet dicendo partem suam. Quod tamen Credo, licet dictus Guilielmus haereticus diceret, quod Apostoli composuerunt ipsum, ipse tamen ipsum nesciebat, nec de eo curabat, ut dicebat, quia solum curabat de verbis Patris et Filii et Johannis evangelistae et de aliis non, quia ipse tantam potestatem habebat, sicut apostoli habuerunt, et quantam etiam habuit ille, de quo dicitur, quod fuit filius sanctae Mariae. Et cum, sicut dixit, Apostoli starent ita exspectando dictum prophetam per unum vesperialem, specie ignis dictus propheta venit, et de illo igne omnes fuerunt illuminati et illi, qui ignorabant literas, sciverunt ipsas in tantum, quod nullus homo poterat eos in scientia superare. Datum etiam eis fuit, quod loquerentur linguis omnium gentium. Et supervenit Thomas, qui non credebat, quod propheta posset venire, et cum venisset, dixit, quod ipse non credebat, quod propheta posset venire ad eos, nisi ipse poneret manus in vulneribus ejus. Et tunc propheta dixit Thomae, quod poneret manus suas in vulneribus ejus. Quod cum fecisset, dixit Filio Dei, quod indulgeret ei, quia modo credebat, quod ipse esset, et de cetero crederet. Cui Dei Filius respondit: indultum sit tibi, et de cetero non sis incredulus. Cui Thomas respondit: quod non esset. Et Dei Filius dixit omnibus: praedicate verba mea per mundum universum et custodiatis vos a falsis prophetis, qui ponent se inter vos, et quemadmodum falsus propheta intrans regnum Patris mei turbavit ipsum, ita etiam falsi prophetae, qui intrabunt inter vos, turbabunt vos. Et exponendo, quid significant falsi prophetae, dicebat, quod falsi prophetae erant falsi credentes, qui ponunt se inter bonos credentes; qui postea discelant et discooperiunt Dei filios; et tota turbatio, quae est in ecclesia nostra, procuratur sic per falsos credentes; sed tamen multum super hoc punientur, quia Pater sanctus dixit: qui decipiet me, indulgebitur ei, et qui decipiet Filium, parcetur ei, sed qui decipit Spiritum sanctum, non habebit pacem, neque finem. Et tunc Petrus Maurini dixit ipsi loquenti, exponendo

Spiritum sanctum, quod ipse Guilielmus Belibasta erat Spiritus sanctus et addidit: heu me, qui dictum dominum, id est haereticum deceperit, cum malo gaudio potest aliud saeculum exspectare, et melius illi esset, quod natus non fuisset. Et tunc dictus Guilielmus respiciens ipsum loquentem dixit: O Arnalde, attende tibi, ne tu sis de falsis prophetis! Et Petrus Maurini respondit, quod ipse loquens non deberet esse falsus propheta, quia de bona parte veniens, si volebat unam matrem imitari. Et dictus haereticus continuando sermonem suum dixit: quod Dei Filius dixit apostolis suis, quod peterent ab eo, et ipse daret eis. Et tunc traxerunt se ad partem, et fuit deliberatum inter eos, quod peterent ab eo securitatem talem, quod non timerent aliquem. Et reversi ad ipsum dixerunt, quod securitatem petebant; et Dei Filius respondit eis, quod grave erat, dare meliorem feudatam servo, quam dominus accepit; et ipsi videntes, quod rationalibiter eis denegaverat, quod petierant, quia Dei Filius non habuerat in hoc mundo securitatem, habuerunt iterum consilium suum, quod peterent ab eo; et tunc Johannes dixit, quod peterent, quod potestatem, quam ipse habebat, et ipsi haberent, et quod illam potestatem aliis dare possent et illi aliis ita quod dicta potestas transiret de manibus ad manus bonorum hominum ad bonos homines, et bonarum mulierum ad bonas mulieres, quia, ut dixit, ita sunt bonae mulieres, sicut et boni homines; quae bonae mulieres dictam potestatem habent et possunt recipere in fine homines et mulieres, si tantum sit, quod non sint praesentes boni homines, et ita salvantur recepti per bonas mulieres, sicut per bonos homines. Et ex illo tempore usque ad ipsum et alios suae sectae venerat dicta potestas de uno ad alium, quia illam eandem potestatem, quam habuit Dei Filius, habebat et ipse Guilielmus et ita magnum praemium sperabat ipse habere, sicut habet Dei Filius. Et reversi ad Dei Filium dixerunt, quod illam potestatem petebant, et ipse respondit, quod dictam potestatem eis concedebat ex parte Patris sui; et his dictis divisit praedicationem eorum, designans patriam, in qua quilibet eorum

praedicaret. Petro autem dimisit ecclesiam. Et ascendit in coelum, et tunc ipsi Apostoli praedicaverunt per mundum universum, et, ut dixit, potestas Petri, cui Christus dimiserat ecclesiam, cessavit post Petrum, ita quod Romani Pontifices, qui post Petrum venerunt, illam potestatem non habent, quam habuit Petrus, quia, ut dixit, non tenent fidem et viam, quam illi de secta sua tenent, qui tenent fidem et vias Filii Dei. Et quod ipsi fidem et viam Dei tenerent, probabat sic, dixit enim: quod quidam bonus homo eorum sectae erat, qui erat dubius, an bonam fidem teneret, et rogabat Patrem, ut ei ostenderet, si bonam fidem et bonam viam tenebat, et quod etiam ei ostenderet gloriam suam. Et quadam die, dum sic oraret, apparuit ei angelus et dixit ei, quod ipse venerat, ut ostenderet ei gloriam Patris saneti et si fidem bonam et viam tenebat; et fecit dictum hominem ascendere super collum suum et eum portando pervenit usque ad primum coelum post mundum istum turbulentum et deposuit eum ibi, et vidit dictus homo dominum dicti mundi et coeli et accedens ad eum volebat ipsum adorare, sed fuit prohibitus per dictum angelum, qui ei dixit, quod non adoraret illum, quia non erat Pater ejus. Et deinde dictus angelus aceipiens illum bonum hominem super collum suum portavit eum ad secundum mundum et secundum coelum et ibi eum deposuit, et videns dictus homo dominum secundi mundi stantem in majori gloria, quam staret dominus primi mundi, voluit eum adorare, sed fuit prohibitus per dictum angelum. Et eodem modo fuit portatus dictus homo per dictum angelum per omnes alios coelos usque ad septimum coelum, et dictus homo voluit adorare dictos dominos coelorum et mundorum, qui majoris gloriae erant, quanto superiores erant, et fuit prohibitum per dictum angelum eos adorare. Tandem portatus in septimo coelo et videns dominum dicti coeli angelus dixit ei, quod ille erat Pater sanctus, et quod illum adoraret. Et accedens dictus homo ad Patrem adoravit eum, et dictus Pater sanctus interrogavit dictum hominem, unde veniebat. Qui respondit, quod de terra tribulationum, et videns dictus homo

in dicto coelo magnam claritatem et multos angelos et pulchra viridaria et aves cantantes, et quod erat ibi gaudium sine tristitia; non erat ibi sitis vel fames, nec frigus nec calor, sed temperies magna, dixit Patri sancto, quod placeret ei, quod de cetero remaneret cum eo. Et Pater sanctus respondit, quod non poterat ibi remanere pro tunc, quia caro nata de corruptione non poterat ibi manere, sed oportebat, quod descenderet ad terram tribulationis et praedicaret illam fidem, quam jam sciebat, quia illa erat fides ejus. Et dictus homo rogavit Patrem, quod per aliquam pausam secum staret, quod et ei concessit; et post pausam dictus angelus dixit dicto homini, quod ascenderet super collum ejus, quia hora erat, quod descenderet; et dictus homo respondit ei, quod adhuc non steterat cum Patre de prima usque ad tertiam. Et dictus angelus dixit ei, quod immo steterat per 32 annos, et ita inveniret, quando esset in terra. Et dictus homo ascendens super collum dicti angeli et descendens per omnes dictos coelos venit ad mundum istum et postea praedicavit illa, quae viderat. Et sic, ut dicebat, eorum fides et secta confirmata fuit. Et cum sermonem finivisset dictus haereticus, coenaverunt, et post coenam dictus haereticus dixit, quod baptismus nihil valebat, nisi homo voluntarie et gratis ipsum acciperet, quia, ut dicebat, Christus, quando fuit baptizatus a Johanne, homo completus erat, et propter hoc, ut dicebat, baptismus datus parvulis non valebat aliquid, quia, ut dicebat, pueri non habent usum rationis, et eis displicet, quando baptizantur, unde etiam clamant et plorant, quando aqua spargitur super eos per sacerdotes, dum baptizantur. Item dixit, quod dicta nocte vel alia, non recordatur tamen aliter de tempore, sed in dicta villa de Sancto Matthaeo et in dicta domo audivit dictum haereticum dogmatizantem errores subsequentes: primo scilicet, quod ipse et sui similes, qui sunt in veritate, jurare non debent aliquo modo, quia Filius Dei dixit, quod nullo modo homo juraret, neque per coelum, quia homo non poterat facere unam stellam parvam vel magnam in eo, neque per caput proprium, quia homo non potest facere

capillum album vel nigrum, neque per aliam omnino rem, quia ipsi soli debent dicere veritatem, et nullo modo debent mentiri, nec etiam timore mortis. Dicebat tamen, quod credentes eorum jurare poterant super librum evangeliorum, etiam pro falso, et perinde erat, si homo juraret super dictum librum, ac si homo poneret manum super unam bancam et super arboris folium, quia ita perjuri peccabant credentes jurantes pro falso super librum evangeliorum, sicut jurantes super bancam vel folium, pro tanto autem dicebat, quod haeretici nullo modo jurare debebant, et tamen credentes pejerare poterant, quod haeretici sunt in veritate, credentes autem sunt in falsitate. Item audivit eum dicentem, quod Christus non comedit nec bibit cibum vel potum corporaliter, licet videretur astantibus comedere et bibere, sed vivebat de gratia Spiritus sancti. Item dixit, quod audivit dictum haereticum dicentem, et etiam idem audivit a Guilielma praedicta, quod ipsi et alii, id est credentes erant tibiae beatae Mariae; et eum ipse interrogaret ipsum haereticum, quid hoc dicere volebat, dictus haereticus respondit ei: fac te bonum hominem, id est haereticum et postea dicam tibi. Item quando dicto haeretico occurrebat alia imago beatae Mariae, dictus haereticus dicebat ipsi loquenti: da unum obolum huic Mariae, ita deridendo dictam imaginem. Et ut dicebat, cor hominis est ecclesia Dei, sed ecclesia materialis nihil valebat, et imagines Christi et sanctorum, quae sunt in ecclesiis, vocabat idola. Item audivit eum dicentem, quod ipse odiebat crucem et nullam ei reverentiam exhibere volebat, immo, ut dixit, libenter ipse eam eum securi frangeret, ut faceret de ea ignem subtus olla, et assignans causam dicebat: si homo super unam arborem suspendisset patrem tuum, diligeres illam arborem? certe non, immo odires eam, et displiceret tibi, quando eam videres, et si posses, eam ineideres; et eodem modo, quia in cruce fuit affixus Dei Filius, non debemus diligere crucem, immo odire et frangere ipsam, si possumus. Et ut in pluribus, quando transibat juxta cruces, dictus haereticus cum jaculo, quem portabat, pungebat crucem, et quando crux

distabat, cum jaculo faciebat, quasi dictam crucem pungere vellet. Item dixit, quod audivit dictum haereticum dicentem, quod Deus nullam diem festivum instituerat, sed tantum valebat una dies, sicut et alia, et ita festiva erat; licet ipse in aperto, ne reprehenderetur, dies dominicos vel festivos coleret; sed quando dictis diebus habebat facere aliquid, claudebat ostium domus suae, et intra domum suam operabatur, sicut et aliis diebus. Et ad probandum, quod nulla dies erat festiva, dicebat, quod ita bene pluit dominica die, sicut et alia, et aliae intemperies aëris fiunt dominica die, sicut et alia. Et secundum hoc nulla differentia erat, ut dicebat, inter dies. Item dixit, quod cum ipse loquens semel interrogaret eum, si signabat se signo crucis, respondit, quod ipse fingebat, quod se signabat, et tamen non faciebat; sed movebat manum ante faciem, postea deducebat eam versus pectus, ac si se signaret, dicens ipsi loquenti, quod taliter faciebat, ac si moveret muscas de facie, quia ita poterat eas removere, sicut et alii. Item dicebat, quod Pater coelestis est solum Deus, Filius Dei, id est Christus, non est Deus per naturam, sed Spiritus sunt ipsi haeretici vestiti vel perfecti. Item dixit, quod cum quadam vigilia beatae Mariae ipse loquens jejunaret et esset in domo dictae Guilielmae cum dicto haeretico et vellent prandere, dictus haereticus dixit ipsi loquenti, quod pranderet cum eis, et cum ipse loquens responderet ei, quod jejunabat, dictus haereticus dixit, quod jejunium, quod vos alii facitis, tantum valet, sicut jejunium lupi; sed jejunium, quod ipse faciebat et sui consimiles faciebant, valebat, quia ipsi erant in veritate, alii vero in mendacio. Item audivit eum dicentem, quod ex quo homo comedebat de la feresa, id est de carnibus, tantum valebat, quod homo comederet de carnibus in die Veneris, sicut in die dominica, et aequale peccatum erat una die comedere, sicut et alia, et in quadragesima, sicut alio tempore. Et, ut dicebat, quadragesima erat mutata per falsos Papas, qui bene fuerunt Papae, quia papabant, cum tamen Christus alio tempore jejunaverit. Item audivit eum dicentem, quod beata Maria et alii sancti non fecerunt

miracula in hoc mundo, sed solum illa faciunt in regno Patris sancti, et quod consimilia miracula ipse haereticus faceret, quando esset in dicto regno. Et cum ipse loquens diceret ei, quod immo in multis ecclesiis sanctorum miracula fiebant, dictus haereticus respondit: et vidistine tu, quod talia miracula fierent? et ipse respondebat, quod multas personas viderat, quae dicebant, quod miracula in eis facta erant; et dictus haereticus dixit: gauet, gauet! et quomodo tu credis, quod ligna miracula facere possint? vocans sanctorum imagines ligna et idola. Item dixit, quod dicta nocte dictus haereticus dixit, solatiando, quod, quando socius ejus et frater mortuus fuit juxta Tortosam ad unam leucam, non recordatur tamen de loco, in quo dicebat dictum haereticum mortuum esse — qui mortuus fuerat, quasi tres anni cum dimidio erant, ipse Guilielmus haereticus portavit in sepultura scutellum aquae benedictae et spargebat dictam aquam super homines, quia, ut dicebat, non est magnum, si homo sustinet tres vel quatuor guttas aquae, quia plures homo sustinet, quando vadit per viam, et propter hoc homo non dimittit viam, et, ut dixit, ad dictum socium suum fecit venire capellanum, ut ei confiteretur dictus socius ejus, et fuit ei confessus deceptorie, ut superius dictum fuit. Postea capellanus apportavit ei corpus Domini et interrogavit eum, si credebat, quod illud corpus, quod ei ostendebat, esset corpus Jesu Christi Salvatoris nostri, quod conceptum fuit de Spiritu Sancto et natum ex Maria Virgine, et dictus haereticus dicebat, quod hoc credebat, sicut credere debet bonus christianus, id est taliter dictos articulos credebat, sicut credunt dicti haeretici, qui se vocant bonos christianos. Et consimiliter interrogatus per dictum capellanum de aliis articulis fidei, consimiliter dictus haereticus respondebat, quod credebat dictos articulos, sicut bonus christianus eos credere debet. Et his dictis dictus haereticus accepit corpus Domini, et tunc ipse loquens interrogavit dictum haereticum, si alter haereticus vel ipse credebat, quod talis hostia consecrata esset corpus Domini; qui haereticus respondit ei: bene credatis, quod non, sed bene

haberet modicum appetitum comedendi, qui talem placentulam comedere non posset, et, ut dixit, ipse ibat ad ecclesiam, ut se fingeret catholicum, et etiam, quia ita bene poterat homo rogare patrem coelestem in ecclesia, sicut in alio loco. Item dixit, quod, cum Mersendis, soror Guilielmae Maurinae praedictae, fugitiva pro haeresi, quae morabatur apud Beyzet, quae villa est juxta Morela ad quinque leucas, haberet quandam filiam vocatam Johannam, quae aliquando dicebat dictae matri suae, quod ipsa faceret eam comburi, quia haeretica erat, nec poterat de hoc corrigi: dixerat etiam semel dictae matri suae, dum erat infirma: et quare non mittitis pro capellano vestro et domino vestro? loquens de dicto haeretico. Semel etiam dixerat dicto haeretico in domo dictae matris suae: Et vos jam facitis vos filium Dei et Deum, et ubi sunt virtutes, quas facitis? Cui cum haereticus diceret, quod non diceret ei malum, nec faceret, quia ipse dictae Johannae malum non faciebat, dicta Johanna respondit ei, quod nimis magnum malum faciebat. Et de dictis verbis dictae Johannae dictus haereticus Petrus Maurini, Guilielma Maurina, Arnaldus Maurini, filius dictae Guilielmae, et Petrus Maurini, frater dictae Guilielmae, cum ipso loquente dicentes, quod aliqua dierum dicta Johanna discelaret eos, et caperentur omnes; propter quod melius esset, quod interficerent eam. Dictus haereticus dixit, quod Filius Dei dixerat, quod mala herba eradicanda est de campo, et si mala romingueria vel vepres nata esset, in ostio domus scindenda erat et comburenda. Mala autem herba et vepres sunt mali credentes et falsi, qui volunt detegere bonos homines et bonos credentes et destruere ecclesiam Dei; qui sunt eradicandi et scindendi, id est debent occidi, quocunque modo occidi possunt, sive veneno sive gladio sive praecipitio vel aliter quocunque modo; et propter hoc dicta Johanna occidenda erat per eos. Et cum mater ejus praedicta, ut dicebant, non potuisset eam interficere cum herba, vocata vulgariter valaire, quam herbam ponebat frequenter in magna quantitate in scutella caulium, quam comederat dicta Johanna, fuit deliberatum primo inter

eos, quod dictam Johannam gladio interficerent, vel etiam de aliqua rupe praecipitarent, et quod diceretur, quod melius hoc facere poterant Johannes et Arnaldus, filii dictae Guilielmae cognati, germani dictae Johannae, quia ipsa non custodiret se de eis, dicta Guilielma respondit, quod, si dicta Johanna perpenderet, quod dicti duo filii sui vellent eam interficere, ipsa interficeret ambo, quia fortior eis erat; et cum Petrus Maurini diceret, quod ipse et ipse loquens dictam Johannam occiderent, quia, ut dicebat, dicta Johanna confidebat in ipso Petro. Et cum loqueretur ipse Petrus cum ipsa, ipse loquens, qui staret post eos cum lancea, ipsam Johannam perforare posset et interficere: ipse loquens dixit dicto haeretico: et vos quare hoc non facitis? et dictus haereticus et Petrus Maurini responderunt, quod, quia ipse haereticus erat in veritate, non debebat occidere aliquam rem, quae sanguinem haberet, sed ipse Petrus Maurini et ipse loquens hoc facere poterant, quia adhuc erant in peccato. Et cum ipse iterum diceret dicto haeretico: et si ego interficerem dictam Johannam, velletis vos accipere illud peccatum super vos? dictus haereticus respondit: quod sic, et utinam jam factum esset. Et Guilielma Maurina hoc audiens dicebat, quod non videbatur hoc esse bonum, quia posset contingere, quod dictum homicidium detegeretur, et tunc omnes perditi essent; sed, ut dicebat, melius esset, quod haberetur del Realgar, et dicta Mersendis, mater dictae Johannae, posset ministrare ipsum dictae Johannae, et si comederet de ipso, statim interficeret eam. Et tunc dixerunt ipsi loquenti, quod ipse haberet de dicto Realgar a Bartholomaeo fratre, den amigo (sic) apothecario dictae villae, quod dictus Bartholomaeus erat amicus ipsius loquentis, et ipse loquens, ut dixit, promisit, quod de dicto Realgar haberet; et tamen postea cogitans de peccato incantavit dictum Bartholomaeum, quod nulli homini et maxime alerda (sic) venderet de dicto Realgar. Et sic dictus Bartholomaeus fecit, quia, cum postea Petrus Maurini venisset ad emendum de dicto Realgar ad dictum Bartholomaeum, quia, ut dicebat, necessarium sibi erat pro infirmitate asinorum suorum, dictus

Bartholomaeus respondit ei, quod duceret ei asinos, et ipse spargeret de dicto Realgar super infirmitate dictorum asinorum. Et aliter noluit ei vendere de dicto Realgar, et sic non fuit interfecta dicta Johanna.

Confessio Sibiliae, uxoris supradicti Raymundi Petri de Archas, super crimine haeresis.

Petrus dixit: quod Pater coelestis in principio fecerat omnes spiritus et animas in coelo, et dicti spiritus et animae erant cum Patre coelesti, deinde diabolus venit ad portam paradisi volens intrare illuc et non potuit, sed stetit ad portam per mille annos. Deinde fraudulenter intravit paradisum, et cum fuit ibi, persuasit spiritibus et animabus factis a Patre coelesti, quod non erat eis bonum, quia erant subjecti Patri coelesti, sed si vellent eum sequi et ire ad mundum ejus, ipse daret eis possessiones, scilicet agros, vineas, aurum et argentum, uxores et alia bona istius mundi visibilis. Ad cujus persuasionem decepti spiritus et animae, quae erant in coelo, secutae fuerunt diabolum et omnes, quotquot eorum secuti fuerunt, de coelo ceciderunt, et tot ceciderunt per novem dies et per novem noctes, quasi pluvia minuta ceciderunt. Et tunc Pater coelestis videns se quasi desertum a spiritibus et animabus surrexit de cathedra sua et posuit pedem super foramine, per quod spiritus et animae cadebant, et dixit de remanentibus, quod si aliquis ex tunc se moveret, nunquam pausam vel requiem haberet, et de cadentibus dixit: eatis pro modo et pro ia, ac si dixisset: de cetero nullus aliquis de dictis spiritibus vel animabus salvaretur, vel rediret ad coelum, sed quia dixit: pro ia, ideo pro aliquo tempore omnes dicti spiritus ad coelum reverterentur, sic tamen quod episcopi et alii magni clerici, quia eorum spiritus fuerunt consiliarii et consilium dederunt, quod spiritus egrederentur de coelo, cum magna difficultate et tandem reverterentur ad coelum, sed spiritus vel animae hominum simplicium, quia subito et quasi per alios decepti consenserunt egredi de coelo, cito et faciliter ad coelum revertentur. Unde dicebat, quod quidam vocatus

Guilhelminus de Ax qui ante nihil sciebat de facto haereticorum et statim, quando ei dictum fuit, consensit et se fecit haereticari, eadem nocte, qua fuit haereticatus, reversus fuit ad coelum, quia fuit ejus spiritus de illis spiritibus, qui solum se movit ad videndum, quomodo alii de coelo exibant, et sic secundum quod magis vel minus peccaverunt in coelo vel egredi de coelo voluerunt, secundum hoc citius vel tardius ad coelum revertuntur. Omnes tamen spiritus et animae, qui de coelo ceciderunt, antequam mundus finiatur, reverterentur ad coelum; postquam autem dicti spiritus sic de coelo ceciderunt et fuerunt in terra, recordati sunt de bono, quod perdiderant, et tristati sunt de malo, quod invenerant, et videns eos diabolus tristes dixit eis, quod cantarent canticum vel cantica Domini, ut solebant. Et dicti spiritus responderunt: quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? unus etiam de dictis spiritibus dixit diabolo: et quare sic nos decepisti, ut sequeremur te et exiremus de coelo? nihil perfecisti, quia adhuc omnes revertemur ad coelum. Cui diabolus respondit, quod non reverterentur ad coelum, quia ipse faceret dictis spiritibus et animabus tales tunicas, de quibus egredi nollent, in quibus tunicis dicti spiritus obliviscerentur bonorum et gaudiorum, quae habuerunt in coelo. Et tunc diabolus fecit corpora, quae corpora facta per diabolum se movere non poterant; et tunc diabolus dixit Patri coelesti, quod faceret dicta corpora moveri. Qui respondit ei, quod hoc non faceret, nisi illud, quod poneret in dictis corporibus, quo moverentur corpora, esset suum, et quod corpora, quae diabolus fecerat, essent ipsius diaboli; et diabolus consensit dicto pacto, et ex tunc sunt animae Dei, et corpora sunt diaboli, in quibus corporibus animae obliviscuntur illorum, quae habuerunt in coelo, et nolunt dimittere etiam dicta corpora, quae corpora vocantur tunicae. Et quia nullus potest salvari, nec reverti ad coelum, nisi transeat per manus dictorum bonorum christianorum, id est haereticorum, et nisi fuerit per eos receptus, idcirco animae vel spiritus illorum, qui non recipiuntur per eos, quando egrediuntur de corporibus, subin-

trant alia corpora, et sic transeunt de corpore in corpus, quousque fecerint poenitentiam suam de peccato, quod commiserunt in coelo, et tandem veniunt ad aliquod corpus, in quo recipiuntur vel efficiuntur boni christiani, id est haeretici, et quando de dicto corpore egrediuntur, revertuntur ad coelum. Induxit etiam dictus haereticus, quod anima cujusdam hominis egressa de corpore ejus subintravit corpus cujusdam equi, et fuit equus cujusdam domini per aliquod tempus, et cum quadam nocte dictus dominus persequendo suos inimicos dictum equum equitaret per rupes et saxa, dictus equus posuit pedem inter duo saxa et vix cum difficultate extrahere potuit et dimisit ibi ferrum, quod habebat in pede. Tandem cum mortuus fuisset dictus equus, anima dicti equi intravit corpus humanum, qui homo fuit bonus christianus, id est haereticus, et cum quadam die ipse cum quodam alio haeretico transiret per locum illum, in quo dictum ferrum perdiderat, dum erat equus, ipse dixit socio suo, quod, dum ipse erat equus, quadam nocte perdiderat ferrum in isto loco, et dicti duo haeretici perquirentes inter duo saxa dictum ferrum invenerunt ipsum; quo exemplo dicto multum praedicti inter se riserunt.

Confessio Sibiliae, uxoris supradicti Raymundi Petri de Archas, super crimine haeresis.

Dicebant, quod quasi omnes meliores et valentiores de Ax erant eorum amici et credentes, et dicebant, quod multos amicos habebant apud Merox et Querol et in monte Alionis et Pradas, et propter hoc, ut dicebant, bene apparebat, quod eorum fides erat bona, ex quot tot valentes viri et mulieres erant eorum amici et credentes, et illi, qui non credunt eis, et maxime clerici, erant caeci et surdi et non videbant, nec audiebant viam Dei pro nunc; sed finaliter et cum magno labore venirent ad intelligentiam et cognitionem sectae eorum in aliis corporibus, in quibus cognoscerent veritatem sectae eorum, et, ut dicebant, nihil valet, nec proficit dictis clericis ad salutem, quicquid dicant vel faciant, pro eo quia non habent intendimentum de bestiis, quia, li-

cet faciant aliqua bona opera, tamen postea a bono opere recedebant, sicut vacca, quae reddit lac et deinde ponit pedem in vase, ubi fuerat lac emulsum, vel recalcitrat et sic lac effundit et bonum, quod natum erat in ea et extractum, postea effusum per talem recalcitrationem perditur. Dicebant etiam, quod capellani recte vocabantur capellani, quia sunt canes et belant alios homines, et ita capellanos interpretabantur pro canibus belantibus. Audivit etiam, quod dixerunt dicto marito ejus: Eatis, Eatis! si habetis tibias porci et portetis eas Antonio, loquens de beato Antonio. Dicebant etiam, quod ipsi erant ecclesia Dei, et ecclesiae aliae erant domus idolorum, et imagines, quae fuerunt in ecclesiis, quas ipsi idola vocabant, et dicebant, quod adorantes dictas imagines erant fatui, cum ipsimet fecissent imagines illas omnes securi vel aliis ferramentis. Dicebant etiam, quod ipsimet nesciebant, si salvarentur, quia, si converterentur ad fidem, quam credit ecclesia Romana, et illam, quam ipsi tenebant, dimitterent, non salvarentur in istis corporibus vel tunicis, immo majores labores et tribulationes sustinerent, antequam salvari possent.

De Guilielmo Belibasta haeretico.

Johannes Maurini dixit ei quadam die apodiatus super quodam pariete, quod diabolus stetit ad portam paradisi per 32 annos et non permittebatur intrare per angelos, et tandem post tantum tempus motus misericordia angelus ostiarius introduxit. Qui intrans in specie pulcherrimae mulieris, in cujus pulchritudine angeli fuerunt allecti et secuti fuerunt dictam mulierem usque ad terram. Post modum cum dicti angeli recordarentur de coelesti gloria perdita et dolerent, diabolus cogitavit et dixit, quod ipse poneret eos in talibus tunicis, quod nunquam recordarentur, se fuisse in dicta gloria, et sic induit eos corpora humana. Et tunc idem Johannes interrogavit tunc testem, si ipse recordabatur, se fuisse in dicta gloria coelesti; qui respondit, quod non. Et haec audivit postea praedicari a dicto Guilielmo Belibasta, qui etiam ad praedicta addiderit, quod propterea mulieres nun-

quam intrant, quando moriuntur, in gloriam paradisi, sed, quando moriuntur, animae earum subintrant corpora masculorum, et si mortis tempore recipiantur per haereticum vestitum, convertuntur in homines masculos, et deus mittit eis 18 angelos, et introducuntur ad gloriam paradisi.

Respondit, quod credunt Patrem bonorum spirituum et orant sic: *Payre sant, dien dreyturier de bons sperits, qui hanc no falhist, ni mentist, ni errest, ni duptest per paor de mort a pendre al mon de dieu estranh, car nos no em del mon ni l mon no es de nos, e dona nos a conoscere so que tu conoyshes et amar so que tu amas.*

*Farisicus enganadors, que estat a la porta del regne e vedayts aquels, qui intrar voldrian e vos autres no y volets, per que prec al payre sant de bons sperits, que a poder de salvar las animas e per bos sperits fa granar e florir, e per raso dels bos dona vida als mals e fara mentre que aia mai al mon dels bos e quan mica no y aura dels mieus menors, cels que son dels set regnes que avalran *) de paradis ans que Lucifer los ne trasch am semblansa d'engan, que dieus no ls permes si no ben, ap tal quar lo diaple era mot fals, que ls permetia mal e ben, e dys, que dar lor hia molers que amarian trop, e dar lor hia senhoria [a] uns sobre autres, e que n' i auria que syrian reys e comtes e emperadors, e am hun ausel qui n pendrian autre e am huna bestia autra.*

*Totas las gens que serian sotsmesas a els, que davalarian dejos e que aurian poder de far mal e bene ayshy cum dieus desus, e que trop lor valia mai, que fossan dejos, que poyrian far mal e ben, que desus, ou dieus no lor dava si no ben. Et ayshi puieron sobre un cel de vidre, et aytans com n'i puieron, caseron e foro perits; e dieus devalec del cel ab 12 apostols et adombrec se en sancta Maria.**)*

---

*) Dieß Wort ſcheint verdorben; weder *avalar*, herabſteigen, noch *avalir*, verſchwinden, gibt einen befriedigenden Sinn.

**) *Heiliger Vater, gerechter Gott guter Geister, der du nie getäuschst, noch gelogen, noch geirrt, noch gezweifelt (oder gefürch-*

Breviter in affectu talis est secta eorum, quod credunt et ita iste loquens credidit hactenus, quod in altari non conficitur verum corpus Christi per sacerdotes, nec infantibus parvulis baptizatis prodest baptismus, donec venerint ad eam aetatem, in qua possint credere et credant. Item quod papa et cardinales et alii catholici, nisi sint de secta sua, non habent potestatem ligandi vel solvendi, et quod quilibet de secta illa perfectus in illa secta, qui appellantur vestiti, et sunt inter eos papa, archiepiscopi et episcopi, habent potestatem solvendi et dimittendi peccata. Item quod inter eos non est necessaria confessio peccatorum, sed si quis credens

---

tet) hast aus Furcht den Tod zu erleiden im Reiche des fremden Gottes, weil wir nicht sind von der Welt und die Welt nicht ist von uns, so verleih uns zu erkennen das, was du erkennst, und zu lieben das, was du liebst. Pharisäische Betrüger, die ihr steht an der Pforte des Reiches und abwehrt die, welche eingehen möchten, und ihr selbst nicht hineinwollt, darum bitte ich den heiligen Vater guter Geister, welcher Macht hat, zu retten die Seelen, und für gute Geister lässt Frucht bringen und blühen, und der Guten wegen Leben gibt den Bösen, und (diess) thun wird, so lange es auf der Welt mehr von den Guten geben wird, und wenn es gar keine mehr geben wird von „meinen Kleinen," denen, welche sind von den 7 Reichen, welche — — aus dem Paradies, ehe Lucifer sie daraus brachte unter dem trügerischen Vorwande, Gott habe ihnen nur das Gute erlaubt, indem der Teufel sehr falsch war, welcher ihnen Gut und Bös erlaubte, und sagte (der deus malus), dass er ihnen Weiber geben würde, welche sie (ipsi) sehr lieben würden, und dass er ihnen Herrschaft geben würde den einen über die andern, und dass es welche unter ihnen geben würde, die Könige wären und Grafen und Kaiser, und dass sie mit einem Vogel einen andern und mit einem Thiere ein anderes fangen würden. Alle Leute, welche ihnen unterworfen wären, würden (aus dem Paradiese) heruntersteigen und sie würden Macht haben, Gutes und Böses zu thun, so wie Gott droben, und es sei viel besser für sie, dass sie hienieden wären, indem sie Böses und Gutes thun könnten, als droben, wo Gott ihnen nur das Gute erlaubte Und so stiegen sie auf in einen Himmel von Glas, und so viele hinaufstiegen, fielen (herab) und gingen zu Grunde; und Gott stieg vom Himmel herab mit 12 Aposteln und beschattete sich in der heiligen Maria.

fuerit, salvatur ex credentia, quam habet; dum tamen ad eum in morte possint attingere perfecti et vestiti haeretici, et tunc per impositionem manuum et libri salvatur moriens, sic quod infra tres dies anima resurgit et ponitur in paradiso terrestri, et ibi stat usque ad diem judicii, et tunc mittitur in paradisum coelestem et nunquam redit ad corpus. Animae autem catholicorum nec salvantur, nec damnantur ad praesens; sed si redeant, vel convertantur ad sectam eorum, salvantur, ut alii de secta eorum. Si autem usque ad mortem non fuerunt perfecti credentes in dicta secta, tunc animae catholicorum sic morientium vadunt de tunica in tunicam, id est de corpore in corpus, quousque pervenerint ad corpora aliquorum credentium in dicta secta, et tunc facientes opera eorum salvantur, ut alii de secta illa, ut praedicitur; et est ista intentio, quod nullus nisi de secta eorum salvatur, qui receperit manuum et libri impositionem. Et etiam si impositionem hujusmodi non receperit, Deus mittit sibi angelum spiritualem de secta illa; nullus autem catholicus in fide catholica salvatur, nisi, ut praedicitur, venerit anima ejus ad corpus hominis suae sectae. Dixit etiam, quod usque ad diem judicii nullus de catholicis damnabitur, quia animae eorum interim ibunt de corpore in corpus; sed tunc, nisi venerint ad corpora hominum de dicta secta, animae catholicorum subjacebunt judicio dei, qui de eis faciet, quod ei videbitur, salvando vel damnando. Dixit etiam, quod, quando perfectus haereticus facit matrimonium inter marem et feminam, ipse potest illos disjungere et dividere, si sibi videtur. Dixit etiam, quod perfecti haeretici non tangunt mulierem, nec comedunt carnes, nec mentiuntur, nec jurant quacunque necessitate vel utilitate, et quicunque ex iis contrarium facit, habet jejunare 9 diebus in pane et aqua, alias damnaretur; ad ista tamen credentes non perfecti haeretici nec vestiti non tenentur. Dixit etiam, quod, cum diabolus stetisset ad portam paradisi per triginta annos, contigit sibi prout continetur in depositione Arnaldi bajuli t. praedicti. Dixit etiam, quod duodecim apostoli, qui descenderunt de coelo cum Christo, erant spirituales, et

postea in civitate Samariae de quinque panibus et nescit quot piscibus superfuerunt duodecim cophini fragmentorum et apostoli praedicti dederunt duodecim hominibus praedictos duodecim cophinos, singulos singulis, et sic facti fuerunt apostoli carnales, habentes eandem potestatem, quam spirituales habebant, et sic uno moriente apostolo spiritualium fiebat unus carnalis; et successive semper fuerunt apostoli in ecclesia Dei, et perfecti inter istos de secta praedicta tenent locum dictorum apostolorum carnalium. Dixit etiam, quod haeretici perfecti de secta sua aliqua animantia super terram non occiderent, nisi reptilia tantum.

Confessio Johannis Maurini de monte Alionis super crimine haeresis.

Haereticus praedicavit errores infrascriptos ipsi loquenti. Dixit enim, quod angelus Gabriel venit ad sanctam Mariam et dixit ei, quod Deus veniret in ipsam et se adumbraret in ipsam et salvaret mundum, et sic etiam fecit; et tunc abstulit potestatem diabolo, quando venit in ipsam, et venit ad terram cum 12 apostolis spiritualibus et fecit alios 12 apostolos terrenos, sic quod, quando martyrizabatur unus spiritualis, faciebat alium terrenum, et sic apostolis spiritualibus successerunt terreni apostoli, et fuit in Samaria cum sancto Petro, et ibi comederunt panem et pisces, scilicet ipse Deus et sanctus Petrus, et de dicta mensa fuerunt ablati 12 cophini fragmentorum et Deus praedicavit fidem cum dictis apostolis. Et fuit postea venditus per Judam pro triginta denariis, quia pro decima, quae ei competebat ratione cujusdam pyxidis, quae decima ascendebat ad triginta denarios, quos habere non potuerat, Deum vendidit, ut rehaberet dictos 30 denarios pro retro decima valoris dictae pyxidis, cum ut bajulus Christi reciperet retro decimam. Dicebat etiam, quod, quia Pontius Pilatus erat major Pharisaeus et non habebat triginta denarios, pro quibus venditus fuit Deus, sed solum viginti novem, cum non posset emere a Juda pro minori pretio, quam pro triginta denariis Deum, fecit fieri proclamationem, quod, qui vellet ei com-

modare unum denarium, ipse daret duos, et sic fuit incepta usura denarii pro denario; quae usura est pessima, ut dicebat dictus Petrus Belibasta, et via perditionis. Et fuit Deus martyrizatus per Pharisaeos inganatores, qui stabant in janua regni et non intrabant regnum, nec permittebant, quod illi, qui intrare volebant, intrarent, et dimisit potestatem suam sancto Petro. Et ipse haereticus, ut dicebat, tenebat fidem sanctam, quam Deus dimisit s. Petro in Roma, quae est sancta fides Romana. Et Deus resurrexit et spoliavit infernum et extraxit omnes, qui erant ibi, excepto Juda Scarioth, qui ibi remansit, et adhuc ipsum Judam tunc extraxisset de inferno, si petiisset ab eo misericordiam; et, ut dicebat, qui est de mundo, non est de Deo, et qui est de Deo, non est de mundo, et quod populus Jsrael salvabatur et illi, qui stabant in veritate et in justitia, et qui non jacebant cum mulieribus et qui non comedebant carnes, et si dicebant aliquod verbum, quod non esset verum, abstinebant vel indurabant per novem dies, sic quod non comedebant infra dictos novem dies, nisi ter, semel in tertio die, et semel in sexto, et semel in nono, et tunc non assumebant, nisi panem et aquam, et hoc faciebant, ut salvarent animam suam, et quod illi, qui stabant in dicta justitia et fide et moriebantur, infra tres (dies) post mortem erant in paradiso terrestri et erant induti de albo, et rogabant Deum et sanctam Mariam pro illis, qui remanebant in hoc saeculo. Et, ut dicebant, ipse credebat, quod praedicti resurgerent et quod deus duplicaret eis gloriam, et quod clarior erat anima praedictorum, quando veniebat ad salvationem, novies, quam sol sit in hoc mundo; et tunc anima ascendet ad paradisum coelestem, ibi habebit vitam perpetuam et gaudium sine ira et nunquam habebit ex tunc aliquod malum, et, ut dicebat, praedicti, qui sic stabant in justitia et veritate, non occidebant aliquod animal gradiens super terram, nec volans in aere, habens sanguinem, nisi mures, serpentes, bufones, ranas, lacertos, et talia animalia, quae ipse vocabat legeza vel immunditias. Dicebat etiam, quod debebat indulgere cuicunque petenti misericordiam sine hoc quod inferat ali-

quam poenam ei qui offendit eum in ejus corpore et maxime talem poenam, quae eum laedat, licet debeat velle, quod faciat poenitentiam de offensa, quam fecit ei; quia, ut dicebat, qualem misericordiam homo exhibet homini offendenti eum, talem misericordiam Deus ei exhibebit; et, ut dicebat, Deus indulget omnia peccata hominibus, excepto peccato desperationis, quando scilicet homo se desperat de Dei misericordia, de qua nullus debet desperare; et ut dicebat, gravius peccatum inter omnia peccata erat peccatum desperationis; et tali peccato, ut dicebat, peccavit Judas Scarioth. Et, ut dicebat, ipse credebat illum Deum, qui erat Pater sanctus bonorum spirituum, et propter bonos spiritus, ut dicebat, Deus faciebat florere et granare et omnia bona mundi Deus dabat et bonis et malis, solum propter bonos. Dicebat etiam, quod diabolus nihil potest auferre Deo, sed bene retardabat, quod Deus non haberet suos, quando eos faciebat peccare, et quando nullus esset in hoc mundo, qui esset Dei, non esset sol, nec luna, nec claritas ulla. Dicebat etiam, quod illi, qui eis, id est haereticis facicbant firmiter reverentiam in suo fine, si non poterant habere bonos christianos terrenos, haberent spirituales, quia illi soli, ut dicebat, qui eis faciebant reverentiam, erant firmi in fide eorum, omnes vero alii, qui eis reverentiam non fecerant, reverterentur ad renascendum; ipsi vero, id est haeretici, et etiam illi, qui eis faciebant reverentiam, jam erant renati et de cetero non renascerentur. Et non declaravit, ut dixit, quid intelligebat per renasci; intellexit tamen ipse loquens per dictum verbum renascendi propter quoddam verbum, quod ei alias dixerat dictus Guilielmus Belibasta, qui dicebat, quod ipse et illi, qui erant boni christiani, erant renati, id est baptizati. Ex alio autem verbo, quod audivit a Guilielma Maurina, quod illi, qui non baptizabantur baptismo haereticorum, eorum anima iret de corpore in corpus, per verbum renascendi intellexit reincorporationem animarum. Item dixit, quod audivit a dicto haeretico, quod Deus, quem ipse vocabat Patrem bonorum spirituum, in quem, ut dicebat, ipsi credunt, sua voluntate fecit omnia, et sine ejus

voluntate nulla res est vel potestatem habet, et facit florere et granare propter bonos spiritus; qui non fefellit, nec mentitus est propter timorem mortis accipiendae in mundo dei extranei, quem deum extraneum vocabat diabolum. Qui Pater bonorum spirituum dat nobis cognoscere illud, quod ipse cognovit, et amare illud, quod ipse amavit. Dicebat etiam, quod aliquando fuit, quod ipsi de secta sua et fide faciebant papas, archiepiscopos et episcopos. Dixit etiam ipsi loquenti tunc dictus haereticus, quod faceret ei reverentiam, et, ut dicebat, omnes alii homines, qui non erant ejusdem fidei cum ipsis, erant inimici sanctae fidei, quia ipsi soli, qui erant haeretici vestiti vel rebaptizati et illi etiam, qui eis reverentiam faciebant, tenebant sanctam fidem Romanam, quam Deus dedit s. Petro apostolo. Dixit etiam, quod corpus Christi non erat, nisi panem et vinum; dicebat etiam, quod ipse non credebat, quod propter baptismum receptum in ecclesia nostra nullus poterat salvari. Cui haeretico cum ipse loquens respondisset: et quomodo ergo salvabuntur tot pueri baptizati, qui quotidie descendunt? dictus haereticus respondit ipsi loquenti: magis praeeligatis vos cum paucis salvari, quam (cum) multis perire, et aliter non respondit dictae quaestioni; sed intellexit ipse loquens, quod per praedicta verba dictus haereticus vellet dicere, quod nullus homo salvaretur, nisi esset baptizatus baptismo haereticorum, vel nisi dictis haereticis reverentiam fecisset. Et tunc etiam dictus haereticus dixit ipsi loquenti, quod faceret ei reverentiam, et si dictam reverentiam faceret, esset salvus, et post dictam reverentiam eidem exhibitam, si moreretur postea, moreretur in eorum fide et ita bene esset ejus anima salva, sicut animae apostolorum Petri et Pauli, et in tribus diebus ejus anima esset in paradiso terrestri. Dicebat etiam, quod nulla anima intraret paradisum vel infernum usque ad diem judicii. Dicebat etiam, quod dicti haeretici rogabant Deum pro nobis aliis, quos dicebant esse inimicos fidei, ut Deus nos reduceret ad fidem eorum. Dicebat etiam, quod bene est caro, qui carnem comedit. —

Confessio Johannis Maurini de monte Alionis super crimine haeresis.

Audivit a Guilielmo Belibasta haeretico, quod duo dii erant, scilicet deus malus, quem ipse vocabat deum extraneum, et ipsemet deus extraneus vocabat se deum, et tamen non erat; qui deus extraneus non faciebat, nisi malum, quia faciebat, ut animae distardarentur, ne venirent ad salvationem. Et quod erat alter Deus bonus, quem ipse haereticus vocabat Patrem bonorum spirituum solum. Dicebat etiam, quod omne, quod est, exceptis spiritibus, de terra est et in terram reverteretur, et quod soli boni spiritus reverterentur ad Deum, quia Deus fecerat eos; et secundum hoc Deus bonus solum fecisset spiritus bonos, et omnia alia fecisset deus malus vel deus extraneus. Ipse tamen, ut dixit, semper credidit, quod Deus bonus fecisset omnia, scilicet corpora et spiritus et omne quod est; bene tamen recognoscit, quod dictus haereticus credebat, quod Deus bonus solum fecerat bonos spiritus et nihil aliud. A quo etiam haeretico audivit, quod septem regna erant Dei et septem diaboli, quia oportebat quod aliqua verba erant bona et aliqua mala et quia oportebat quod homo addisceret tam bona quam mala, sed quod homo teneret se cum bono, et, ut dixit, dictus haereticus declarabat dicta septem regna Dei, quem vocabat Patrem bonorum spirituum, quia, ut dicebat, septem modi erant angelorum, quorum Deus bonorum spirituum Pater erat; non tamen aliter audivit declarari dictos modos septem angelorum, ut dixit. Per septem vero regna diaboli ipse intellexit septem modos diabolorum, de quibus intellexit quinque modos ei expressos per dictum haereticum, quia quidam daemones sunt in abysso, quidam in terra, quidam in aqua, quidam in aere et quidam in superiori regione juxta coelum, quia, secundum quod magis vel minus peccaverunt, magis vel minus descenderunt, et istorum daemonum major daemon, quem ipse vocabat deum extraneum, erat princeps et dominus, qui fecerat omnes alios peccare; qui etiam daemon solum unum filium habebat, quem filium dictus haere-

ticus vocabat Luciferum. Ipse loquens, ut dixit, non credidit, quod essent duo dii, scilicet bonus et malus, sed quod solum esset unus Deus, qui fecit omnia quae sunt, scilicet spiritus et corpora. Alia etiam, quae in supradicto articulo continentur, non credidit, ut dixit, excepto quod credidit, septem modos angelorum esse. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus et credidit, quod Filius et Spiritus sanctus essent partes Dei Patris, qui est Pater bonorum spirituum; qui aliquando separarent se a dicto Patre, aliquando se conjungerent et reunirent se cum ipso et sic efficerentur unus Deus; respondit, quod ipse audivit a dicto Guilielmo Belibasta haeretico, quod Deus Pater bonorum spirituum, quando debuit venire ad terram in beata Maria, divisit se in tres partes, quarum una erat Pater, qui in coelo remansit, et duae erant Filius et Spiritus Sanctus, qui descenderunt in terram, missi per Patrem, ut diabolo auferrent potestatem, quam habebat in hoc mundo. Quae duae partes Dei, scilicet Filius et Spiritus sanctus, in fine mundi reunientur cum illa parte Dei, quae est Pater, et ex tunc solum erit unus Deus et una persona, sic quod, antequam descenderent in terram Filius et Spiritus sanctus, erat solum una persona et unus Deus, in dicto vero descensu fuerunt factae tres personae et unus Deus; et ita erit usque ad finem mundi. Et ipse etiam loquens hoc credidit, tres anni fuerunt in festo omnium sanctorum nuper praeterito. Interrogatus, si unquam audivit et credidit ab aliquo vel aliquibus, quod Filius vel Spiritus sanctus essent angeli, et non essent naturaliter Deus, ejusdem naturae cum Patre, respondit: quod non. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus, vel credidit, quod Deus Pater bonorum spirituum fecerit omnes spiritus et animas, scilicet tam angelos quam animas humanas in principio in coelo de sua substantia vel aliena, et quod in coelo animae et spiritus peccaverunt, respondit, quod a patre suo praedicto audivit, quod spiritus et animae fuerunt facti in coelo a sancto Patre bonorum spirituum et ibi cum ipso habebant bonum sine omni malo et nullum peccatum habebant. Quod videns deus malus vel

diabolus posuit se retro portam paradisi et ibi stetit; per triginta duos annos non potuit intrare paradisum; deinde intravit paradisum et introduxit secum quandam pulchram mulierem. Et cum fuit inter spiritus bonos, quos fecerat Deus Pater bonorum spirituum, dixit eis, quod ipse daret eis tales uxores, quas ipsi multum diligerent, et ipsae eos, et quod cum una ave caperent aliam et cum una bestia aliam, et quod aliqui eorum essent reges, aliqui comites et aliqui imperatores, et aliqui eorum essent domini aliorum hominum, et daret eis bonum et malum, si vellent credere ei et venire cum eo; et promisit eis omnia bona istius mundi. Et aliqui dictorum spirituum crediderunt et consenserunt dicto diabolo, aliqui vero noluerunt ei credere, nec consenserunt ei, alii vero nec expresse contradixerunt nec expresse crediderunt, vel consenserunt, sed tantum accesserunt ad dictam turbationem, et tunc diabolus incepit superbire contra Deum et etiam illi spiritus, qui ei crediderant, et dixit, quod ipse Deus erat. Cui respondit Pater bonorum spirituum, quod ipse diabolus deus erat extraneus. Et tunc diabolus fecit coelum vitreum et ascendit cum omnibus illis, qui crediderunt ei, dictum coelum et etiam cum dicta muliere; et tunc dictum coelum fractum fuit, et ceciderunt tam dictus diabolus quam dicti spiritus, qui ei consenserant, et non solum illi, sed etiam illi spiritus, qui accesserant ad dictam turbationem; de quibus spiritibus, qui cum diabolo ceciderunt de coelo, illi, qui dicto diabolo crediderant et consenserant, daemones facti fuerunt; quorum illi, qui plus peccaverunt, ceciderunt in abyssum et illi, qui minus, post eos ceciderunt in terram, et alii in aquam, et alii in aërem, et alii remanserunt juxta coelum; illi vero spiritus, qui expresse non consenserunt, sed solum accesserunt ad dictam turbationem, ceciderunt etiam et de ipsis sunt facti spiritus hominum et mulierum; illi vero, qui contradixerunt, remanserunt in coelo cum Patre bonorum spirituum; diabolus vero, qui seduxerat dictos spiritus, qui ceciderunt cum ipso de coelo, non attendit eis illud, quod promiserat eis, nisi solum malum. Praedicta autem ipse credidit aliquando et

aliquando non, et frequentius credidit, quod non essent vera, quam quod vera essent. Et praedicto modo se habuit, ut dixit, et tali modo se habuit vacillando, ut dixit, aliquando credendo praedicta, aliquando non, per quindecim annos, vel circa, ut ei videtur. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus, et si ipse etiam credidit, quod omnes illi spiritus vel aliqui eorum, qui de coelo ceciderunt cum diabolo, iterum revertantur ad coelum, respondit, quod audivit a dicto Guilielmo Belibasta haeretico, quod nullus de illis spiritibus, qui consenserunt et crediderunt diabolo expresse, qui facti sunt daemones, nunquam reverterentur ad coelum, vel non omnes, usque ad diem judicii, sed si in die judicii revertentur ad coelum, vel non omnes, vel eorum aliqui, nullus homo sciebat, quia hoc est unum de secretis Dei; et stabunt misericordiae Dei et voluntati super hoc; sed omnes illi spiritus, qui non expresse consenserunt vel crediderunt diabolo, sed solum accesserunt ad turbationem, quam diabolus fecit, et quasi inscii peccaverunt, cujusmodi sunt omnes spiritus humani, omnes finaliter in die judicii salvarentur; sed tamen differentur, ut dicebat, quia illi, qui sunt haeretici perfecti, vel haereticantur in fine, vel etiam fecerunt haereticis perfectis reverentiam, qui, licet in suo fine non habuerunt haereticum terrenum, tamen spiritualem, post mortem in tribus diebus eorum spiritus intrat paradisum terrestre, ubi non habebunt, nisi bonum, et stabunt ibi usque in diem judicii, et tunc in die judicii duplicabitur eorum gloria, et erunt clariores novies, quam sit sol in hoc mundo. Et dicta duplicatio gloriae spiritus dictorum haereticorum vocabatur per eum resurrectio, quia, ut dicebat, corpora humana non resurgent, sed remanebunt in terra corrupta, quia, ut dicebat, omne, quod de terra est, in terram revertetur; soli vero spiritus dictorum haereticorum ibunt post judicium ad Patrem bonorum spirituum, et sic revertentur ad coelum, unde ceciderunt. Credentes vero haereticorum et alii, qui non fecerunt reverentiam dictis haereticis, et etiam illi, qui nunquam habuerunt credentiam eorum, non poterant salvari, nec intrare paradisum terrestre post mor-

tem, nisi renascerentur, et postquam essent renati et morerentur, irent ad paradisum terrestre eorum spiritus et starent ibi usque ad diem judicii, sicut superius est dictum de aliis, et postea salvarentur modo supradicto, sicut de aliis dictum est. Dictum autem verbum renascendi ipse loquens duobus modis intellexit, scilicet quod baptizarentur modo haereticorum, id est haeretici efficerentur, vel quod eorum anima, quando exiret de uno corpore, subintraret aliud corpus, et sic iret de corpore in corpus, quousque veniret ad aliquod corpus, in quo haereticaretur et tunc salvaretur modo, quo dictum est supra; et quod mundus nunquam finiretur, quousque omnes praedicti essent recollecti et haereticati. Quo facto mundus finiretur, et ex tunc non esset sol, nec luna, nec etiam claritas ulla. Sed illi, qui fuerant haeretici vestiti, vel eorum credentes, qui dictis haereticis fecerant reverentiam et postea efficiebantur renegati et dictos haereticos persequebantur, quos dictus Guilielmus Belibasta vocabat Pharisaeos inganatores, qui stabant ad portam regni et non intrabant in regnum, nec intrare volebant et volentes intrare prohibebant, de quorum numero erat Pilatus major et Judas Scarioth et omnes illi, qui cognoverunt fidem eorum, id est haereticorum et pro pecunia recedebant a fide eorum, vel eos persequebantur, non intrarent in paradisum usque ad diem judicii, nec valebat eis, si renascerentur; et istos tales dictos haereticos vocabat solum Pharisaeos, illos vero, qui nunquam receperunt fidem haereticorum, non vocabat dictus haereticus Pharisaeos inganatores, sed solum vocabat eos inimicos sanctae fidei, et de istis spiritibus humanis solum dicebat, quod nesciebat, si in die judicii salvarentur; quia, ut dicebat, hoc est unum de secretis Dei, et stabunt ad misericordiam Dei. Non tamen audivit dici, quod tales animae haberent misericordiam, nec etiam contrarium, aut requiem vel repaus. Praedictos autem errores aliquando eos credidit, aliquando eos discredidit, ab illo tempore, quo eos audivit, et fuerunt quatuor anni inter festa omnium sanctorum et sancti Andreae, sed frequentius discredebat, quam crederet, ut dixit. Interrogatus, si audivit

dici ab aliquo vel aliquibus, quod majorem diabolum nunquam Deus bonorum spirituum fecerit, vel quod inter bonos spiritus nunquam fuerit existens in bonitate sua, respondit, quod de hoc loqui non audivit ab haereticis vel aliis, nec scit etiam, quid super hoc opinetur vel credat. Interrogatus, si audivit dici ab aliquo vel aliquibus, vel credit, quod diabolus major, vel etiam Lucifer, filius ejus, aliam fecerint turbationem in paradiso vel coelesti vel terrestri, nisi supradictam, quam fecit diabolus major in paradiso coelesti, respondit, quod a supradicto Guilielmo capellano audivit, quod formato Adam de limo terrae et Eva de costa ejus per Deum et post formationem injuncto eis, quod non comederent de quodam pomo, filius diaboli majoris, scilicet Lucifer, qui ante, dum erat in coelo, Lucibel vocabatur, seduxit serpentem et serpens mulierem et mulier virum, quod comederent de dicto pomo; quod pomum accepit Adam et comedit unum morcellum, de quo morcello poenitens cum manu accepit se in gula, et ex hoc adhuc homines habent os in gula, et vidit se nudum. Et deinde fuit expulsus de paradiso cum uxore sua. Quo facto reversus fuit filius diaboli ad patrem suum et dixit ei, quod pulchra dederat ei Deus, et diabolus major respondit ei, quod magnum malum fecerat, et tunc diabolus major interrogavit filium suum: et quid dedit tibi Deus? et ipse respondit, quod dederat ei tale quid, quod nullus natus ex matre posset ei auferre. Et diabolus major respondit filio suo: quod Deus nihil dederat ei, nisi distardationem, quia solum poterit distardare spiritus vel animas, sed, ut dixit, ex matre nascetur, qui totum sibi auferet. Praedicta tamen non credidit, nec discredidit, hoc solo excepto, quod credidit, quod Adam factus fuit de terra. Interrogatus, si ipse audivit ab aliquo vel aliquibus et si credidit, quod deus extraneus, id est diabolus major, ante adventum Christi et post sit rector, gubernator, dominus et princeps hujus mundi visibilis, ita quod iste mundus visibilis sit suus et omnia, quae sunt in eo, exceptis spiritibus humanis vel animabus, sicut et mundus invisibilis et spiritus et animae bonae sunt Dei Patris bonorum spirituum;

respondit, quod bene audivit a dicto haeretico, quod iste mundus visibilis erat Dei extranei, id est diaboli; audivit etiam ab eodem haeretico, quod, qui est de hoc mundo, non est de Deo, et qui est Dei, non est de hoc mundo; ipse tamen ut dixit praedicta verba non intellexit, quod iste mundus visibilis non esset Dei veri, Patris coelestis et Patris bonorum spirituum, quem semper, ut dixit, credidit, quod ipse esset rector et gubernator et dominus totius istius mundi, sed per mundum dei extranei et: qui est de hoc mundo, non est dei, ipse intellexit humanum genus, quod diabolus distardaverat, ne reverteretur ad Deum ante Christi adventum, et justos et peccatores posuerat in infernum et viam dei absconderat faciendo homines peccare et faciebat se teneri et reputari Deum per homines, et propter hoc se faciebat vocari Deum hujus mundi, et quod homines, qui sequebantur ejus voluntatem, erant hujus mundi, et propter hoc non erant Dei veri, et ita etiam credebat. Interrogatus, si audivit dici ab aliquo vel aliquibus et si credidit, quod, postquam spiritus et animae decepti per diabolum modo supradicto de coelo ceciderunt, videntes, quod diabolus nihil, quod promisisset eis attenderet, vel compleret, recordati de gloria pristina, quam in coelo habuerant et perdiderant, clamaverint ad Deum Patrem bonorum spirituum, petentes misericordiam, ut reduceret eos ad coelum; quod diabolus advertens et timens, ne exaudirentur a Patre coelesti, qui est misericors, cogitaverit et fecerit dictis spiritibus tunicas, id est corpora, et dictis tunicis eos induerit, ut obliviscerentur gloriae, quam in coelo habuerant, et desisterent petere veniam a Patre bonorum spirituum, ut reverterentur ad coelum: respondit, se non recordari, quod audivit dicta verba ab aliquo vel aliquibus vel consimilia in affectu, excepto hoc quod audivit a patre suo supradicto, quod diabolus nihil attendit, vel complevit de his, quae promiserat dictis spiritibus, nisi solum malum. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus, aut credidit, quod diabolus in principio fecerit corpus hominis de terra, quod se non poterat movere, nec ambulare, quia non poterat ei dare spiritum, et

tunc diabolus dixit Deo, quod poneret spiritum in dicto corpore, ut se posset movere et ambulare; cui Deus respondit, quod ipse poneret spiritum in dicto corpore, si spiritus, quem poneret, suus esset; et tunc convenerunt inter se Deus et diabolus, quod spiritus vel anima hominis esset Dei, et corpus hominis esset diaboli, sic quod quilibet haberet de homine, quod fecisset, et ex tunc anima hominis est Dei, et corpus hominis est diaboli: respondit, quod non recordatur, se audivisse dicta verba, nec consimilia in affectu. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus, quod, quia diabolus per mulierem, quam intromisit in paradisum, deceperat spiritus in coelo existentes, Pater bonorum spirituum juraverit, quod de cetero nulla mulier intraret paradisum, et ex tunc nulla mulier paradisum intravit, sed quando mulieres haereticae vel credentes moriuntur, convertuntur in viros, ut sic intrare possint paradisum: respondit, quod praedicta verba non audivit nec consimilia in effectu. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus et si ipse credidit, quod, quando anima hominis egreditur de corpore ejus, si dictus homo non fuit haereticus vel haereticatus in morte, quod anima ejus vadit de corpore in corpus, vel de tunica in tunicam, quousque intrat corpus, in quo haereticus efficiatur, ut sic salvari possit: respondit, quod a Guilielma Maurina supradicta audivit, quod, si homo non sit haereticus, vel non fecerit reverentiam haereticis, et moritur, anima ejus vadit de corpore in corpus, et tam diu hoc facit, quousque subingreditur corpus alicujus hominis, in quo haereticetur; quo facto si moriatur in dicta fide, infra tres dies dicta anima vadit ad paradisum terrestrem, ut supra dictum fuit. Ipse vero, ut dixit, praedicta non credidit. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus et si ipse credidit, quod anima hominis non haereticati, quando egreditur de corpore, aeque bene intrat corpus bestiae, volucris et animalis sanguinem habentis, sicut et corpus alterius hominis, quia intrare in quodcunque foramen vacuum potest, id est in quodcunque animalis non habentis animam, et propter hoc peccatum erat, occidere animalia, sicut et hominem: respondit,

quod non, si bene audivit a dicto haeretico, quod ipsi haeretici nullum animal occidebant, et credit ipse loquens, quod dicti haeretici dimitterent occidere bestias vel aves, quia credidissent peccare, si occiderent eas; ipse vero, ut dixit, non credidit peccatum esse, occidere bestias vel aves, immo, ut dixit, multas occidit. Interrogatus, si ipse audivit ab aliquo vel aliquibus, vel etiam credidit, quod Christus portaverit corpus de coelo fantasticum, in quo apparuit hominibus et visus fuit fuisse natus de beata Maria virgine, cum tamen nihil acceperit a corpore ejus, nec habuerit veram carnem, vera ossa et sanguinem: respondit, quod bene audivit a dicto haeretico, quod Deus Pater miserat Filium suum et Spiritum sanctum, et Filius venit spiritualis cum duodecim apostolis spiritualibus et venit in corpus beatae Mariae et natus fuit de corpore ejus; non tamen audivit eos dicentes, quod Christus aliquid acceperit de corpore beatae Mariae virginis, nec quod fuerit in ventre ejus, vel natus fuerit de ventre ejus, nec etiam contrarium. Interrogatus, quid intellexit dicere dictum haereticum, dum dicebat, quod Filius Dei spiritualis venit cum 12 apostolis spiritualibus, qui postea omnes fuerunt martyrizati, an intellexerit, quod Dei Filius et dicti apostoli habuerint corpus coeleste, vel spirituale solum, et non corpus humanum, vel terrenum, et si cum tali corpore venerint de coelo, et non acceperint aliud corpus in terra terrenum, in quo martyrizati fuerunt, vel quid aliud intellexit per Filium Dei spiritualem et duodecim apostolos spirituales: respondit, quod ipse intellexit, quod Filius Dei erat spiritualis, (et accepit) quando venit, nullum corpus hominis nec coeleste nec terrenum, sed quod ipse Filius Dei erat pars Dei Patris, qui postea intravit corpus beatae Mariae et ibi accepit carnem et sanguinem et corpus humanum terrenum, in quo mundo apparuit; per duodecim vero apostolos spirituales, qui venerunt cum eo, intellexit duodecim angelos, qui non acceperunt carnem, nec corpus terrenum; nescit tamen modum, ut dixit, quomodo fuerunt martyrizati, cum non haberent corpus terrenum; si tamen dictus haereticus illo modo supradicta verba intellexit, quo-

modo ipse loquens, nescit, quia super hoc non interrogavit eum. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus et etiam si credidit, quod Dei Filius veraciter corpus humanum terrenum acceperit in ventre beatae Mariae virginis, sic quod tale corpus formatum fuerit in ventre ejus accepto tali corpore per novem menses et postea ex dicto corpore natus fuerit ex ipsa per illam partem, per quam alii homines nascuntur de ventre matrum suarum, salva tamen integritate et virginitate ejus: respondit, quod non audivit loqui de praedictis dictum haereticum; credit tamen, quod Dei Filius accepit veram carnem, sanguinem et corpus terrenum humanum in ventre beatae Mariae virginis et ibi stetit per novem menses et deinde exivit et natus fuit de ventre ejus per partem illam, per quam pueri solent nasci, salva virginitate ejus. A dicto vero haeretico solum audivit, quod Dei Filius venit in corpus beatae Mariae virginis et natus fuit ex ea, non tamen audivit eum dicentem, quod venerit in ventrem ejus, vel natus fuerit de ventre ejus. Interrogatus, si audivit dictum haereticum dicentem vel aliquem alium, quod Christus veraciter comederit et biberit: respondit, quod a dicto haeretico audivit, quod Christus in Samaria et s. Petrus comederunt panem et pisces, et sublati fuerunt de mensa eorum 12 cophini fragmentorum; si vero alias comedit, aut non, non audivit a dicto haeretico, credit tamen ipse, quod sic. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus, si ipse credidit, quod Jesus Christus non veraciter fuerit passus, mortuus et sepultus, id est veram sustinuit passionem et dolorem et mortem ac etiam vere fuerit sepultus, sed quod omnia praedicta fuerunt facta in apparentia et simulate: respondit, quod non. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus, quod Christus in corpore et anima descenderit ad inferos et quod extraxerit exinde animas omnium hominum, tam justorum quam peccatorum, qui ante Christi passionem mortui erant et ad inferos descenderant: respondit, quod audivit a dicto haeretico, quod, postquam Christus resurrexerat, descendit ad inferos in corpore et anima, et inde extraxit animas omnium ho-

minum, tam justorum quam peccatorum, quae ibi erant, excepta anima Judae Scarioth, quam etiam inde extraxisset, si reclamasset ejus misericordiam, quod non fecit; daemones vero dimisit. Et duxit dictas animas ad paradisum; si tamen duxit eas ad paradisum coelestem vel terrestrem, non audivit a dicto haeretico; sed bene dicebat, quod omnes dictae animae erant salvae; et ipse etiam, ut dixit, hoc credidit a praedicto tempore citra quo audivit praedicta a dicto haeretico usque modo. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus vel credidit, quod Christus resurrexerit cum corpore terrestri humano, quod assumpsit in utero matris suae, vel si dictum corpus, quod assumpsit, remansit in terra: respondit, quod audivit a patre suo, et ita credidit, quod cum corpore terreno, quod assumpserat de beata Maria, resurrexit et ascendit in coelum. Item dixit, quod audivit a dicto haeretico, quod Christus illam potestatem, quam habebat, dimisit Petro apostolo, et s. Petrus dimisit successoribus suis apostolicis; quam potestatem, ut dixit, quando ipsi haeretici habebant papas, dicti papae habuerunt successive, et illa potestas erat, quod illud, quod ligabant in terris, esset ligatum in coelis, et quod solverent super terram, esset solutum et in coelis; et propter hoc, ut dicebat, quando papa eorum absolvebat aliquem de peccatis suis, vel recipiebat aliquem ad sectam suam, et moriebatur incontinenti, ibat ad paradisum terrestre, et si transibat per ignem purgatorii, ita parum sentiebat dictum ignem, quamvis esset calidior, quam sit ignis noster, novies; non sentiebat ipsum ita parum, sicut si in linteis mundis poneretur vel jaceret; et hoc erat propter magnam potestatem, quam habebat absolvendi dictus papa, quem ipse haereticus vocabat patrem sanctum apostolicum, qui tenebat sanctam fidem Romanam; alii vero haeretici vestiti, sicut ipse Guilielmus Belibasta erat, qui non erant papae, habebant potestatem absolvendi homines ab omnibus peccatis, sed absoluti per eos non statim intrabant paradisum terrestre, sed per tres dies stabant in purgatorio, in quo erat ignis ardentior novies, quam sit ignis noster. Sed papa, episcopi, sacerdotes

catholici vel ecclesiae Romanae subjecti, quia non tenebant sanctam fidem et erant inimici sanctae fidei eorum, non habebant potestatem aliquam absolvendi aliquem a peccatis. Et, ut dicebat, nec ipsi, nec alii eis subjecti salvarentur usque ad diem judicii, nisi renascerentur modo haereticali, vel haereticarentur, sed in die judicii salvarentur, quia tenent quatuor evangelia et dicunt Pater noster. De Judaeis vero et de illis, qui fuerant haeretici, vel fecerant eis reverentiam et postea recedebant a fide eorum et persequebantur eos, quos ipse vocabat Pharisaeos inganatores, irent ad infernum, ubi est ignis niger et sulfur foetens. Non recordatur, ut dixit, ad plenum, quid dicebat de Saracenis. Praedicta vero ipse aliquando credebat, aliquando discredebat, et circa hoc cor suum vacillabat, ut dixit, aliquando credendo, quod dicti haeretici possent absolvere homines de omnibus peccatis suis, et quod absoluti per eos intrarent paradisum modo supradicto, et aliquando credendo, quod catholici episcopi et sacerdotes dictam potestatem haberent; et in tali vacillatione fuit a praedicto tempore citra quo praedicta a dicto haeretico audivit, quousque captus fuit. Interrogatus de modo, quo praedicti haeretici absolverunt homines a suis peccatis: respondit, quod credentes eorum non confitentur eis peccata sua, quod ipse sciat, sed quando recipiebant aliquos ad sectam suam, legendo in quodam libro eorum absolvebant homines a peccatis suis, et sic absoluti per eos intrabant paradisum modo supradicto. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus, et etiam si credidit, quod haeretici vestiti essent Spiritus sanctus et propter hoc, qui malum eis faciebat, procurabat, vel discelabat eos, maxime si fuisset primo credens eorum et eis reverentiam fecisset, peccabat in Spiritum sanctum et non remitteretur in hoc saeculo, nec in futuro tale peccatum: respondit, quod non recordatur, se audivisse, quod dicti haeretici se vocarent Spiritus sanctus, bene tamen se vocabant boni christiani, boni homines et sancti, et quod illi qui fuerant eorum credentes et fecerant eis reverentiam et eos postea persequebantur vel discelabant vel malum eis procu-

rabant, irent in infernum cum Judaeis et cum Juda Scarioth et cum Pontio Pilato. Ipse etiam aliquando credidit, licet aliquando de hoc dubitaverit. Interrogatus, si audivit ab aliquo vel aliquibus vel etiam credidit, quod duae essent ecclesiae, una, quae tenet et scoriat et omnia convertit ad suam utilitatem et nulli parcit, et alia, quae fugit et parcit et omnibus dimittit peccata, et quod prima ecclesia esset Papa, Episcopi et Sacerdotes, Reges et Principes et alii qui subjecti sunt eis, et quod secunda ecclesia esset ecclesia haereticorum, quae etiam melior esset, quam prima: respondit, quod non audivit loqui de duabus ecclesiis, sed bene audivit dictum haereticum dicentem, quod duae erant fides, scilicet fides sancta Romana, quam Deus dimisit s. Petro, quam fidem tenebant ipsi haeretici, ut dicebat, et illa erat bona fides; et alia fides, ut dicebat, erat illorum, qui sunt subjecti Romanae ecclesiae, et illa fides, ut dicebat, non erat bona, nisi in quantum tenebat quatuor evangelia et Pater Noster; dicebat tamen, quod Judaei et renegati haereticorum tenebant pessimam fidem, quia, ut audivit ipse loquens — et non recordatur, a quo vel a quibus — diabolus in forma vituli dedit legem Judaeis, et propter hoc Judaei credebant diabolo, qui dederat eis legem in forma vituli; et, ut dixit, audivit a dicto Guilielmo Belibasta, quod adhuc veniret major diabolus ad Judaeos, quam fuerit ille, qui ante venit ad eos in forma vituli et legem dedit eis, quem Judaei vocabant Messiam, de quo dicebat, quod nullus ei crederet, quia ipse conaretur ad sectam suam reducere omnes gentes. Messias dicet, quod ipse habet omnem virtutem, et tamen non poterit facere granare, et, ut dicebat dictus haereticus, animas Judaeorum, quando moriebantur, diaboli deportabant eas, et quod nulla anima Judaeorum unquam salva fuit, nec in posterum salvabitur. Et idem dicebat de animabus illorum, qui fuerunt haeretici, vel fecerunt eis reverentiam et postea a dicta fide recedebant et haereticos persequebantur. Audivit etiam a dicto haeretico, quod ex quo Dei Filius spoliavit infernum, ut supra dictum fuit, nulla anima intravit infernum majorem, nec in-

tratura est usque ad diem judicii, sed solum ex tunc fuerunt ibi daemones et anima Judae Scarioth, sed in judicio animae Judaeorum et dictorum haereticorum in inferno majori ponentur. Non recordatur autem, quod dicebat dictus haereticus de animabus Saracenorum. Praedicta non credidit, nec aliquis praecepit ei, quod praedicta crederet. Credebat tamen fidem Romanam, ut dixit, sed dubitabat, an haeretici tenerent rectam fidem, vel catholici, et aliquando credebat unum, aliquando aliud. Interrogatus, si audivit dictum haereticum dicentem, quod futura esset resurrectio generalis omnium hominum et mulierum, ita quod omnes resurgerent in corpore, quod in praesenti saeculo et vita habuerunt, vel si dicebat solum, quod esset resurrectio animarum: respondit, quod haereticus praedictus dicebat, quod humana corpora non resurgerent unquam, vel quod homines resurgerent in corpore et anima, sed dicebat, quod solum resurrectio animarum erat futura, quia in judicio duplicaretur gloria animarum, quia de paradiso terrestri transferentur ad paradisum coelestem, et quod tunc clarior anima redderetur novies, quam sit sol in hoc mundo; negabat autem resurrectionem corporum humanorum, quia, ut dicebat, quod de terra erat, in terram reverteretur et in terra remaneret, et ut dicebat, nulla res terrena unquam ascenderet ad coelum, licet Deus remuneraret in coelo animam, quae fecisset eleemosynam terrenam; et sic dicebat eleemosynam terrenam ascendere in coelum, quia merces in coelo reddebatur pro terrena eleemosyna, sed, ut dicebat, soli spiritus et animae ascendebant in coelum.

Item audivit a dicto haeretico, quod baptismus datus in ecclesia catholica per capellanos nihil valebat ad salvationem animarum, sive daretur parvulis, sive adultis, sed quod baptismus datus per haereticos solum valebat ad salutem. Ipse vero, ut dixit, credebat, quod baptismus datus in ecclesia catholica valeret solum ad hoc, quod baptizati efficerentur christiani, sed non credebat, quod valeret ad remissionem peccatorum vel ad salvationem animarum, sed dictus credebat, quod baptismus haereticorum vel haereti-

catio, quod idem est, valeret ad salvationem animarum propter hoc, quod dicti haeretici dicebant, quod tenebant fidem Romanam.

Item audivit a dicto haeretico, quod omnes animae puerorum, sive essent baptizati, sive non, peribant, nisi renascerentur, i. e. haereticarentur. Ipse vero loquens credebat, quod propter baptismum animae puerorum salvarentur, sed quod ad hoc solum baptismus valeret pueris, ut christiani efficerentur; credidit etiam, quod baptismus haereticorum non esset, nisi haereticatio.

Item audivit a dicto haeretico, quod in sacramento altaris non erant, nisi panis et vinum post consecrationem, sicut non erant ibi, nisi panis et vinum ante consecrationem. Et ita etiam ipse loquens praedicta credidit per supradictum tempus. Hoc etiam confirmavit ei supradictus Guilielmus capellanus, dicens, quod illa erat fides Romana, quam Deus dimisit beato Petro, sc. tres personae unus Deus.

Item audivit a dicto haeretico, quod ita magnum peccatum erat, cognoscere unam mulierem, sicut et aliam, nullam mulierem excipiendo, etiam propriam uxorem. Ipse vero loquens, ut dixit, non credidit, quod peccatum esset, propriam uxorem (cognoscere), sed, si homo cognosceret carnaliter mulieres de sua consanguineitate vel affinitate, mortaliter peccaret, ut credidit; sed, si homo carnaliter cognoscit alias mulieres, licet crederet ipsum peccare, non tamen mortaliter. Et, ut dixit, audivit a dicto haeretico, quod, quando aliquis carnaliter mulierem quamcunque cognoscebat, foetor illius peccati ascendebat usque ad capam coeli et dictus foetor se extendebat per totum mundum.

Item dixit, se audivisse a dicto haeretico, quod bonum erat, facere eleemosynam hospitalibus, quia hospitalia faciebant bonum omnibus supervenientibus, sed, ut dicebat, indulgentiae datae per praelatos pro necessitatibus vel operibus ecclesiarum nihil valebant. Ipse vero, ut dixit, credidit, quod bonum esset, facere eleemosynam ecclesiis, sed non credebat, quod indulgentiae per praelatos concessae nihil valerent.

Item audivit a dicto haeretico, quod bonum opus erat,

facere eleemosynam cuicunque, in tantum etiam, quod, si homo faceret eleemosynam diabolo propter Deum, Deus dictam eleemosynam remuneraret, sed dicebat, quod major eleemosyna erat, facere bonum haereticis, quam aliis. Et ipse etiam, ut dixit, hoc credidit.

Item audivit a dicto haeretico, quod peccatum erat, occidere quemcunque hominem, non excipiendo infideles vel alios malefactores. Ipse vero credidit, peccatum esse, occidere quemcunque hominem, exceptis homicidis et proditoribus, credebat tamen, quod bonum esset, occidere malefactores alios, licet peccatum esset, occidere eos, ad hoc, ut pax et tranquillitas in republica inter homines servaretur. Et hoc credidit per supradictum tempus.

Item audivit a dicto haeretico, quod nullus debebat dicere „Pater noster," quae est sancta oratio, nisi esset haereticus vestitus, quia, ut dicit, ille, qui dictam orationem dixerat, ex tunc non debebat mentiri, nec facere aliquod peccatum vel malum. Ipse tamen loquens, ut dixit, non credebat in hoc dicto haeretico.

Item credebat, quod, quamvis Deus bonus, Pater coelestis, nunquam descenderit de coelo, nec acceperit corpus humanum terrenum, tamen in se in coelo existens habebat corpus humanum coeleste, non terrenum, consimile in forma et figura corpori humano terreno, et habebat carnes et ossa spiritualia, non terrena, et ad similitudinem et figuram sui corporis coelestis fecit Adam de terra. Et eodem modo credebat de omnibus spiritibus, qui remanserant in coelo cum Patre bonorum spirituum, quia habebant corpora spiritualia et membra, carnes et ossa consimilia in figura et forma corporibus humanis terrenis; non tamen credebat, quod dictus Pater bonorum spirituum et spiritus, qui remanserant cum eo, comederent aliquid vel biberent, sed quod viverent de gratia Dei, et minus, quod emitterent aliquas egestiones, quia in coelo non credebat, quod aliqua turpia essent, sed quod omnia pulchra essent, et stetit in dicta credentia per tres annos cum dimidio, et audivit contenta in dicto articulo a dictis capellano et haeretico.

Item credidit, haereticos, quos vidit, esse bonos homines et veraces et esse in statu veritatis et justitiae, et quod tenerent bonam fidem, et quod, dicendo ei supradictos errores, veritatem dicerent, et quod homines possent salvari in fide eorum, non tamen fuit in voluntate, ut dixit, quod se faceret haereticari, vel recipi ad fidem et sectam eorum. Et stetit in dicta credentia per 15 annos.

Item audivit a dicto haeretico, quod, quantumcunque homo peccator esset, solummodo quod in suo fine non desperaret de Dei misericordia, salvaretur ad minus in die judicii, sed si desperaret de Dei misericordia, diaboli portarent eum, sicut portaverunt Judam Scarioth, qui desperavit. Ipse vero loquens credebat, quod, quantumcunque homo peccator fuisset, solummodo quod in suo fine digne poeniteret, ad minus in die judicii salvaretur.

Item audivit a dicto haeretico, quod, quantumcunque quis esset malefactor, si captus esset propter maleficia, quae commiserat, solum quod peteret misericordiam a dicto domino temporali, dominus temporalis ei parcere debebat, et si, postquam petiisset misericordiam, interficeret malefactorem, vel faceret interfici, peccabat, quia talem misericordiam homo debet habere ad hominem, qualem volebat, quod Deus haberet ad ipsum. Ipse vero loquens credebat, quod dominus temporalis cuicunque malefactori, exceptis homicidis et boariis, i. e. proditoribus, petenti ab eo misericordiam, prima vice parcere debebat, credebat tamen, quod peccatum esset magnum, haereticos occidere, quos ipse tunc vocabat bonos christianos.

Item audivit a dicto haeretico, quod Deus Pater bonorum spirituum faciebat florere et granare et dabat vitam aliis propter bonos spiritus, qui erant in hoc mundo, i. e. haereticos, qui quamdiu essent in hoc mundo, tamdiu mundus duraret, quam cito autem boni spiritus, i. e. haeretici in hoc mundo non essent, ex tunc non faceret florere nec granare, nec vitam daret aliis, nec esset sol, nec luna, nec claritas ulla. Ipse vero loquens per bonos spiritus, pro quibus Deus faciebat florere et granare, non solum intelligebat

haereticos, sed etiam aliquos alios, qui erant Dei, quia ad minus in die judicii salvarentur, licet haeretici citius salvarentur, ut credebat. Et praedictos articulos credidit modo, quo declaratur, quasi per quatuor annos.

Item audivit a dicto haeretico, quod D. Papa, episcopi et sacerdotes nullam potestatem habebant majorem, quam communiter laici christiani, nisi propter hoc solum, quod sciebant evangelia, Pater noster et epistolas.

Item audivit a dicto haeretico, quod nulla scriptura est bona ad salutem animae, nisi solum evangelia, Pater noster et epistolae, et ipse etiam hoc credidit per supradictum tempus.

Credebat autem supradictos errores, ut dixit, quia dicti haereticus et capellanus et pater ejus dixerunt ei, quod ipsi tenebant fidem sanctam Romanam, et quod illa fides erat Romana, quam Deus dimisit b. Petro apostolo, quam ipsi dicebant ei et ut continetur in suprascriptis erroribus, dicentes etiam, quod fides Romana dicit, quod erant tres personae unus Deus, et sic deceptus per ipsos praedictos errores credidit.

Quibus articulis lectis dictus Joannes recognovit instructus per dictum D. episcopum, quod in omnibus et singulis supradictis articulis tenuit et credidit errores contra fidem Romanae ecclesiae, delusus et deceptus per dictos haereticos et credentes eorum, et dixit, se poenitere, quia unquam supradictos errores tenuit et credidit; dixit, quod ex nunc credet contrarium dictorum articulorum, ut exstitit per dictum D. episcopum informatus, recognoscens suum errorem, ut dixit. — —

Haereticus continuando sermonem suum dixit, quod dicti spiritus ceciderunt de coelo sequnti ipsum Sathanam. Videntes quod non attendebat eis, quod promiserat, poenitentes, quia dimiserant Patrem coelestem, inceperunt cantare cantica de canticis Sion, ut solebant cantare, quando erant cum Patre coelesti. Quod audiens Sathanas dixit eis: Et estis adhuc memores de canticis Sion? Et ipsi responderunt: quod sic; et tunc Sathanas dixit eis: Ego ponam vos

in terram oblivionis, in qua obliviscemini illa, quae dicebatis et habebatis in Sion. Et tunc fecit eis tunicas, id est corpora de terra oblivionis. Et tunc ipse loquens interrogavit dictum haereticum: Et quomodo ergo vos estis memores de illis, quae facta fuerunt in coelo, ex quo illi spiritus obliti fuerunt illa quae habuerunt in coelo? Et dictus haereticus respondit: quod de Deo Patre venerant, qui reduxit nobis ad memoriam et ostendit nobis cum scriptura, quam detulit, qualiter reverteremur ad salvationem, et quomodo exiremus de potestate Sathanae; et quia exiveramus de regno per superbiam, ostendit nobis, quomodo revertamur illuc post dolorem et poenam, quam sustinuimus in hoc mundo, eundo de tunica in tunicam, et per os sancti Spiritus ille venit, qui ostendit nobis viam salvationis et ostendit etiam per scripturas, quod sicut per superbiam et fallâciam diaboli exiveramus de paradiso, credendo plus Sathanae, quam Deo, ita oportebat quod reverteremur ad coelum per humilitatem, veritatem et fidem. Et tunc ipse loquens interrogavit dictum haereticum: cum tam pauci sint, qui stent in veritate et justitia, quando omnes alii reversi erunt ad coelum, qui adhuc non stant in veritate et justitia? Et dictus haereticus respondit ei: quod pro uno eorum, qui stabant, ut dicebat, in veritate et justitia, erant de aliis mille millia, qui credebant idola et ecclesiam Romanam; quia, ut dixit, illi solummodo, quod habeant satis ad comedendum et bibendum et induendum et calceandum, sunt in eorum ecclesia, et faciunt sermones falsos et coopertos de littera eorum; quia illi sunt caeci, qui non cognoscunt rectam litteram nostram, quae ducit hominem ad salvationem, quia, ut dicebat, duae erant litterae, scilicet littera ecclesiae Romanae et littera ipsorum haereticorum, et litteram ipsorum haereticorum fecerat ille, qui per os sancti Spiritus venerat in mundum, et illa erat littera bona et firma. Et post eum veniebat Sathanas et in similitudinem primae litterae scripsit litteram, quam tenet Romana ecclesia, quam litteram illi de ecclesia Romana cognoscunt et non aliam, quia caeci erant respectu dictae litterae. Et inde aequaliter dabo tibi intelli-

gere, quomodo illi de ecclesia Romana litteram nostram non cognoscunt, quia ipsi, quando dixerunt missam suam, in qua nihil est veritatis, nisi Evangelium et Pater Noster, sed omnia alia erant pulcri cantus, quae Romana ecclesia fecit ad agensandum, et dant intelligere gentibus, quod ipsi elevant corpus Dei, et quod panis, quem tenent inter manus, est corpus Dei, quod tamen corpus Dei nec ipsi nec aliqui alii carnales possunt tenere inter manus, sed solum illud, quod tenent inter manus, etiam panis et non corpus Dei. Ergo ex hoc nonne potes bene perpendere, quae falsitas est illud, quod dicit ecclesia Romana, quia, ponamus, quod illud sit corpus Dei, quod ecclesia Romana dicit, quomodo dimitteret se comedi et poni in tam turpi loco, et si hoc permitteret, quid valeret, postquam consumptum esset? et propter hoc nec ipsi nec alii homines carnales non potuerunt habere vel tangere, quia non est nisi unus Deus, et Filius Dei, qui venit inter nos, dixit et dimisit nobis scriptum, quod nunquam de caetero esset inter manus peccatorum; quae nobis dixit propter hoc, ut nulla res mala non posset venire in figura, quae diceret, quod Deus erat, ne iterum deciperemur, sicut alias fueramus decepti in coelo, ut decepti per talem figuram malam dimitteremus viam veritatis et justitiae, dicens, quod de caetero non esset inter manus peccatorum, quia ego sum Deus et alter non, inde ergo sic bene in vanum fatigantur illi de Romana ecclesia, qui credunt, se qualibet die tenere inter manus, et tamen nunquam tenuerunt, nec tenebant.

Confessio Petri Maurini de monte Alionis sup. crim. haer.

— Nunc loquamur de sancto Patre: videte, quod dixit Pater sanctus: quando sathanas intravit regnum meum, dedit ad intelligendum: quod ipse sathanas habebat meliorem paradisum, quam ego, dicens spiritibus, qui erant in regno meo: iste dominus non dat, nisi unum bonum, scilicet requiem; et ego, dixit sathanas, in meo mundo ducam vos et dabo vobis boves, vaccas et divitias abundanter, et dabo etiam uxorem sociam, et tenebitis hospitia vestra et habe-

bitis vestros infantes et plus gaudebitis de uno infante, quando habebitis ipsum, quam de tota ista requie, quam hic habebitis; et unus vestrum erit dominus alterius, et poteritis facere et disfacere. Et tunc spiritus, qui erant propinqui sathanae, dixerunt ad invicem: iste dominus, qui tot nobis dabit, melior debet esse, quam ille dominus, qui solum nobis dat unum, et ut dicebat dictus haereticus, ille spiritus, qui instigabat alios ad credendum, quod sathanas esset melior dominus, quam Pater sanctus, plus peccabat, quam spiritus instigatus per ipsum. Et ita fecerunt voluntarii et calefacti ad exeundum de coelo dicti spiritus per quoddam foramen, quod ibi factum fuerat, de quo magis spisse cadebant, quam sint puncta herbarum vel acumina earum vel guttae pluviarum, quod quasi visum fuit Patri sancto, quod quasi jam medietas spirituum exivisset de coelo, et tunc Pater sanctus surrexit de cathedra instigatus per quendam spiritum, quem nominabat dictus haereticus, sed non recordatur ipse loquens de ejus nomine, qui dixit Patri sancto: Surge, Pater, quia tuum regnum spoliatur. Et cum Pater sanctus surrexisset de cathedra, ivit ad dictum foramen et clausit dictum foramen cum pede, et tunc, quando fecit in foramine, dixit: Ego dico per saecula saeculorum, quod, qui modo se moverit, finem et requiem non habebit, quia vos alii, qui descendistis, vaditis in servitutem deo extraneo in terra non vestra, ubi habebitis ronham vel scabiem et malum et afflictionem in mundo extraneo, quia de divitiis, quas dabit vobis Sathanas, non eritis contenti, quantumcunque habeatis, et ille, qui habebit, plus desiderabit habere, nec habebitis pausam nec finem, quousque reversi fueritis ad meum regnum; quia mundus non est res stabilitatis, quia totum, quicquid facit sathanas, fit et destruitur, nec habet stabilitatem, sicut vos alii pusilli ibitis et invenietis. Et tunc ipse loquens respondit dicto haeretico: Et loquebatur Pater sanctus illis, qui erant in regno vel illis qui ceciderant sic praedicta verba? Et dictus haereticus respondit ei, quod dictus Pater sanctus loquebatur spiritibus, qui ceciderant in terram; cui ipse loquens

dixit: Et quomodo illi spiritus, qui ceciderant in terram, poterant audire Patrem secum loquentem in coelo, maxime cum dictum foramen clausisset? Dictus haereticus respondit ei, quod Pater sanctus ita bene auditur per suos pusillos, ubicunque ipsi sint in mundo, sicut auditur per illos, qui juxta eum sunt, quando loquitur. Et tunc dictus haereticus continuans verba prima dixit, quod dictus Pater sanctus dixit spiritibus, qui ceciderant: vos alii habebitis tunicas multimode inversas, quia ibitis de una tunica in aliam, quousque reversi fueritis in tunicam, in qua stetis in justitia et veritate, in qua salvemini, et tunc revertemini ad meum regnum, quia non est in voluntate hominis, sed voluntatem Patris habet sequi, et quando Pater trahit hominem ad veritatem et justitiam, oportet quod homo eum sequatur. Et addidit dictus haereticus, quod ipse viderat credentem receptum intrantem in endura per 13 dies et noctes, qui non poterat mori, et tamen in illa tunica vel carne, in qua erat, fuerat bonus credens, sed in alia tunica vel carne fuerat multum malus, et propter hoc non poterat cito mori, faciendo poenitentiam de malis, quae fecerat in alia tunica, et, ut dicebat, beatus erat, quia sustinebat poenitentiam suam de malis, quae fecerat in hoc mundo. Sunt etiam, ut dicebat, aliqui, qui per nos recepti, statim cito moriuntur, qui tamen fuerunt mali in ista tunica vel carne, in qua recepti sunt, sed in alia tunica vel carne meruerunt, ut cito post receptionem salvarentur.

Confessio Petri Maurini de monte Alionis.

Haereticus incepit praedicare dicens: strictae sunt viae Dei Patris mei et asperae, amplae et dulces sunt viae Sathanae, quia illi, qui sunt in viis Sathanae, faciunt omne illud, quod volunt, quia habent aerem vel delectationem hujus mundi, quia illi, qui sunt in delectationibus hujus mundi, non recordabantur viarum Dei Patris ejus, ut starent in veritate et justitia, et propter delectationes hujus mundi nolunt tenere vias strictas et asperas Dei Patris ejus, quia tales stabant in porta regni et non intrabant regnum,

nec volentes intrare permittebant. Tamen Filius Dei dixit bonis christianis, quando reversus fuit ad coelum: Pusilli mei, non propter hoc vos alii contristemini, quia vos alii, qui statis in veritate et justitia, quia aliter reverteinini ad regnum patris mei: tres sunt carnes, una est hominum et alia est bestiarum, tertia est piscium, quae fit in aquis: vos alii, pusilli mei, non comedatis nisi de illis carnibus, quae fiunt in aquis, quia illae fiunt sine corruptione, aliae vero carnes fiunt cum corruptione et faciunt multum carnem superbire, et propter hoc prohibuerat eis, quod non comederent, nisi pisces, nec biberent vinum solum, quod hoc tolerare possent ad hoc, ut carnem suam castigarent, ne superbiret. Et si volebant bene tenere viam Dei, ut dicebat, dictis tribus diebus, si bullirent aquam et essent duo, poterant ponere duas nuces pro condimento, et si erat unus solus, quod non poneret, nisi unam nucem solum. Quibus dictis Filius Dei dixit Bar-Jonae: nullus extendat manum ad aratrum meum, nisi firmiter tenere velit, quia beatus erit, qui poterit dare unum calicem aquae pusillis meis, quia centuplum et amplius recepturus erit; videte ergo, si promittit nobis multum sanctus Pater; tamen qui deceperit pusillos meos in uno obolo, anima ejus non valebit alium. Et tunc ipse loquens respondit ei: Et si homo emendaret dictum obolum dictis pusillis, quid esset? Et dictus haereticus respondit: quod bonus homo poterat emendare, sed multo melius erat, quod non esset necessitas emendandi, quia dictus Pater sanctus dixit: quia qui unum de pusillis ejus, id est haereticis discelaverit, nunquam in regnum ejus intrabit; et addidit dictus haereticus: videte ergo, si nos vivimus stricte, quia propter hoc viae Dei sunt strictae, quia strictam vitam ducimus; sed sanctus Pater promittit vobis et donat: pusilli mei, intrate in regnum meum, quod vobis nunc et in perpetuum est praeparatum. Videte ergo, si nos debemus sustinere malum in hoc mundo, ex quo sanctus Pater talem promissionem nobis facit, et firmiter tenere viam ejus; et si credentes scirent, quae sanctus Pater promisit bonis christianis, non facerent nisi balhare vel tripudiare; sed ipsi

boni christiani nolebant hoc dicere credentibus, nisi efficerentur boni christiani, quia cum toto hoc credentes multum se laxant ad multa mala facienda. Audivit etiam a dicto haeretico, quod ipse haereticus audiverat, quod quidam bonus christianus comedebat juxta quendam fontem cum credentibus suis, et ibi dictus haereticus dixit illis credentibus, quod ipse recordabatur, quod ipse alias fuerat equus et quod potaverat illo tempore in illo fonte, et ille, qui equitabat me, fortiter me punxit, et ego posui hic pedem dextrum in luto fortiter et vix potui pedem extrahere de luto et quando extraxi pedem, remansit in luto ferrum. Et hoc dicto dictus haereticus dixit dictis credentibus: modo videatis, si adhuc in isto luto poteritis invenire dictum ferrum, et tunc dicti credentes perquisiverunt dictum ferrum in luto et invenerunt ipsum ferrum et de hoc dicti credentes laeti fuerunt.

Confessio Petri Maurini de monte Alionis.

Quando homo rapit vel furatur aliena vel malum facit, hic non est nisi spiritus malignus, qui intrat et exit in homine, et facit eum malum facere et peccare et expellit eum de bona via et mittit eum in mala; quia totus aër vadit plenus spiritibus et bonis et malignis; quia spiritus hominis, quando homo est mortuus, magis est voluntarius ad iterum incarnandum, nisi fuerit in homine, qui steterit in veritate et justitia, quam nulla res aestimare potest; quia spiritus maligni, qui stant in aëre, eum decoquunt et cogunt ad intrandum in quodcunque corpus carneum, sive sit corpus hominis sive bestiae; quia quamdiu spiritus hominis est in carne aliqua, requiescit et non coquitur per malignos spiritus. Et videte, quod sanctus Paulus habuit 13 tunicas et fuerat multum malus homo in aliquibus tunicis suis, quia persequebatur ecclesiam Dei: et Filius Dei ei dixit: Saule, cur me sic persequeris? et ad istud verbum, quod dixit ei Dei Filius, posuit l'entendement in corde ejus, et tunc Saulus petivit a Dei Filio, quod haberet misericordiam de eo, et Filius Dei pepercit ei, et ex tunc sanctus Paulus

habuit l'entendement et fuit factus sanctus homo et sicut ante vocabatur Saulus, sic postea fuit vocatus Paulus; et tamen adhuc eum credentes timebant, ne eos perderet, propter hoc quia ante nimis eos terruerat, et propter ea noster entendement est, quod in illa tunica sanctus Paulus fuerit salvatus et propter hoc vos alii custodiatis vos a malo et faciatis bonum et videte, quam bonum est facere bonum, cum sanctus Paulus ita fuerit malus, et quando Pater voluit, traxit eum — et nullus potest salvari, nisi Pater eum traxerit, et quam cito Pater aliquem trahit, statim eum sequitur et salvatur, et hoc, ut dicebat, erat bonum exemplum ad inducendum hominem ad faciendum bonum. Ipse vero loquens interrogavit dictum haereticum, quid dictae 13 tunicae sancti Pauli — quid significabant? et dictus haereticus dixit, quod anima sancti Pauli fuerat in tredecim carnibus.

Dixit, quod inveniebatur in prophetia Isaiae prophetae, quod quidam bonus homo erat, id est haereticus, qui propter verba, quae audiverat ab aliis bonis hominibus, qui inter se discordabant, et etiam propter illa, quae legerat in libris, incepit dubitare circa fidem bonorum hominum, id est haereticorum, et tunc posuit se ad legendum in libris, ut posset cognoscere, an bonam fidem tenent vel malam, et legit tribus diebus et duabus noctibus et non fuit lassatus, nec dormivit; et cum sic legeret, venit ad eum angelus Patris sancti et dixit ei, quare dubitabat in fide bonorum hominum? qui respondit ei, quod propter aliqua, quae inveniebat in libris, et propter hoc etiam, quod boni homines inter se in fide discordabant. Et tunc dictus angelus dixit dicto bono homini, id est haeretico: Non dubites, sed ascende super collum meum. Et dictus bonus homo ascendit super collum angeli, et dictus angelus ascendit cum dicto bono homine usque ad primum coelum et invenerunt ibi populum multum laetum et habebat super se dominum, qui eis praedicabat. Quae cum vidisset dictus bonus homo, voluit adorare, et dictus angelus dixit ei: Et quid vis facere? et dictus bonus homo respondit, quod volebat adorare patrem;

cui dictus angelus dixit, quod non erat ille Pater, sed illi spiritus erant, qui non habebant bonum, nec malum, nec habituri essent usque ad diem judicii, et continuo rogabant Patrem, ut misereretur eorum. Et deinde dictus angelus portavit dictum hominem super collum usque ad aliud coelum secundum et invenit populum multum pulchriorem, quam populum primi coeli, qui etiam stabat in requie, et habebant dominum super se, qui etiam eis praedicabat. Quem cum dictus homo bonus vellet adorare, prohibitus fuit per angelum, dicentem: quod non erat ille pater; et eodem modo fuit portatus tertio, quarto, quinto, sexto et septimo coelo, et quanto plus ascendebant, tanto pulchrior populus erat, et habebant clariorem dominum, et omnes dictus bonus homo volebat adorare, credens, quod essent pater, et prohibitus fuit per dictum angelum, quousque venit ad septimum coelum, ubi erat Pater sanctus; et erat ibi magna claritas et pulcherrimus populus et habebant omnes coronas, quae multo clariores erant, quam sit sol, et omnes praedicti populi VII coelorum cantabant canticum Sion, sed illi superiores melius inter omnes cantabant; et, ut dixit, locus ille erat pulcherrimus, et erat ibi abundantia omnium bonorum in tantum quod, qui erant ibi, obliviscebantur omnium bonorum istius saeculi. Et ibi erant angeli et omnes boni homines, id est haeretici et mulieres; dicebat tamen de mulieribus, quod animae hominum et mulierum inter se differentiam non habebant, sed in carnibus hominum et mulierum Sathanas dominus istius mundi fecerat differentiam, de voluntate tamen Patris sancti, cujus omnia opera manent semper et destrui non possunt; sed opera Sathanae domini istius mundi fiunt et destruuntur, et ideo quia carnes hominum et mulierum destruuntur, sunt opera Sathanae, sed animae sunt opera Patris sancti. Et cum fuit in dicto 7. coelo, dictus angelus dixit dicto bono homini, quod adoraret illum Patrem sanctum, quia ille erat Pater sanctus populi Israel, id est haereticorum; quem Patrem sanctum dictus bonus homo adoravit; quem cum adorasset dictus bonus homo rogavit Patrem sanctum, quod ibi de caetero

maneret, et Pater sanctus respondit ei, quod non poterat ibi remanere, quia nulla caro nata de corruptione poterat ibi manere, sed oportebat quod reverteretur ad mundum et confortaret parvulos ejus, quia, ubi erat unus parvulus ejus, ipse esset cum eo, et ubi erant duo, similiter, et ubi erant tres, eodem modo. Et cum dictus bonus homo diceret: Pater sancte, quomodo ego revertar ad mundum inferiorem? dictus Pater sanctus respondit ei: non voces me — Pater, quia non sum Pater tuus, quia dubitasti; sed oportet quod descendas ad mundum inferiorem et tunicam, id est corpus de immunditia conceptum, ibi dimittas, et postea anima tua, quando dimisit corpus, veniet huc. Et cum dictus homo per longum tempus stetisset in coelo, non videbatur ei, quod quasi aliquam moram ibi contraxisset propter magnam delectationem, quae ibi erat. Deinde dictus angelus reduxit dictum bonum hominem ad mundum inferiorem, qui homo postea praedicavit illa, quae viderat, et multum fundavit et confortavit fidem ipsorum haereticorum; non tamen omnia, quae pertinent ad fidem eorum, dictus homo recitavit, nec scivit, quia, ut dixit, nullus solus fuit, qui sciret omnia secreta Dei, sed inter omnes homines sciebant omnia Dei secreta. Dicebat tamen, quod ita bene salvaretur ille, qui non sciebat, nisi unum verbum eorum, sicut et ille, qui sciebat omnia, quae pertinebant ad eorum fidem.

Quando recollecta fuerit tota creatura Dei, mare ampliabitur, sic quod totam terram occupabit, et coelum descendet, sic quod immediate attinget dictum mare, et in coelo non erunt sol, nec luna, nec stellae, nec videbitur aliquid; deinde veniet ignis et consumet mare; et mare postea revertetur et exstinguet ignem. Et sic erit talis vicissitudo, quae semper durabit; et tale mare cum igne et coelo sic depresso vocatur lacus, et non est alter infernus, nisi dictus lacus, in quo lacu ponentur et remanebunt malignae animae et daemones et sathanas, et, sicut dicebat, iste mundus erit infernus, et tunc filii Dei et omnes boni, intelligens de haereticis — erunt in regno Patris, ubi habebunt bonum sine omni malo et nihil desiderabunt aliud, quam quod habent,

et erunt obliti omnium, quae viderunt et habuerunt in hoc mundo, et tantum erunt contenti de bono, quod habebunt illi, qui multum distabunt a Deo, sicut illi, qui erunt juxta eum.

Deinde fuit interrogatus per dictum D. episcopum super articulis infrascriptis sectae Manichaeae, et primo, an audivit ab aliquo et credidit, quod Deus a principio fuerit unus et deinde se diviserit in partes tres, quarum una esset Pater et altera Filius et tertia Spiritus sanctus, et quod postea finaliter dictae tres partes reverterentur et fieret unum ex eis et unus Deus. Respondit, quod, quando pransi fuerant, ut supra dixit ipse loquens, Jacobus Auterii haereticus et Petrus Montanerii juxta fontem de Comba Gauterii, dictus haereticus dixit: Videte, quomodo faciunt vos musare illi, qui sunt de ecclesia Romana, quae est synagoga, quia docet, quod homines se signent et dicant: in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et ita faciunt tres deos, et tamen, ut dixit, non est nisi unus Deus Pater meus. Et cum ipse loquens diceret ei: Et nonne vos alii dicitis, quod Filius Dei descendit in terram, ut congregaret filios Israel, et ita facitis duos deos, scilicet patrem et filium? Cui dictus haereticus respondit, quod Deus Pater et Filius unus erant; tamen Pater, ut dicebat, misit Filium suum in mundum, sed postquam Filius Dei reversus fuit ad Patrem, fuit unus Deus cum Patre, sicut et ante fuerat, et aliter, ut dixit, non declaravit, quomodo erant Pater et Filius unus, antequam Pater mitteret Filium in mundum, et postquam Filius reversus fuit ad Patrem, nec si Filius erat pars Dei Patris; nunquam tamen audivit dictos haereticos dicentes, quod Dei Filius esset verus Deus, nec quod Spiritus Sanctus esset verus Deus, sed quod solum Pater eorum erat verus Deus. Et etiam ipse loquens, ut dixit, praedicta credidit per 17 annos vel circa; ipse tum, ut dixit, credebat, quod a principio erat unus Deus Pater, qui divisit se in tres partes, quarum una fuit ipse, qui remansit in coelo semper, et duae aliae partes essent Filius et Spiritus Sanctus, qui descenderunt in mundum, per Patrem missi, et postea re-

versi fuerunt in coelum et sic volente Deo Patre fuit reintegratio Dei Patris, Filio et Spiritu sancto unitis et unum factis cum Patre, sicut et ante fuerant, antequam Pater se in praedictas tres partes divisisset. Interrogatus, si audivit ab aliquo haeretico et credidit, quod Deus Pater diceretur Deus Pater non pro eo, quod haberet Filium naturalem ejusdem substantiae et naturae cum ipso, sed solummodo pro eo, quod fecisset spiritus et animas bonas: respondit, quod non audivit, quod haeretici declararent, bene tamen audivit eos dicentes, quod solummodo ipsi haeretici poterant dicere: Deus Pater meus, quia Deus solum est Pater bonorum hominum, id est haereticorum perfectorum, sed non erat Deus Pater credentium, vel etiam aliquorum aliorum, et hoc pro eo quod Deus Pater est Deus veritatis et justitiae, et propter hoc erat Pater illorum, qui stabant in veritate et justitia, cujusmodi sunt soli haeretici perfecti, ut dicebant, et propter hoc dicebant etiam, quod credentes, nec alii non debebant dicere orationem: Pater Noster, et quando dicebant eam, peccabant; quia, postquam homo dixerat dominicam orationem, non debebat mentiri, et quando credentes dicebant dominicam orationem, mentiebantur, quia vocabant Deum Patrem suum, cum tamen non esset Pater eorum. Ipse tamen in praedictis non credidit dictis haereticis, ut dixit, imo, ut dixit, ipse loquens dicebat frequenter Pater Noster. Item interrogatus, si audivit ab aliquo haeretico vel credidit, quod Deus Pater sit corporeus habens membra corporalia consimilia membris humanis et carnes et ossa: respondit, quod non audivit hoc ab haereticis, sed tamen ipse, ut dixit, credidit, quod Deus Pater esset homo et haberet carnes et ossa et omnia membra humana, et quod homo haberet faciem Dei, tamen credebat, quod Deus corrumpi non posset et quod nullum defectum habere posset; et hoc credidit usque modo. Item interrogatus, si audivit ab aliquo haeretico, vel credidit, quod Deus Pater fecerit omnia, scilicet angelos et spiritus ac animas humanas et coelum et terram et mare et omnia quae sunt in eis, tam visibilia, quam invisibilia, vel quod Deus Pater solum

fecerit spiritus, et quod res corporales fecerit aliquis alter: respondit, quod ab omnibus haereticis audivit, quod nihil eorum, quae possunt videri oculis carnalibus, vel sentiri, Deus Pater fecerat, nec aliquod eorum, quod incipit esse et desinit, quia non esset bonus operator, si illud, quod fecerat, unquam destrueretur, sed deus extraneus, quem aliquando vocabant deum malum et sathanas, erat mundi operator, et omnia quae incipiunt esse et postea desinunt, ipse fecerat; sed illam potestatem, quod esset mundi operator et quod faceret omnia quae esse incipiunt et postea desinunt, Deus Pater dederat ei propter bonos spiritus, qui sunt in hoc mundo inter malos spiritus, sicut oves inter lupos, et quamdiu dicti boni spiritus erunt in hoc mundo, florebit et granabit, ut de rebus excrescentibus dicti boni spiritus vivant, sed quando dicti boni spiritus Patris coelestis, qui sunt ejus natura, recollecti erunt in isto mundo, nihil florebit, nec granabit, sed mare ampliabitur et occupabit totam terram et coelum descendet et sol occidet et luna et stellae, nec erit claritas ulla, et ignis comburet mare et mare exstinguet ignem et totus mundus erit lacus, qui infernus erit et vocabitur, et ibi ponentur mali spiritus et in perpetuum ibi stabunt; et non audivit ab eis, quod alter infernus esset, nisi iste mundus, postquam erit collecta Dei Patris creatura. Et ipse loquens, ut dixit, credidit, praedicta esse vera, et in dicta credentia stetit per 8 annos. Item interrogatus, si audivit ab haereticis, vel credidit, quod inter Deum Patrem et deum extranèum vel malum unquam fuerit pugna vel dissensio, sic quod aliquos spiritus Dei Patris deus malus occupaverit eo invito: respondit, quod audivit a Jacobo Auterii et Guilielmo Belibasta haereticis, quod postquam deus malus fecerat istum mundum visibilem et istum mundum populasset, ivit ad coelum et sub specie mulieris pulchrae coelum intravit, et cum fuit ibi, dixit spiritibus, qui erant cum Patre coelesti, quod Deus Pater non dabat eis, nisi unum bonum, scilicet requiem, ipse vero daret eis, si vellent eum sequi, multa bona, sicut uxores, filios, oves, boves, possessiones et alia bona et divitias hujus

mundi inferioris. Et dicti spiritus, persuasi per dictum deum malum, existimantes, quod praevalerent illa quae promittebat eis quam illa, quae habebant cum Patre coelesti, concesserunt ei, et unus eorum alteri persuasit, et tunc per quoddam foramen, quod dictus malus deus fecit in coelo, cecidit ipse et omnes spiritus, qui ei consenserunt. Et per 9 dies et noctes tanta multitudo spirituum et ita spissim cecidit de coelo, sicut sunt minutae guttae pluviarum et acumina herbarum; et multo plures cecidissent, quam ceciderunt, nisi quia Pater coelestis videns exspoliari suum regnum surrexit de cathedra sua et posuit pedem super dictum foramen et juravit per saecula saeculorum, quod ex tunc, quicunque se moveret, pausam et requiem non haberet. Et ista fuit una dissensio inter Deum Patrem et deum malum. Dixit etiam, quod audivit ab haereticis vel credentibus, quod non recordatur tamen, a quo vel a quibus, quod quando Deus Pater fecerat coelum, deus extraneus volens sibi aequiparare, dixit ei, quod ipse etiam faceret aliud coelum. Et tunc deus extraneus et malus fecit coelum de vitro, quod Deus Pater percussit cum pede et ad ictum ejus fractum fuit, et tam ipse deus malus quam omnes illi operarii, qui fecerunt dictum coelum de vitro, ceciderunt, etiam ipsum coelum corruit et fractum fuit. Et etiam ipse credidit, praedicta vera esse per 8 annos. Item interrogatus, si audivit ab haereticis, vel credidit, quod omnes spiritus boni tam angelorum quam hominum animae fuerunt factae a principio per Deum bonum in coelo, et quod ibi peccaverunt et postea ceciderunt de coelo et quod de dictis spiritibus incorporarentur aliqui in humanis corporibus factis per deum malum: respondit, quod audivit a Jacobo Auterii quondam haeretico, quod omnes animae bonorum hominum, id est haereticorum, qui fuerunt, sunt et erunt, fuerunt factae in coelo per Deum Patrem et deinde seductae per diabolum modo supradicto peccaverunt et de coelo ceciderunt in mundum dei mali, et cum fuerunt ibi, videntes, se fuisse deceptos per deum malum, quia non attendebat eis, quod promiserat, clamaverunt ad Deum Patrem, ut eis parceret

et ad coelum reduceret. Quod videns deus malus dixit, quod faceret eis tunicas, id est corpora, in quibus obliviscerentur bona, quae habuerant in coelo. Et sic diabolus fecit corpora, quae sunt tunicae oblivionis inversae, in quibus tunicis vadunt animae de tunica in tunicam, id est de corpore in corpus, quousque veniunt in tunicam, in qua salventur, quia in ea ponuntur in statum veritatis et justitiae, id est haeretici fiunt, et tunc egressi de dicta tunica revertuntur ad coelum; et toties dicti spiritus vadunt de tunica in tunicam, quousque haereticantur; unde de sancto Paulo apostolo audivit dicentem quendam haereticum, quod anima ejus fuerat in 13 tunicis, id est corporibus, antequam salvari posset, et in ultima tunica fuit salvatus, quia fuit positus in statu veritatis et justitiae. Non tamen audivit ab haereticis, quod omnes spiritus humani vel animae factae fuerunt per Deum Patrem, nec quod peccaverunt in coelo, sed solum de illis spiritibus vel animabus, qui fuerunt, sunt et erunt in haereticis. Et ipse etiam praedicta credidit, ut dixit, et in dicta credentia stetit per 8 annos, vel circa, ut dixit. Item interrogatus, si audivit a dictis haereticis, vel credidit, quod omnes et soli spiritus facti a Patre coelesti in coelo, qui diabolo instigante peccaverunt et de coelo ceciderunt, iterum revertantur ad coelum et salventur, sic quod nullus eorum pereat finaliter, sed ante finem mundi venturi sunt incorporandi in corporibus humanis, in quibus veniant ad statum veritatis et justitiae, id est haereticabuntur, et sic salvabuntur et ad coelum revertentur: respondit, quod audivit a Jacobo Auterii et Guilielmo Belibasta quondam haereticis, quod omnis creatura, quam Pater coelestis fecit, id est spiritus et animae, salvabuntur, et nullus ex eis peribit finaliter, sed ibunt de tunica in tunicam, id est de corpore in corpus, quousque veniant in corpus, in quo veniant ad statum veritatis et justitiae, et ibi boni christiani, id est haeretici, efficiantur, et quod mundus iste non finietur, quousque omnes spiritus et animae facti a patre coelesti in coelo, qui ibidem peccaverunt et de coelo ceciderunt, fuerint incorporati in talibus corporibus, in quibus

boni christiani, id est haeretici, efficiantur. Quibus collectis et ad coelum reductis mare ampliabitur et se extendet per totum mundum inferiorem et coelum descendet, et non erit sol, nec luna, aut claritas ulla, et ignis comburet mare et mare exstinguet ignem, et erit lacus infernus per totum mundum inferiorem, in quo ponentur spiritus et animae malignae. Non tamen audivit eos aliter exprimere, quod soli spiritus, qui de coelo descenderunt, salvarentur, licet dicerent, quod totus populus Jsrael salvaretur. Et ipse loquens praedicta credidit, ut dixit, per 8 annos. Iterum interrogatus, si audivit ab haereticis, vel credidit, quod spiritus et animae, qui de coelo descenderunt, incorporarentur non solum in corporibus humanis, sed etiam in corporibus brutorum animalium, volucrum, piscium, serpentum, buffonum et aliorum animalium quorumcunque: respondit, quod a dictis haereticis audivit, et specialiter a Pradas Tavernerii et Guilielmo Belibasta quondam haereticis, quod, quando anima hominis egreditur de corpore ejus, nisi ille homo fuerit factus bonus christianus, id est haereticus, ante mortem, quam citius incarnatur in alio corpore, quodcunque corpus carneum sibi primo occurrat, sive sit alterius hominis sive bestiae, aut avis, ut in dicta carne requiescat; quia, ut dicebant, quando anima hominis exivit de corpore ejus vel de corpore bestiae, quousque in alio corpore fuerit incarnata, non potest habere requiem, quia ignis sathanae vel dei extranei eam totam comburit, sed quando est in corpore incarnata, requiescit et non patitur dolorem a dicto igne, quia dictus ignis tunc ei nocere non potest; sed quando haereticabantur, antequam morerentur, anima egressa de corporibus ejus, statim per angelos et archangelos portabatur ad coelum ad Deum Patrem; et, ut dicebant, deus malus quando videbat, quod anima hominis haereticati ascendebat in coelum, multum irascebatur et propter hoc turbabat, quantum poterat, ne aliqui reciperentur per haereticos, et propter hoc credentes multum merebantur apud Deum Patrem, quando inducebant, quoscunque poterant, ad hoc ut per haereticos reciperentur. De animabus vero credentium,

qui non poterant haereticari in morte, dicebant, quod etiam post mortem incarnabantur in aliis corporibus, quia, ut dicebant, nullus poterat salvari, nisi factus esset bonus christianus, id est haereticus. De animabus vero puerorum audivit eos dicentes, quod nihil valebat, quando recipiebantur, quia non habebant usum rationis, sed de eis Deus habebat providere; et ut dixit, dictus Pradas, quando haereticaverat unam filiam parvulam Raymundi Petri supradicti et super hoc reprehenderetur per alios haereticos, dixit, quod bonus christianus facit suum posse in talibus et Deus suum velle. Et propter dictam incorporationem animarum hominum in corporibus bestiarum dictus Pradas Tavernerii et Guilielmus Belibasta posuerunt exemplum superius positum in processu de illo haeretico, qui stans juxta fontem dixit credentibus, quod ipse recordabatur, quod, dum fuerat equus, amiserat ferrum unius pedis in luto dicti fontis, dum ibi bibebat, et ibi fecit perquiri dictum ferrum, et fuit ibi inventum. Propter hoc etiam audivit dictos haereticos dicentes, quod propter hoc, quia bestiae habebant animas humanas, peccatum erat, occidere bestias vel quaecunque animalia, exceptis muribus, serpentibus et buffonibus. Praedicta vero aliquando ipse loquens credebat, aliquando discredebat, quia quando erat cum haereticis, credebat praedicta, quando vero recogitabat apud se, dubitabat. Item interrogatus, si audivit ab haereticis, vel credidit, quod sathanas vel deus malus et daemones ejus et spiritus hominum malignorum, qui non descenderant de coelo, sed jam erant in hoc mundo, antequam sathanas intraret paradisum, erat factus et facti a Deo Patre, vel quod non esset factus sathanas a Deo, sed esset per se, non factus ab aliquo, et quod ipse fecisset alios spiritus malos et mundum istum visibilem: respondit, quod sic expresse non audivit ab haereticis, quod sathanas vel deus malus non esset factus a Deo Patre, sed per se esset ipse, non factus ab aliquo, et quod ipse fecisset daemones et spiritus malorum hominum, qui jam erant in hoc mundo, antequam sathanas intraret paradisum; sed bene audivit ab eis verba, quae hoc praetendere videbantur, quia audivit

eos dicentes, quod tota creatura Dei salvaretur finaliter et reverteretur ad coelum, unde exivit propter peccatum; et tamen postea dicebant, quod sathanas et daemones et spiritus hominum maligni post finem mundi, quando esset recollecta tota Dei creatura, ponerentur in lacu, id est inferno hujus mundi supradicto, in quo perpetuo essent postea, et sic videbantur dicere, quod sathanas, daemones et spiritus mali hominum, illi, qui de coelo non descenderunt, non erant creaturae Dei Patris, aliquando tamen videbantur dicere, quod nullum opus diaboli perseverabat, sed desinebat esse, et sic si daemones et mali spiritus erant facti per deum malum, oportebat quod desinerent esse et non perpetuo perdurarent, et sic non perpetuo possent vivere et esse in inferno; quam tamen contrarietatem non audivit ipse loquens solvere vel declarare. Ipse loquens tamen magis declinabat ad hoc, quod dicti haeretici vellent dicere et tenere, quod Sathanas non esset factus a Deo Patre, nec quod daemones vel spiritus maligni hominum non essent facti a Deo Patre; et, ut dixit, aliquando credebat, quod veritatem dicerent, aliquando dubitabat. Item interrogatus, si audivit ab haereticis, vel credidit, quod in homine essent duae substantiae rationales, scilicet duae animae, vel spiritus et anima, sic quod una maneret in homine, quamdiu viveret, alia vero, scilicet spiritus, iret et rediret et non perpetuo staret in homine; sic quod imaginationes, somnia et cogitationes et alia, quae pertinent ad cogitationem, fierent in homine per spiritum, et quod per animam homo solum vivere haberet: respondit, quod audivit a Philippo de Constantino quondam haeretico et a Mersendi Martina quondam credente haereticorum supradictis, quod homo semper habebat animam, dum vivebat, sed quando efficiebatur credens haereticorum, vel etiam haereticus, superveniebat spiritus bonus, sic quod ex anima prima et spiritu superveniente efficiebatur quoddam matrimonium, cujus matrimonii Deus Pater auctor erat; sed si postea credens vel haereticus a credentia vel haeresi resiliebat, bonus spiritus egrediebatur ab homine, et malus spiritus ei succedebat; et sic dicebatur,

quod spiritus intrabat in homine et exibat, anima vero in homine semper permanebat, quamdiu vivebat. Si tamen dictus spiritus erat hominis spiritus vel spiritus creatus, aut Spiritus sanctus, qui est Deus, non audivit eos exprimere, licet malum spiritum, qui ingrediebatur in homine, diabolum vocarent. Et, ut dixit, dictum spiritum vidit unus credens exire corpus hominis et transeuntem flumen et intrantem caput asini et postea ad hominem redeuntem. Si tamen cogitationes omnes hominis essent a spiritu vel anima, non audivit aliter ab eis, nisi, ut supra dixit, quod ille spiritus, qui in modum sinsolae exiverat ex ore hominis dormientis et transiverat per plancam rivum et intraverat caput asini et deinde reintraverat os hominis, illud, quod fecerat, visum fuit dicto homini, quod ipse fecisset, et ipse etiam credidit per dictos 8 annos. — Item interrogatus, si audivit a dictis haereticis, vel credidit, quod quia deus malus introduxit mulierem in coelo et per illam decepit spiritus, qui erant in regno Dei Patris, quod Deus Pater juravit, quod de caetero nulla mulier intraret paradisum, et propter hoc mulieres haereticae vel haereticatae, quando moriuntur convertuntur in viros, ut salventur: respondit, quod a dictis haereticis audivit, et specialiter a Pradas Tavernerii et Guilielmo Belibasta quondam haereticis, quod animae hominum et mulierum erant eaedem et nullam differentiam inter se habebant, sed tota differentia inter hominem et mulierem erat in eorum carne, quam Sathanas fecit, et sic quando animae hominum et mulierum carnem deposuerant, nullam differentiam inter se habebant; et aliter non audivit ab eis, quod Deus dixit, quod nulla mulier in regnum suum intraret, et ipse etiam praedicta credidit per supradictum tempus. — Item interrogatus, si audivit ab haereticis, vel credidit, quod deus malus fecerit corpus hominis, et Deus Pater fecerit animam ejus: respondit, quod audivit a dictis haereticis, et non recordatur, a quo vel a quibus, quod diabolus de limo terrae fecit corpus hominis; quod corpus non se poterat movere, nec ambulare, et tunc Filius Dei dixit deo malo: Et si ego ponerem in isto corpore hominis aliquid, quo dictum

corpus posset ambulare, esset meum illud, quod ponerem in eo; et diabolus, id est deus malus, respondit ei: quod sic; et tunc Filius Dei inspiravit in ore corporis dicti hominis, in cujus significatione sacerdotes, ut dicebant, inspirant in faciem puerorum, quando baptizantur. Quo facto homo ambulavit; et ex tunc corpus hominis fuit dei mali, et anima hominis fuit Dei Patris. Ipse tamen, ut dixit, praedicta non credidit, nec discredidit, ut dixit; sed tamen credebat bene, quod corpus hominis esset terra. Et, ut dixit, a dictis haereticis audivit, quod, cum deus malus per longum tempus laborasset ad faciendum corpus hominis supradicti, quod ipse fecit, postquam Deus inspiraverat in ore ejus, dictus homo ambulare inceperat — Deus bonus dixit deo malo: vide, quomodo multum laborasti! et accipiens Deus cum manu modicum de terra et aliquantulum movens eam, inspiravit in dicta terra ter, et statim ex illa terra processit unus homo, ita pulcher, sicut ille, quem deus malus fecerat et etiam ambulavit. Dicebant tamen, quod quia dicti duo homines facti per Deum bonum et deum malum ambo erant facti de terra, idcirco ejusdem naturae et conditionis erant. Et etiam ipse praedicta credidit per supradictum tempus, ut dixit. Item interrogatus, si audivit a dictis haereticis, vel credidit, quod lex per Moysem data Judaeis esset mala lex et data per deum malum, quia deus malus Judaeis apparuit sub specie vituli, et quod nullus unquam potuit salvari in lege Judaeorum: respondit, quod non; nisi quod audivit a dictis haeretieis, quod in nulla lege homines poterant salvari, nisi in eorum lege, qui erant, ut dicebant, boni christiani et bonae christianae, id est haeretici et haereticae, perfecti et perfectae, et quod omnes praedicti salvarentur. Et cum ipse diceret Guilielmo Belibasta haeretico dicenti supradicta, quod ita essent pauci homines, qui salvarentur, cum ipsi haeretici multum panci essent, dictus haereticus respondit ei, quod mundus multum duraverat et multum adhuc duraret et paulatim dicti boni christiani et christianae colligebantur. Et, ut dicit, praedicta ipse loquens non credebat, nec discredebat firmiter, sed

aliquando credebat haec et aliquando contrarium. Item interrogatus, si audivit ab haereticis, vel credidit, quod Dei Filius descenderit de coelo et acceperit in beata Maria nostram humanitatem, scilicet verum corpus et veram animam humanam, vel quod portaverit corpus de coelo et habuerit non verum corpus, sed solum phantasticum et apparens: respondit, quod bene audivit a dictis haereticis, quod Filius Dei descendit de coelo et venit in mundum, ut ostenderet viam Dei Patris et verba ejus in mundo praedicaret; sed si conceptus et natus fuit de beata Maria virgine, non audivit ab eis, quia etiam non audivit, quod beatam Mariam nominarent; dixit tamen, quod ipse credidit usque modo, quod sicut Deus Pater secundum eum, ut supra dixit, habebat corpus humanum sibi unitum semper, ita etiam Dei Filius in coelo haberet humanum corpus semper, quemadmodum filius hominis habet humanum corpus, sicut et Pater ejus; et cum dicto corpore Dei Filius descendit de coelo, portavit secum dictum corpus in similitudinem corporis puerilis et intravit in uterum beatae Mariae virginis, ubi non fuit corpus humanum formatum, cum jam haberet ipsum, sed solum corpus, quod portaverat de coelo, fuit de sanguine beatae Mariae nutritum, quamdiu Dei Filius stetit in ventre ejus, et deinde Dei Filius natus fuit. Et sic credebat, quod Dei Filius esset Filius Dei Patris et beatae Mariae virginis, quamvis corpus ejus humanum non fuerit formatum in utero beatae Mariae, sed portatum de coelo. — Item interrogatus, si audivit ab haereticis, vel credidit, quod Christus Dei Filius in hoc mundo existens comederit, biberit, lassatus fuerit et alias passiones, quae humanae naturae conveniunt, sustinuerit in hoc mundo: respondit, quod non audivit a dictis haereticis, quod Dei Filius in hoc mundo comederit, vel biberit, vel habuerit famem, vel sitim, nec contrarium. Ipse tamen, ut dixit, credidit usque modo, quod, quamvis comedere potuerit et bibere, tamen non comedit, nec bibit, nec famem, nec sitim habuit, sed de sua et Patris gratia satiatus fuit. Bene tamen audivit ab haereticis, quod partitus fuit inter discipulos pisces et favum mellis. — Item

interrogatus, si audivit ab haereticis, vel credidit, quod Dei Filius in hoc mundo sustinuerit passionem et mortem sic quod vere doluerit et vere mortuus fuerit, vel non fuit vere mortuus, nec dolorem sustinuit, sed solum modo apparenti: respondit, quod a Guilielmo Belibasta quondam haeretico audivit, quod sathanas, operator hujus mundi, fecit totum suum posse, quod Dei Filius interficeretur per Judaeos, quibus etiam Judaeis visum fuit, quod eum crucifigerent, et etiam visum fuit eisdem Judaeis, quod Dei Filius mortuus esset; ipse tamen Dei Filius nunquam sustinuit dolorem, nec aliquod malum, vel afflictionem, nec etiam mortem, quia, ut dicebat, Dei Filius nunquam fuit mortuus, nec aliquod malum ei inferri potuit, sed, ut dixit, Dei Filius sustinuit se crucifigi et opprobria eidem inferri in apparentia, ut ostenderetur, quam voluntatem et affectionem sathanas habebat ad ipsum; et licet visum fuerit Judaeis, quod Dei Filius esset mortuus, et quod post mortem eum posuerint in sepulcro, tamen in veritate ipse non erat mortuus, nec fuit sepultus, licet videretur; et quam cito illi, qui eum sepelierant, de monumento recesserunt, cuidam mulieri, quae eum plorabat, apparuit; et dixit ei, quod accederet ad eum, quia ipse erat ille, quem ipsa in dicto monumento positum plorabat; cui etiam dixit, quod ipse nunquam mortuus fuerat, nec aliquam afflictionem sustinuerat, vel dolorem, licet Sathanas et Judaei fecerint suum posse, quod eum interficerent et male tractarent. Et ipse respondit ei, ut dixit, quod Deus bene tantam potestatem habebat, quod Judaei non potuissent ei nocere, si ipse noluisset; et dictus haereticus respondit ei: imo bene credatis, quod non nocuerunt ei, nec etiam occiderunt. Et ipse loquens, ut dixit, praedicta credidit per supradictum tempus. — Item interrogatus, si audivit ab haereticis, vel credidit, quod cruci, in qua Christus crucifixus fuit, vel ejus similitudini non sit deferendus honor vel reverentia exhibenda: respondit, quod a dicto Guilielmo Belibasta et Pradas Tavernerii quondam haereticis audivit, quod crucis signum nihil valebat, nec ei reverentia et honor exhiberi debebant, quia in cruce Dei

Filius apparenter fuerat crucifixus et mortuus, et quemadmodum, si in aliqua arbore pater hominis suspensus fuisset, homo dictae arbori non exhiberet reverentiam vel honorem, nec eam diligeret, sic etiam crucem, in qua Dei Filius apparenter fuit crucifixus et mortuus, homo non debebat amare, revereri et honorare. Dicebant etiam dicti haeretici et etiam Amelius de Perlis haereticus quondam, quod, licet credentes possunt se signare signo crucis et intrare ecclesiam, ut non crederentur ab aliis haeretici esse vel credentes, tamen, ut dicebant, signare se signo crucis nihil valebat, sed ita ipsi poterant removere muscas a facie sua, sic se signando, sicut faciebant capellani. Et, ut dixit, cum semel ipse loquens et dictus Guilielmus Belibasta essent juxta fontem vocatum de Morelha, et ipse loquens vellet portare de aqua dicti fontis, signavit dictam aquam fontis signo crucis. Quod videns haeretieus incepit subridere et dixit ei: Petre, bene recordaris de illis, quae diximus tibi? cui cum ipse responderet, quod bonum erat facere signum Dei super aquam, dictus haeretieus respondit, quod signum crucis non erat signum Dei; sed signum Dei erat: benedicite, Senhor nos benedieat. Ipse loquens tamen, ut dixit, praedicta nunquam credidit, nec dimisit propter verba eorum facere signum crucis. Item interrogatus, si audivit a dictis haereticis vel credidit, quod Dei Filius, postquam apparenter fuit mortuus et sepultus, deseendit ad inferos vere vel apparenter: respondit, quod non audivit ab eis, quod Christus deseenderet ad inferos, imo, ut dixit, cum haeretici dicerent, quod infernus alter non erat, nisi quando in fine mundi mare ampliabitur et coelum descendet et ignis mare consumet et mare exstinguet ignem, cum, quando Dei Filius apparenter fuit mortuus, seeundum eos mundus non esset finitus illo tempore, nec etiam adhuc est aliquis infernus, ita Christus ad infernum, cum non esset, non descendit. Nec etiam ipse credidit illo tempore, quod Christus descendit ad inferos, cum seeundum quae tunc credebat, infernus adhuc non esset. — Item interrogatus, si audivit a dictis haereticis, vel credidit, quod Christus resurrexerit a mortuis

tertia die veraciter secundum carnem, vel nunquam resurrexerit vere, sed solum modo apparenti, cum veraciter mortuus non fuerit: respondit, quod a dicto Guilielmo Belibasta haeretico quondam audivit, quod Christus non resurrexit veraciter a mortuis, cum veraciter mortuus non fuerit, sed solum modo apparenti. Sed quia post mortem apparenter et simulatim se absentavit et ivit ad Patrem et deinde reversus fuit ad apostolos, visus in domo Simonis Barjona, idcirco dictus fuit resurrexisse a mortuis, cum tamen veraciter non resurrexisset a mortuis, quia Dei Filius, ut dicebat, nunquam mortuus fuit vere, nec mori potuit; licet Thomas miserit manum in vulnere lateris et digitos in vulneribus manuum et pedum. Non tamen audivit ab eis, si dicta vulnera erant vera, vel solummodo apparentia, quamvis audivit ab eis, ut supra dixit, quod Sathanas et Judaei licet fecerint posse suum, quod eum vulnerarent et occiderent, tamen ipse nullam laesionem sensit nec dolorem. Et ipse loquens etiam credidit praedicta per supradictos 8 annos. — Item interrogatus, si audivit a dictis haereticis, vel credidit, quod Christus descenderit in mundum, ut salvaret homines a peccatis eorum et ut ostenderet eis viam, qua possent pervenire ad salvationem, et ut daret eis gratiam, qua mediante possent implere Dei mandata et resistere peccato et venire ad regnum coelorum: respondit, quod solum audivit a dictis haereticis, quod Dei Filius venit in mundum, ut ostenderet viam illis spiritibus, qui descenderunt de coelo, quos ipsi vocabant populum Israel, qua possent reverti ad coelum, unde ceciderant; et dictum populum Israel vocabant bonos christianos et bonas christianas, id est haereticos; et nullam aliam causam adventus Filii Dei audivit ab eis.

Quando ponebatur panis super mensam, ille credens, qui ponebat panem, dicebat dicto haeretico: benedicite, Senhor! et dictus haereticus respondebat: Deus vos benedicat; deinde dictus haereticus benedicebat panem modo haereticali supradicto; deinde quando primum morcellum panis ponebant credentes in mensa, sive esset panis benedictus,

quem primum communiter comedebant, sive panis communis, dicebant haeretico: benedicite Senhor! et dictus haereticus respondebat: Deus vos benedicat et ducat vos ad bonum finem; et, ut dixit, quando benedicebatur panis haereticus modo supradicto, omnes credentes stabant pedes et deponebant caputium, quousque dictus panis benedictus fuisset. Et quando sciderat dictus haereticus dictum panem, primam scissionem dabat primo credenti et secundam secundo et sic successive, et quilibet, quando recipiebat dictam scissionem, dicebat dicto haeretico: Benedicite Senhor! et dictus haereticus respondebat: Deus vos benedicat et ducat ad bonum finem! Et si de dicto pane benedicto credentes faciebant offertas, oportebat quod extergerent cum alio pane scutellam vel scyphum sic quod nulla mica remaneret ibi de dicto pane. Quando etiam portatur scutella vel aliquid aliud in mensa dicto haeretico, credens, qui portat ei, dicit dicto haeretico: benedicite Senhor! et dictus haereticus respondet: Deus vos benedicat et ducat vos ad bonum finem. Et quando jam dictus haereticus comederat, cum vino abluebat scutellum, et deinde abstergebat cum mappis et ponebat in vagina et post haec dicebat credendo: *a quel senher qui auc no mentis ni no falhit nos amene a bona fin et nos salve nostres amix et nostras amigas e nos done mays de bōs agasanhas,* id est ille deus qui non fefellit, nec mentitus est, ducat nos ad bonum finem et salvet nobis nostros amicos et nostras amicas et det nobis plures bonos lucrifacere. Et quando credentes volebant orare Deum post mensam, dicti haeretici dicebant, quod dimitterent rogare Deum bono homini, id est haeretico, quia credentes non erant digni rogare Deum. Eleemosynas vero libenter faciebat ipse loquens cuicunque, quando poterat, licet libentius et magis voluntarie eleemosynas faceret dictis haereticis, quia credebat plus merere faciendo eleemosynam dictis haereticis, quam quibuscunque aliis, quia sic sibi datum fuerat intelligi per dictos haereticos; oblationes vero, quae fiebant in ecclesia, nihil appretiabat dictus Guilielmus Beli-

basta haereticus. Item interrogatus, si audivit a dictis haereticis, vel credidit, quod aliquod peccatum vel peccata essent, quae non possent indulgeri, vel remitti in praesenti saeculo per haereticos vel quoscunque alios: respondit, quod audivit a Guilielmo Belibasta, Amelio de Perlis, Pradas Tavernerii et ut videtur ei a Philippo de Constantino quondam haeretico, quod, qui peccat in Patrem, parcetur ei; et qui peccat in Filium, similiter; sed qui peccat in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, nec in hoc saeculo, nec in futuro, nec haberet pausam, nec quietem unquam. Audivit etiam ab eis haereticis, quod, qui deceperit unum haereticum in uno obolo, anima ejus non valebit alium, et qui discelaverit haereticum, anima ejus non intrabit in regnum coelorum, nec habebit requiem unquam. Dicebant tamen, quod credentes, qui discelabant haereticos et eos capi faciebant pro eo, quod habuerant la entendensa, majorem poenam in centuplum sentirent, quam illi, qui non fuerant credentes eorum, qui dictos haereticos capiebant vel capi faciebant pro eo, quia non habuerant la entendensa. Item etiam dicebant de haereticis, qui postea convertebantur ad fidem catholicam et discelabant alios haereticos et credentes, sicut dictum est de credentibus, quod scilicet eorum anima nunquam intraret regnum Patris, nec habebunt pausam vel requiem; non tamen propter hoc, si bonus homo, id est haereticus, indaemonietur, id est ad fidem catholicam convertatur, discelet haereticos et credentes, animae illorum, qui fuerunt haereticati per eos, dum erant haeretici et fecerant eis quod in eis erat, de paradiso exibunt; et videtur ei, quod dicti haeretici tenerent, quod, si haereticus faceret aliud peccatum, propter quod haberet iterum rehaereticari, sicut si carnaliter postea cognosceret mulierem, ut supradictum est de dicto Guilielmo Belibasta, poterat iterum rehaereticari et bonus homo effici; sed si ad fidem Romanae ecclesiae converteretur et alios haereticos et credentes discelaret, et ex tunc non posset rehaereticari; si tamen haereticum capere vel discelare erat peccatum in Spiritum Sanctum, si hoc credens vel haereticus faceret, non audivit a

dictis haereticis, quod recordetur. Ipse loquens etiam praedicta credidit per supradictum tempus.

Item interrogatus, si audivit a dictis haereticis, vel credidit, quod dicti haeretici haberent distinctos gradus et ordines in ecclesia eorum, habentes diversas potestates spirituales: respondit, quod audivit a dicto Guilielmo Belibasta, quod omnes de secta eorum erant aequales et fratres, quantum ad potestatem spiritualem recipiendi et haereticandi homines ad fidem et sectam eorum, sive sanos sive infirmos, et quantum ad indulgendum omnia peccata et ad faciendum omnia, quae pertinebant ad eorum ecclesiam; tamen ipsi inter se constituerunt unum diaconum, quem vocabant suum Majorem, qui habebat potestatem declarandi dubia, si emergerent inter eos, et etiam corrigendi illos, qui errarent, et etiam quod ille poterat rehaereticare illos haereticos vestitos, qui ceciderant a statu suo; cui etiam alii obedire haberent. Audivit tandem ab eis, quod talis diaconus esset in partibus istis; et ipse etiam, ut dixit, supradicta credidit. — Item interrogatus, si audivit a dictis haereticis, vel credidit, quod matrimonium inter virum et mulierem, quod fit in ecclesia catholica, nihil valeret et quod conjuges, quando se mutuo carnaliter cognoscebant, peccabant tantum vel plus, sicut si conjuges non essent: respondit, quod audivit a Guilielmo Belibasta et a Philippo de Constantino quondam haereticis, quod matrimonium carnale inter virum et uxorem nihil valebat, sed matrimonium spirituale, quod erat inter animam et spiritum, quando scilicet anima, quae semper manebat in homine, et spiritus, qui vadit et revertitur, sunt boni et conjunguntur ad invicem, sic quod anima vult illud idem, quod spiritus, et spiritus, quod anima, et conveniunt in bonitate, et tale matrimonium est, quod Deus fecit. Dicebant etiam, quod semper magnum peccatum est, cognoscere quamcumque mulierem, etiam uxorem propriam, sed ex quo homo non poterat continere a muliere, melius erat, quod homo acciperet unam mulierem, quam si iret ad diversas, quia de illa homo haberet pueros et sociam bo-

nam, quando Deus vult, quod homo potest invenire mulierem bonam; sed tunc erat et bene contingebat homini, quando credens habebat mulierem credentem haereticorum, et propter hoc quia dicti haeretici dicebant, quod ita magnum peccatum erat, cognoscere quamcunque mulierem, ipse loquens abstinuit ab accipienda uxore et a conjungendo se cum muliere usque ad sex annos proxime praeteritos, quamvis sit quadragenarius et amplius. Ipsi tamen haeretici sic matrimonium faciebant inter virum et mulierem eorum credentes, quia dicebant parentibus eorum: nostrum est aperire, quod bonum cunjungatur cum bono, et si homo vult facere, bene quidem; si non, non debemus aliud facere; et tunc addebant: posset esse bonum, si Deus vellet, quod filius vester acciperet in uxorem talem mulierem credentem filiam, talis qui est etiam credens, quia bonam ficum homo debet plantare in porta domus suae et non malam veprem, vel romengneriam, et homo, vel mulier non debet curare de divitiis in vico, vel in uxore accipienda vel ducenda, solummodo quod credentes se conjungere possent, quia ex tunc bonus homo, id est haereticus poterat venire ad domum eorum, id est haereticorum, et si eorum alter infirmaretur, per alium procuraretur, quod infirmus haereticaretur per dictos haereticos. Et ipse loquens supradicta credebat, cum erat cum dictis haereticis, et aliquando, quando non erat cum eis, credebat contrarium, ut dixit. — Item interrogatus, si audivit a dictis haereticis, vel credidit, quod homo matrimonium legitimum inter virum et uxorem separare posset, et quod peccatum non esset, si separaretur matrimonium, quod erat factum inter non credentem haereticorum et credentem: respondit, quod a Philippo de Constantino haeretico supradicto, quando ordinavit cum ipso loquente, quod auferret et abduceret Gulielmam sororem suam a viro suo, quem habebat apud Rupem de Ulmesio, quia dictus vir ejus non erat haereticorum credens, audivit, quod ipse super se ponebat peccatum, si quod esset in separatione dicti matrimonii, quia non erat peccatum, sed — separatio dicti matrimonii, quia per hoc abstrahebatur dicta soror

ejus a mala via et de malo spiritu et ponebatur in bona via. Quando etiam dictus Guilielmus Belibasta haereticus dederat ipsi loquenti in uxorem Ramundam supradictam, qui tamen ambo erant haereticorum credentes, postea tamen infra paucos dies poenitens dictus haereticus, quia dictum matrimonium fecerat inter eos, dixit ipsi loquenti, si ipse vellet dimittere dictam Ramundam, ipse ex parte Dei absolvebat eum de dicto matrimonio, et sic matrimonium inter eos dictus haeretieus separavit. Haeretiei etiam, quando haereticabantur, dimittebant ex toto uxores, quas prius habuerunt, et sic matrimonium secundum eos poterat per homines separari, quia, ut audivit a dictis haereticis, quod carnale matrimonium non erat res stabilitatis, nec valebat aliquid, nec erat opus Dei boni, sed dei mali.

Item interrogatus, si audivit a dictis haereticis, vel credidit, quod aequale peccatum esset, carnaliter cognoscere unam mulierem, sicut et aliam, sive esset uxor, sive de parentela, vel affinitate hominis, sive extranea: respondit, quod a dicto Guilielmo Belibasta haeretieo audivit, quod tantum valebat et aequale peccatum erat, cognoscere carnaliter propriam uxorem, sicut et concubinam, vel contubernalem. Dicebat tamen, quod melius erat, quod homo attenderet ad unam certam, quam quando homo ibat ad diversas et bordoneiabat cum eis, id est habebat spurios vel bastardos ab eis, quia quando homo accedit ad unam certam, illa juvat hominem ad tenendum bonum hospitium, sed quando accedebat ad diversas, quaelibet earum rapiebat, vel aecipiebat ab eo, quod poterat, et sic homo depauperabatur per eas; accedendo vero ad mulieres consanguineas vel affines dicebat, quod malum stare erat et turpe factum, ad ipsas mulieres dictas de parentela hominis accedere et eas carnaliter cognoscere, et ipsi haeretici, ut dixit, non docebant hoc facere credentibus, licet multi credentes hoc facerent, quia non timebant facere quamcunque turpitudinem, quia confidebant, quod in fine per haereticos receiperentur et sic absoluti ab omnibus peccatis salvarentur. Ipse vero, ut dixit, credidit praedicta per supradictum tempus. — Item inter-

rogatus, si audivit a dictis haerèticis, vel credidit, quod nulla affinitas vel consanguineitas esset inter homines ex parte conjunctionis carnalis corporum, sed solum parentela esset inter homines ex parte animarum: respondit, quod a dicto Guilielmo Belibasta haeretico et ab aliis haereticis audivit, quod omnes homines non se inter se plus attirebat unus quam alter secundum corpora, quia omnium corpora humana facta erant de uno limo terrae et ad eandem terram reverterentur. Et propter hoc etiam dicti haeretici ei dicebant: pater noster, dictus filius noster et sic de aliis de parentela sua, sed haeretici inter se vocabant se fratres et, ut dicebant, plus debebant se diligere credentes inter se, quantumcunque essent extranei, quam credens deberet diligere fratrem proprium non credentem, quia credentes habebant bonam animam et bonum spiritum, propter hoc quod ambo habebant la entendensa, ut videbatur, sed credens et non credens, ut homo posset dicere, non habebant bonam animam et bonum spiritum, quia credens habebat bonam animam nec bonum spiritum; et, ut dixit, ex praedictis verbis percepit, quod dicti haeretici nihil appretiarentur, nec etiam reputarent consanguineitatem vel affinitatem, quae dicitur inter homines secundum corpora, quia illa nihil erat, cum omnia humana corpora sint de una terra, sed solummodo unionem secundum spiritum, quae est per la entendensa, veram propinquitatem existimabant.

Isti sunt errores quos Raymundus de Costa, aliter dictus de sancta Fide, diaconus sectae Pauperum de Lugduno, confessus est in judicio sponte coram reverendo patre, D. Jacobo episcopo Appam., et fratre Gualhardo de Pomeriis, ordinis fratrum praedicatorum, tenente locum D. Inquisitoris carceris. Qui quidem Raymundus respondendo ad interrogationes factas eidem per dictum D. episcopum confessus fuit errores eosdem. Primo dixit, quod, si juraret pro veritate dicenda, crederet peccare mortaliter, licet non multum graviter. Item dixit, quod in novo testamento, quicunque jurat pro quacunque causa, peccat mortaliter, quia facit contra praeceptum Domini de non jurando omnino.

Item dixit, quod quicunque praeciperet ei, vel cuicunque alteri, quod juraret, peccaret mortaliter; et si eum vel alios cogeret ad jurandum, peccaret eodem modo. Item dixit, quod tota ecclesia Romana, quae praecipit jurare et cogit etiam aliquos ad jurandum, peccat mortaliter. Item dixit, quod ecclesia Romana et quicunque qui dicat, quod licitum est jurare, errat in fide Christi. Item dixit, quod quicunque patitur persecutiones vel mortem, quia non vult jurare pro aliqua causa, est martyr Christi. Item dixit: episcopus ille, qui persequitur, vel morti tradit illum, qui non vult jurare pro aliqua causa, est homicida, quia justum et innocentem interficit, et est socius illorum qui sanctum Stephanum lapidaverunt, et venict super eum omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae etc. Item dixit, quod, si ecclesia Romana eum excommunicaret propter hoc, quia non vult jurare, vel alium, non crederet, se esse excommunicatum, nec alium, nec dictam sententiam esse justam, et crederet se bene facere, si excommunicatus propter hoc non obediret ecclesiae.

Confessio Bernardi Franca haeretici conversi.

In principio fuerunt duo dii, unus benignus et alter malignus, qui deus malus non fuit factus a Deo bono, nec a quocunque alio, sed per se est et fuit, non factus a quocunque alio, quia nec a Deo bono, nec a se ipso, nec a quocunque alio. Et postea Deus bonus fecit mundum et omnes creaturas, quae in eo sunt, et deus malus, quantum poterat, omnia opera Dei boni destruebat, cum inimicaretur Deo bono et omnibus creaturis, quae erant ejus; et hoc duravit usque ad Christi incaruationem. Deinde Christus incarnatus insurgens contra deum malum cepit eum et incatenavit et sic captum detrusit in infernum, ita quod est in tenebris inferni. Et ex tunc deus malus emisit suum posse, nec potest ex tunc destruere opera Dei boni, nec aliquid aliud facere, licet semper habeat malam voluntatem nocendi, si posset, et, ut dixit, dictus deus malus de caetero non

poterit destruere opera Dei boni. Et hoc ipse credidit, ut dixit, propter illud, quod dicitur in psalmo: Deus deorum dominus loquutus est; quia, ut dixit, per deum ipse intellexit Deum bonum et per deorum ipse intellexit deum malum; et ad hoc etiam ipse adhibebat quoddam exemplum vel historiam, quae talis est: Quaedam avis est vocata pellicanus, quae est ita clara, sicut sol, et sequitur ipsum solem; quae avis habuit pullos et cum illos dimittebat in nido et ipsa ibat alicubi solem sequendo, veniebat quaedam bestia et dismembrabat dictos pullos et amputabat eorum rostra, et quando reversus fuerat pellicanus ad suos pullos inveniens eos dismembratos et quod disperdidissent rostra, sanabat eos. Et cum hoc frequenter fieret, tandem cogitavit inter se pellicanus, quod claritatem suam absconderet, qua absconsa latitaret juxta pullos, et cum dicta bestia veniret, caperet et occideret ipsam, ne de caetero ejus pullos posset dismembrare, vel rostra auferre; quod et factum fuit. Et sic fuerunt liberati pulli pellicani a dismembratione, quam faciebat eis dicta bestia, capta per pellicanum bestia ipsa. Et eodem modo, ut dixit, Deus bonus fecerat creaturas, et deus malus destruebat ipsas, quousque Christus deposuit, vel abscondit claritatem suam, quando fuit incarnatus ex Maria virgine, et tunc cepit deum malum et posuit eum in tenebris inferni; et ex tunc deus malus non potuit destruere creaturas Dei boni; et propter istam credentiam suam aliquando ipse dixit, quod erant duo dii, scilicet Deus bonus et deus malus. Item dixit, se credere et credidisse toto tempore supradicto, quod sicut deus bonus fecit omnes bonas creaturas, sicut sunt angeli, animae humanae bonae et corpora, coelum et terram, aquas, ignem et aërem et animalia utilia hominibus vel ad comedendum vel ad portandum, laborandum, induendum, et pisces etiam, qui sunt utiles ad comedendum, ita deus malus fecit omnes daemones et animalia nociva, sicut sunt lupi, serpentes, buffones, muscae et omnia animalia nociva et venenosa. Dixit etiam, quod creaturae bonae serviunt Deo bono et eas Deus adjuvat; creaturae vero malae serviunt deo malo et ipse adjuvat

eas, quantum potest. Et ita Deus bonus, ut dixit, non adjuvat malas creaturas, quas diabolus fecit, nec deus malus adjuvat bonas creaturas, quas Deus bonus fecit; sed quilibet istorum habet suas creaturas, Deus bonus bonas, et deus malus malas; et quilibet eorum juvat suas; et non alterius dei, sed, ut dixit, in posse hominis est, quod se teneat cum Deo bono, vel cum deo malo. Et si tenet se cum Deo bono, Deus bonus juvat eum, et si teneat cum deo malo, deus malus juvat eum, licet non tantum possit adjuvare deus malus, sicut Deus bonus. —

Inveni quod A. haereticorum Valdensium credens fueris et amica et multoties retroactis temporibus receptatrix scienter extiteris eorundem, quinimo nuper in domo tua te praesente in loco multum suspecto plures latentes ibidem haeretici cum libris et sandaliis et varia supellectili sunt inventi. — Cum asseruerís et multos et multis vicibus scienter recepisse Valdenses haereticos, comedisse cum eis, accepisse panem a mulieribus Valdensibus, comedisse etiam de pane in coena domini et in domo tua ab ipsis Valdensibus benedicto etc.

Bei Auflegung einer Buße heißt es: Cum Valdensibus in eadem mensa familiariter comedit et bibit de his, quae ipsi benedixerant more suo, a mulieribus Valdensibus infirmanti sibi evangelium s. Joannis: „et quicunque vult“ legi supra caput permisit. *)

Notum sit universis, quod cum nobis Guilielmo episcopo Carpent. apud Carpent. praesentati fuissent a viro nobili N. Poncius Lombardi, Joannes de Marsilia et Gerardus Stephani, qui dicebantur Valdenses publice profitentes, — duo ex ipsis Joannes et Gerardus sunt confessi, quod qui apud eos Sandaliati dicuntur, ubi casus necessitatis incumbit possunt conficere corpus Christi, et si secundum ritum ecclesiae sacerdotalem non fuerint ordinem asse-

*) Auch diese Valdenser befanden sich im Languedoc, denn die Kirchen, deren Besuch vorgeschrieben wird, sind: limina B. Mariae de Podio, b. Egidii et b. Mariae de Montepessulo et B. Mariae de Sirignano.

cuti, quod tamen tertius Poncius nomine nec asserere voluit nec negare; ipsi vero tres unanimiter et concorditer sunt confessi se credere firmiter et tenere, quod nemini liceat etiam pro salute corporis sui veritatem quamlibet juramento firmare, jusjurandum in omni casu prohibitum asserentes. Insuper etiam adjecerunt, quod nulli potestati vel judici liceat reos quorumcunque facinorum morti tradere, quod si fecerit, per hoc solum ut asserunt poenam merebitur gehennalem.

Ignem vero purgatorium, in quo fidei nostrae sinceritas tenet et praedicat illorum animas ex divina purgari justitia, qui licet in caritatè decesserint, poenae tamen alicujus remanserunt debitores, aliud vel alicubi negarunt, eorundem profitentes errorem, suffragia vivorum mortuis non prodesse, nisi per ipsos dum viverent fuerint superstitibus nominatim injuncta.

Von einem credens heißt es: petiit ad opus Valdensium panem et vinum et denarios per domos amicorum Valdensium.

Quod anima poterat intrare septem vel novem corpora successive.

Postquam cum haereticaverat, praecepit ei quod de cetero non comederet nec biberet — et de dicta infirmitate dictus Guilielmus Guilabertii obiit.

Dixit — quod dicti haeretici erant boni homines et sancti et sustinebant multas persecutiones propter Deum bonum et quod magna eleemosyna erat si quis eis bonum faciebat, sed peccatum erat facere eleemosynas Catholicis. Dicebat etiam ei quod peccatum erat occidere gallinam, et ipsi haeretici vel credentes non debebant occidere sed bene poterant credentes comedere de animali occiso per Catholicos.

Item dixit ei dictus Arnaldus, quod matrimonium quod fit in ecclesia nihil valebat, quia tantum valebat quod homo cognosceret carnaliter mulierem extraneam sicut et propriam uxorem, et quod homo aequaliter peccabat cum una muliere sicut cum alia nullam mulierem excipiendo, et quod pecca-

tum non erat, si credentes dicti haeretici carnaliter cognoscebant quascunque mulieres alias, quae non essent credentes haereticorum, sed si cognoscebant carnaliter mulieres credentes haereticorum peccabant, et etiam quando habebant uxorem credentem haereticorum, et frequenter eam carnaliter cognoscebant, peccabant.

Postea dictus Arnaldus eam (videlicet Raymundam uxorem Bernardi Testamera de Monte Alionis) opprimere voluit, licet ipsa haberet filium a Bernardo, qui erat cognatus germanus dicti Arnaldi, quod tamen ne faceret, ipsa prohibuit, et tamen dictus Arnaldus dixit ei, quod peccatum non erat, si permitteret se carnaliter cognosci ab eo.

Dicta Roqua dixit dictae Guilielmae: Communiter esset magnum peccatum qui interficeret istam gallinam, et Guilielma respondit et estne inter magnum peccatum interficere gallinam sicut dicitur? quae respondit quod sic, quia, ut dicebatur in lege eorum, spiritus quando egressi sunt de corpore hominum et mulierum ponunt se vel subintrant gallinas.

De quibus (spiritibus expulsis de coelo et dejectis in terram) et ex quibus sunt spiritus humani et spiritus bestiarum, qui etiam spiritus bestiarum sunt scientes et intelligentes, propter quod peccatum erat occidere animalia.

Quod anima humana egreditur de uno corpore subintrat aliud corpus usque ad novem corpora nisi inveniat inter dicta novem corpora corpus boni Christiani, in quo salvetur.

Quod solum erat ecclesia, ubi ipsi erant, et quod illi qui comburuntur pro defensione fidei eorum vel moriuntur en la endura, sunt martyres Dei, et quod ignis quo comburuntur haeretici non affligit eos; et vocabat Catholicos Pharisaeos et quod jurare super librum pro falso perjurium non erat nec peccatum.

Antequam haereticus maritum ejus vellet haereticare, dixit ipsi loquenti (Guilielmae uxori Guilielmi Beneti) quod absolveret eum a vinculo matrimonii quod et ipsa fecit.

Petrus Maurini bekennt, daß ſie ſich alle Mühe gegeben,

den Johannes, Sohn der Guilielma, für die Sekte zu gewinnen:

Postmodum dictus Joannes decidit in infirmitatem et tunc iterato praedicti fecerunt posse suum, ut antequam moreretur fieret credens eorum, quibus noluit consentire sed potius dixit eis, quod faceret eos capi, si amplius de hac materia sibi loquerentur, dicendo eis quod malam personam havien in se, hoc intelligens de Guilielmo Belibasta, qui se dicebat sanctum et se faciebat vocari Petrum, cujus ipsi erant credentes et quem adorabant ut sanctum, et finaliter haeretici de praedicto Joanne timentes quod non revelaret, voluissent quod nullo modo esset cum eis nec scivisset aliquid de factis eorum, unde tractaverunt de morte ipsius cum hoc deponente, ne vivens posset eos revelare. Sed ipse noluit consentire in morte fratris sui, quem tunc in terra illa unicum et solum habebat, et hoc revelavit fratri suo, qui dixit: quare ergo tu consentis cum praedictis malis hominibus, vide quanta malitia est in eis, idem enim tractarent de te, si non esses de secta eorum vel si resilires ab eis, in malo pacto tu et ipsi vidistis S. Petrum verum.

ib. Docebant, quod nunquam debebant interficere aliquam rem quae vitam haberet, cum nullus deberet alteri facere, quod sibi fieri nollet, unde non interficiebant pediculos vel quamcunque aliam rem vitam habentem.

P. Maurini audivit ab eis quod esset necessaria confessio, nam ipsi dicebant, quod ex quo quis fecerat eis reverentiam adorando et ipsi receperant eum, ut esset credens eorum, salvabitur, dum tamen ipsi attingunt ad eum antequam moreretur et imponunt sibi manus et librum.

Der Häretiker hebt als besonders anstößig hervor, daß bei der Taufe der Pathe statt der Kinder antworte und verspreche, et sie illi de ecclesia Romana dicunt magnam falsitatem, wir aber warten, bis einer 18 Jahre alt ist, dann lassen wir uns von ihm versprechen ꝛc. Er läßt sich darauf adoriren, küßt ihn drei Mal und sagt, er sei nun ein Glaubender geworden: qui si adorationem perfecisset, si gravi infirmitate esset detentus et perdidisset loquelam, ipse non extendisset manum

suam ad recipiendum eum, sed postquam reverentiam ei fecerat, solummodo quod ejus animam in corpore inveniret, ipse cum Deo juvaret ad salvandam animam ipsius.

Der Häretiker ſagte ihm weiter, er ſolle einen Vollkommenen nicht fragen, der wiſſe ſchon ſelbſt, was er ihm ſagen ſolle, denn da ſie nur Wahres ſagten, ſo beläſtigte er ſie damit und das ſei eine Sünde. Ferner:

Vos alii credentes, qui adhuc non estis in via veritatis et justitiae, non estis digni rogare Deum, et tunc ipse loquens dixit: et si nos non rogamus Deum, quod nos faciemus, erimus sicut bestiae; respondit ei, quod ipse qui erat in veritate et justitia et erat dignus rogare Deum, rogabat et rogaret pro credentibus, et quod quando ipse loquens deberet surgere de lecto et se induere et comedere vel aliquod aliud opus facere, dicetis, benedicite domine deus pater bonorum spirituum, adjuva nos in omnibus quae facere voluerimus, sed nullo modo dicatis: Pater noster, quia nullus debet dicere ipsum, nisi sit in veritate et justitia, quia sunt verba veritatis et justitiae, et si aliquis diceret dictam orationem, qui non esset in veritate et justitia, nihil proficiebat ei.

Petrus Maurini ſagte zum Häretiker: Ego video, quod multi veri credentes sunt mali et quotidie faciunt pejora, et miror, si ista habent a vobis. Respondit, quod ipsi non ostendebant credentibus malum, sed omne bonum. Petrus Maurini: quomodo est hoc? ego audivi a credentibus, quod quodcunque malum fecissent, solummodo quod per vos reciperentur essent absoluti et salvi, et dictus haereticus respondit, quod bene verum erat, et quod ipsi ita dicebant credentibus, si quod recepti per eos, quodcunque malum fecissent erant absoluti et salvi, sed tamen propter hoc credentes non debebant affegari ad malum faciendum quia malum facere cuicunque rei etiam diabolo peccatum erat, et hoc bene videre potestis in nobis, et nobis magis placet, quando audimus quod credens noster non facit malum, quam quando audimus quod facit malum, quia quamvis non esset peccatum facere malum, quod tamen est, tamen ab-

stinere deberent a faciendo malo propter bonam famam vicinorum et propter timorem curiae secularis quum si malefactores perdunt bona sua, et animam, si condemnentur ad mortem, pro eo quod non possunt recipi per bonos homines, et potestis hoc videre in nobis si facimus malum alicui, quam dura res est facere malum in totum, quod non propter bonum vel propter spem, quod per eos homo reciperetur, homo non deberet facere malum.

Von dem gesegneten Brode: praecaverent sibi quod nulla mica vel pars dicti panis in scutella vel cifo remaneret, dicens quod magnum peccatum erat dimittere aliquid de dicto pane; et quod credentes semper debebant portare de dicto pane et comedere de eo, in principio cujuslibet comestionis semper dicendo benedicite.

Gualharda in quadam infirmitate fuerat haereticata et stetit aliquamdiu en la endura, et posteà reversa fuit ad comedendum de la feresa i. e. de carnibus, et ex quo semel comederat de carnibus, de caetero satis comedere posset; audivit de haereticis, illud quod posuerunt in dicta mulliere perdiderant eo quod comederat de la feresa, et quod posset esse quod de cetero in carne illa, in qua erat recepta, non reciperetur, nec esset ita apta quod reciperetur, quia debuisset mansisse en la endura et non debebat reverti ad peccatum quod fecit quando post receptionem comederat carnes.

Bonus Christianus non debet manus suas extendere ad tales, qui non habent la intendença, sed tales pueri dimittendi sunt Deo.*)

Petrus Maurinus dixit ei, quod perjurium peccatum non erat, si propter perjurium, vita hominis salvaretur, quod etiam ipse loquens credidit verum esse.

---

*) Ein noch ſäugendes Mädchen ward nämlich häreticirt, das tadelte der Häretiker, weil ſie la entendança nicht habe.

Confessio Guilielmi Bavili de Monte Alione.

Dicebat (haereticus), quod carnaliter cognoscendo quamcunque mulierem non excludendo uxores erat peccatum.

Dicebat etiam ei, quod bene caveret sibi si sciret aliquem haereticum alicubi esse, quod non revelaret ipsum alicui, de quo sciret vel crederet, quod malum vel nocumentum dicto haeretico faceret, quia illi qui malum faciunt haereticis ibunt ad centum millia diabolorum.

Audivit dici, quod in dicta domo tunc erat quaedam mulier, quae per longum tempus in dicta domo stetit en la endura, postquam fuerat haereticata. Postquam ipsa loquens sciverat, quod dicta mulier Galharda fuerat haereticata, ivit ad visitandam eam et invenit, quod stabat en la endura, in qua steterat jam per octo dies et cum loquerentur simul ipsa loquens et dicta Galharda, ipsa loquens dixit ei: et vos non comederetis modo, quae respondit, quod libenter comederet, sed non auderet hoc dicere credentibus propter verecundiam, et ne contemnerent eam, si comederet, postquam fuerat recepta per haereticum. Cui ipsa loquens respondit: Quare creditis vos eis et vultis occidere vos ipsa, nonne hoc est magna stultitia et fatuitas? Et dicta Galharda respondit, quod sic, et ut dicta ipsa inciperet comedere de pane et vino, et ipsa loquens portavit ei panem et vinum et comedit et bibit, et etiam caules coctos cum oleo, tamen adhuc noluit comedere carnes vel sanguinem — et quod Marquisia filia ejus et Guilielmus Sannia filius ejus voluissent, quod dicta mater ejus (non) comederet, sed moreretur en la endura, ideo quantum poterat se abscondebat ab eis quando comedere debebat dicta Galharda. Interim autem dum ista fiebant, Jacoba filia ipsius loquentis, quae adhuc non habebat annum unum, fuit graviter infirma, et maritus ejus voluit omnino ut haereticaretur, et ipsa consensit marito et fecerunt venire de domo Raymundi Manlii haereticum Andream, qui morabatur in dicta domo expectando mortem Galhardae, ut si forte contingeret quod in aliquo peccaret, secundum modum haereticorum iterum ipsam hae-

reticaret, qui cum venisset nocte puellam exsistente in antes (sic) haereticavit, faciendo multas inclinationes et elevationes et ponendo librum super caput puellae et post haereticationem dixit, quod de cetero non daret puellae comedere vel bibere lac nec aliquid quod natum esset de carne, et quod si viveret, nutriretur de cetero cum cibis quadragesimalibus, et maritus ejus fuit multum gavisus facti de dicta haereticatione filiae suae, dicens, quod si moreretur in tali statu esset angelus Dei et quod ipse et ipsa loquens non poterant tantum dare filiae suae sicut dictus haereticus haereticando ipsam dederat; ipsa tamen postquam exiverant de domo, lactavit filiam suam, quia non potuit videre, quod sic filia ejus moreretur, et quando fuit reversus maritus ejus, dixit ipsi loquenti, quod bene custodiret se, quod de cetero non daret puellae lac, ex quo recepta erat, quia puella quoad Deum perdita esset, cui ipsa respondit, quod jam post haereticationem puellam lactaverat, de quo maritus ejus multum doluit et turbatus fuit, et Petrus Maurini consolabatur eum dicens, quod non erat culpa ejus, et etiam quia illi qui debebant esse adhuc de bonis Christianis, non poterant esse, et Petrus Maurini dicebat puellae: malam matrem habuisti, dicebat etiam ipsi loquenti, quod mala mater erat et quod mulieres essent daemones, et maritus ejus plorabat et multa vituperia dicebat ei et comminabatur ei, et ex tunc non dilexit maritus ejus puellam nec ipsam loquentem postea per longum tempus et quousque recognovit errorem suum, puella tamen supervixit quasi per annum et postea decessit, non tamen fuit rehaereticata. Cum Galharda audisset, quae ipsa fecerat filiae suae, fuit facta magna amica ejus et voluit reverti ad comedendum carnes, quas ipsa etiam dedit ei, de quo tam maritus ejus quam alii credentes fuerunt multum turbati, et specialiter Petrus Mauini, qui dicebat: Ah de la Vilhasse, adhuc vult venire et non est atediata de saeculo isto, adhuc vult comedere carnes, de cetero non poterit facere bonum, et maritus ejus dicebat ipsi — quod nisi Galharda fuisset vicina nostra forte fecisset omne bonum, dicens praedictus quia Galharda non

fuerat mortua en la endura. Quando maritus ejus fuit graviter infirmus, misit Raymundum Manlium apud Ax pro haereticis, ut eum reciperent; haereticus respondit, quod adhuc non reciperet eum, nisi omnino videretur quod mori haberet, quia si posset convalescere, malum esset quod reciperetur, quia erat bonum petol (pecol?) vel pes ecclesiae Dei.

Quilibet de credentibus reputabat sibi magnum bonum, si aliquid eis (haereticis) dare posset, et propterea non indigebant.

Audivit illo tempore dicentem dictum haereticum (Andream Tavernerii), quod si ipse scivisset a principio, qualiter vivebant Petrus et Guilielmus Auterii, non posuisset se in statu eorum, quia non vivebant ut debebant, cum essent multum cupidi et invidi et congregabant pecunias ita quod aliquando Guilielmus Auterii, qui pecuniam congregaverat, veniebat ad Galhardam uxorem suam et ambo frequenter ponebant capita sua in una velia et contemplantes pecuniam congregatam per eum, et tamen secundum modum et ritum eorum non deberent aliquid accipere nisi pro necessitate praesenti, et ut dixit poenitebat, quod ita se cito posuerat in statu haereticorum, quousque bene scivisset factum et conditionem eorum.

Sibilia — credidit, haereticos esse bonos homines in eo quod faciebant multas abstinentias et quod non accipiebant aliquid de alieno nec reddebant malum pro malo et quia etiam servabant castitatem, sed existimabat et credebat, eos non esse bonos homines, imo malos, quia erant cupidi multum et invidi et quia faciebant mori homines en la endura. Sed doctrinam eorum tantum credidit esse veritatem, et in credentia illa stetit per unum annum vel circa, quousque dixerunt ei, quod filiam suam postquam fuerat haereticata non lactaret, et etiam quia illo tempore audivit, quod dicti haeretici dicebant credentibus eorum, quod illi qui eos persequuntur detegunt vel discelant quia (quasi) mala arbor debet scindi et occidi, et propter hoc non credidit ex tunc, doctrinam eorum esse veram, nec ipsos esse bonos homines

nec veraces, imo malos, sustinuit tamen eos ex tunc in domo sua, quia multum timebat et amabat virum suum, quem videbat multum esse affectum ad haereticos.

Hugeta, uxor Philippi de Larvavo, postquam fuerat recepta, posuit se en la endura, quae Hugeta fuit mutata amore haereticorum in quodam sotulo, ut ipsi possent stare in dicto sotulo, quousque Hugeta mortua esset, ad hoc ut si indigeret iterum recipi et haereticari per eos haereticaretur, et ipsi haeretici stabant in quadam tina quae erat in dicto sotulo ad hoc ut viderent et audirent Hugetam, quousque esset mortua, et dum sic stabat en la endura, semel, cum staret coram ipsa Sibilia et multi alii, Hugeta dixit Sibiliae, Domina, erit cito factum, ero cito finita, et Sibilia respondit ei, adhuc vivetis et ego juvabo vos ad nutriendum filios vestros, quae verba dictus haereticus audivit et risit.

Dicebant haeretici, quod ipsi habebant potestatem eandem, quam habuerunt b. Petrus et Paulus apostoli, quae potestas fuit derivata de dictis apostolis ad aliquos immediatos de secta eorum et de illis successive venerat ad eos et de ipsis ivit ad successores eorum usque ad finem mundi, in quo fine tota terra ista et totus mundus erit infernus ardens et beatus erit, qui illo tempore bene erit calciatus, intelligentes per calciamenta, quod essent haeretici vel fuissent haereticati in morte.

(Haeretici) retraxerunt vestem suam ad se, ne ego (Guilielma Angeleria) tangerem eos.

Der Gruß der Häretiker: Deus te faciat bonam Christianam, Deus te benedicat et ducat ad bonum finem. Haereticus respondit, quod tunc non poterant ejus animam salvare, quia erat in statu peccati, et videbat, audiebat et sentiebat peccata, sed si tamen esset, quod ipsa infirmaretur et ipsi praesentes esse possent, quod cum Dei adjutorio ejus animam salvarent. Dafür sollte sie dem Häretiker etwas geben, sie hatte nichts als einen Groschen, den der Häretiker nicht von ihr nahm, aber Raymund Maurini nahm ihn für ihn.

Einen Häretiker verrathen, ist die Sünde, die weder in dieser, noch in jener Welt vergeben wird.

Dixit Petrus Auterii, quod ipse erat sanctus homo et vivebat in sancta vita, in tantum quod nunquam diceret unum mendacium, et si contingeret eum mulier, oporteret eum abstinere tribus diebus sic quod nihil comederet nec biberet, et si contingeret ipsum tangere aliquam mulierem, oporteret eum abstinere novem diebus continuis in pane et aqua.

Hader zwiſchen Tochter und Mutter: Johanna malignabatur contra Mersendim matrem suam; es wurde nun der Häretiker um Rath gefragt, wie beide zu trennen ſeien, quod nisi hoc cito fieret, Johanna totam ecclesiam Dei destrueret, quae jam fuerat apud s. Matthaeum, et sciebat omnia et si revelaret, caperentur omnes et destrueretur sic tota ecclesia eorum. Maritus Johannae dixit, quod uxor sua erat diabolus qui apparuerat eis et quod destrueret omnes et quod bonum erat, quod duceretur alicubi et separaretur a nobis. Guilielmus Belibasta respondit, quod bonum erat, quod Johanna elongaretur ab eis et duceretur alicubi ad aliquam villam, quod de cetero non posset eis obesse, quia malam romengueriam vel vepram homo debet removere et ibi plantare bonam ficulneam.

Dann: quod mala arbor scindenda erat, quia malum fructum faciebat; — iverunt ad s. Matthaeum et ibi credentes inter se tractarunt, quod possent facere de Johanna. — Ea nocte Mersendis et Bernardus dixerunt, quod magna merces esset, si Johanna interficeretur, et quod de aliquo praecipitio impingeretur, ut moreretur, quia indaemoniata erat, et dixit Mersendis, si ipsa esset ita fortis sicut esse solebat, ipsa hoc faceret de filia sua, et rogo vos alios, quod levetis eam ante me. Haereticus respondit, quod credentes fecerant de Johanna quod eis videretur, quia ipse eis jam dixerat suum intentum, et tempus fuerat, quod credentes non exspectassent tantum.

Guilielma dixit, quod uno modo vel alio interficeretur, quia dyablatz erat, et magna eleemosyna esset, qui interficeret eam et de isto saeculo expelleret, et alii praedicti conveniebant in eodem.

Die Häretiker hatten einen Freund im Dominikaner-Kloster zu Pamiers, Raymund de Rodesio, qui erat eorum explorator, und ihnen gleich Kenntniß gab, wenn in Pamiers oder weiter hinab etwas gegen sie unternommen wurde. Ein Beguinus Guilielmus Joannes hatte sich angeboten, sich für einen Glaubenden der Catharer auszugeben, und sie so auszukundschaften, diese aber wurden von jenem Dominikaner gewarnt.

Roger Bernardi, Graf von Foix, ward in seiner Krankheit consolirt von Petrus Auterii.

Fingebat haereticus, quod acciperet de carnibus dicti cissorii et comederet, quas tamen non tangebat nec comedebat, et hoc faciebat propter dictum hominem extraneum, ne cognosceretur haereticus esse, et ante posuerat pisces infra panem de quo comedebat. ib. Er solle eine Frau de la entendença nehmen, damit, wenn er krank werde, er sie schicken könne, das consolamentum zu empfangen. Er empfiehlt ihm eine Raimunda quae morabatur cum dicto haeretico, et cum ipse loquens responderet, quod adhuc vir ejus vocatus Piquinet vivebat, haereticus respondit, quod non credebat, quod maritus Raimundae viveret, et sive sit vivus, sive non vivus, non credo, quod veniat ad quaerendum vos in partibus istis, et interim vos alii potestis facere facta nostra, si possitis inter vos convenire.

Raimunda hält dem mit ihr hadernden Häretiker vor: Nonne vos alii dicitis, quod os, quod habet potestatem benedicendi, non debet maledicere.

Post prandium dictus haereticus non potuit operari, sed projecit se in lecto et projecit se en la endura, in qua stetit per tres dies et noctes, et quum petebatur ab eo, quod habebat, respondebat, quod non aliud, et postquam surrexit de la endura, cum ipse loquens venisset ab extra, et invenit dictum haereticum et Raimundam litigantes etc.

Haereticus respondit, quod pro eo, quod Raimundam sociam suam dederat in uxorem ipsi loquenti, recognoscebat, quod male fecerat, et si loquens vellet, ipse absolveret ex parte Dei ab illa promissione, quam fecerat dictae Raimun-

dae, quando eam accepit in uxorem, et si ipse loquens impraegnaverat Raimundam, ipse haereticus nutriret infantem — — et tunc dictus haereticus ex parte Dei absolvit loquentem a matrimonio, quod fecerat cum Raimunda, et ipse promisit haeretico, quod de cetero non cohabitaret cum Raimunda ut cum uxore, nec ex tunc, quousque captus fuit haereticus, Raimundam carnaliter non cognovit, quia credebat esse absolutus a dicto matrimonio.*)

Quadam die subito Blanca (intravit cameram), in qua jacebant, et vidit, quod dictus haereticus in lecto stabat genibus flexis in eodem lecto, ac si vellet carnaliter cognoscere dictam Raimundam vel eam carnaliter cognosset, quod cum ipsa Blanca vidisset clamavit: Ana Malvada, totum factum suae ecclesiae turbavistis, et ex hoc, ut dixit, fuerat rixa inter ipsam Blancam et dictum haereticum et Raimundam, quia ipsa Blanca, ut dixit, ex tunc nihil fuit appretiata factum dicti haeretici — et addidit, quod propter hoc quia Raimundam cognoverat haereticus carnaliter, se fecerat rehaereticari per Raimundum de Tolosa haereticum. Et Mersendis respondit: Hoho nepos, non est ergo mirum, si haereticus et Raimunda te excalviaverunt, et si te sustinere non potuerunt.**)

Volebant transfretare in Siciliam, quia erat bona terra.

Raimundus Esshaura et Bernardus Bavili perquisiverant in Sicilia aliquem bonum hominem (haereticum) et nondum invenerant.

Hugueta audivit dici, quod Johannes Lotaringus erat Majoralis inter illos de secta eorum et sapientior inter eos.

Cum diceret eis, quod multi credentes faciebant multas rapinas et multa alia mala, haeretici respondebant, quod male faciebant in hoc credentes, sed tamen omnia mala, quae fecerant, quando recipiebantur per haereticos, dimittebantur eis, et propter hoc credentes de dicta receptione confidentes multa mala faciebant. Dicebant etiam, quod de di-

*) Der Häretiker will die Raimunda für sich haben.

**) Der Häretiker ist immer Belibasta in der confessio des Petrus Maurini.

ctis malis suis non sustinent aliam poenam, postquam erant reeepti per eos, quia bona quae fecerant in alia tunica, i. e. in alio corpore, eos juvabant. Qui quidem baptismus non est aliud nisi dare la entendensa del be, i. e. habere fidem haeretieorum et impositio manuum et libri super caput. Audivit tamen ab eis, quod nihil valebat, quando pueri haereticabantur, vel secundum eos baptizabantur, quia non habebant la entendensa, sed Deus de pueris providere habebat.

Quod omnes tam pueri quam adulti damnabuntur, nisi essent faeti boni Christiani, vel nisi eorum animae irent de tunica in tunicam, quousque intrarent aliquod corpus, in quo haereticarentur. Dicebant nullam poenitentiam vel satisfactionem hominibus esse imponendam, quia jejunium, quod faciebant credentes vel alii, nihil valebat eis ad satisfaciendum pro peccatis, nec propter aliquid aliud, quod non erant in veritate et justitia.

Haeretici, quando non multum laborabant, debebant jejunare et specialiter tres quadragesimas, prima a festo s. Martini ad festum nativitatis, secunda communi et tertia circa pentecosten ad festum s. Joannis Bapt., et tribus diebus in dictis quadragesimis et aliis temporibus, quando poterant sustinere, debebant solum sumere panem et aquam, et in coquina poterant ponere unam nucem, et aliis diebus poterant comedere panem, coquinam, vinum et pisces, sed vinum debebat esse ita tinifactum, quod vix superesset vinum, ad hoc ut carnem suam domarent; bene tamen poterant inter se dispensare, quod qui laborabant possunt comedere bis in die. Raimundus de Tolosa disputavit cum Guilielmo Belibasta, quod posset ter comedere, quando iret ad messes.

Dicebant, quod nullus credens debebat rogare Deum, quia non erat dignus, et maxime quod nullus debebat dicere Pater noster, nisi ipsi haeretici qui erant in veritate et justitia, quia postquam homo dixerat Pater noster, non debebat mentiri, — et dicebant, quod tantum valebat, quod homo taceret, sicut si dictam orationem diceret. De elcemo-

synis vero dicebant, quod credentes, quando faciebant eleemosynas haereticis, habebant magnam mercedem.*)

Haeretici persuadebant credentes, quod irent ad Ecclesiam Romanam et confiterentur peccata sua et facerent alia quae solent facere catholici fideles, ut viderentur, quod essent catholici fideles. Audivit ab haereticis, quod credentes poterant communicare, quia per idem erat, ac si comederent unum morcellum panis ac biberent unum cifum vini. Quando haeretici videbant, quod aliquis credens rogabat Deum in principio vel fine mensae, haeretici deridebant eum.

Dicebant, quod miracula quae fiunt per sanctos, fiebant per rectorem istius mundi, i. e. deum malum, cui clerici et sacerdotes faciebant altaria, ecclesias et idola.

Audivit a Guilielmo Belibasta, quod quaedam mulier venit ad filium Dei et dixit ei, quod filia sua erat facta rabiosa, et Dei filius imposuit manum super caput filiae et eam sanavit, quae sanatio nihil aliud fuit, nisi quod anima filiae egressa fuit de corpore ejus, et salvavit ejus animam, quia filius Dei non liberabat homines ab aegritudinibus corporalibus, sed solummodo a peccatis quae sunt animae infirmitates, et propter hoc filius Dei erat bonus medicus, quia ducebat animas ad salvationem, sicut et ipsi faciebant.

Dicebant, quod Fridericus tertius surgeret et ampliaret eorum ecclesiam et manuteneret eos et opprimeret clericos, et tunc ipsi praedicarent et essent in honore et ecclesia Romana deprimeretur.

Animae eorum, qui non fuerunt recepti, ibant de tunica in tunicam nec aliam poenam patiebantur, nisi per totum temporis spatium, quod erat de egressione ab uno corpore usque ad introitum in aliud corpus, quo tempore cremabantur per ignem mali Dei, sed in die judicii totus mundus iste inferior efficietur infernus mari ampliato et coelo descendente et igne comburente mare et mari exstinguente ignem,

*) Doch ſollte der Glaubende auch Anderen Almoſen geben, denn er könne doch nicht wiſſen, ob nicht Einer von dieſen einmal ein Vollkommener werde, auch wegen des guten Namens bei den Nachbarn.

in quo ponentur maligni spiritus et quaerent mortem et mors fugiet ab eis.

Boni homines pro nulla re jurarent, sed alii homines qui sunt in peccato, scilicet omnes qui non sunt haeretici vestiti, si jurarent, non tamen peccabant, sicut si essent boni homines, et faciliter eis poterat indulgeri; sed si credentes pejerarent, pro eo quod sub juramento et in judicio nollent revelare haereticos, credentes et eorum sectam et fidem, reputabant eos bonos et firmos, et tale perjurium faciliter haeretici indulgebant.

Bei der Berathung, wie eine Katholikin, von der man verrathen zu werden fürchtete, aus dem Wege zu räumen sei, sagte Guilielmus Belibasta: posset homo dicere, quod bonum esset, quod mala romengueria quae est in porta scinderetur, et quod de porta amoveretur.

Haereticati seu in sanitate seu in aegritudine ex tunc non debebant comedere aliquid vel bibere, sed si non posset abstinere a potu, debebat bibere aquam frigidam, et sic mori en la endura erat magnum meritum, et quando moriebantur, eorum anima ibat ad regnum patris. Audivit etiam, quod si haereticati facerent se minui, quousque totus sanguis de corpore exivisset, bonum opus faciebant, ut sic cito mori possent et cito venire ad gloriam patris. Et taliter occidere se non reputabant malum vel peccatum, sed bonum et meritum.

— Quod occidere quaecunque animalia peccatum erat, exceptis muribus, serpentibus et bufonibus et talibus similibus, pro eo quod in dictis animalibus sunt animae humanae incorporatae.

Audivit ab Jacobo Auterii et ab aliis, quod credentes propter hoc erant audaces ad faciendum malum aliis hominibus et ad inferendum damnum eis, quia confidebant, quod in morte reciperentur et sic absolverentur per eos ab omnibus peccatis et salvarentur, et non audivit ab haereticis vel credentibus, quod haeretici inducerent aliquem credentem quem haereticare volebant, quod restitueret alicui illa quae male abstulerat vel lucratus fuerat ab eo, credit tamen,

quod haeretici inducerent credentes, quod si aliquid injuste habuerant ab aliis credentibus, quod illud redderent, sed (non) credit, quod inducerent eos ad reddendum quod injuste habuerant a non credentibus. Tamen hoc communiter haeretici tenebant, quod sive eorum credentes redderent illud quod male acquisiverant, sive non, solummodo quod reciperentur per haereticos, quod absoluti essent ab omnibus peccatis et salvarentur.

Johannes loquens (Johannes Maurini) fuit infirmus et jacuit in domo Guilielmae Maurinae, et cum jam desperaretur de vita ipsius, Guilielma dixit ipsi, quod haberent vel mitterent pro Guilielmo Belibasta, ut ipsum reciperet ad fidem et sectam suam, et postquam esset receptus, ex tunc non biberet nec comederet, sed sic moreretur en la endura, quia, postquam mortuus esset, ejus anima in tribus diebus esset in paradiso terrestri, et si moreretur, antequam esset receptus, anima ejus iret de corpore in corpus.

Die Häretiker ſehr begierig, von den Glaubenden die Huldigung des melioramentum zu empfangen: nisi tale melioramentum fecissent credentes, non reputarentur per haereticos credentes eorum, et in infirmitate possent haereticari, quamvis non requisivissent haereticari, etiam si loquelam perdidissent. Nec haeretici confiderent in credentibus, nisi vellent eis facere melioramentum.

Auch Johannes, der Bruder des Petrus Maurini, der in ſeiner Krankheit nicht conſolirt werden will und die Glaubenden anzuzeigen droht, ſoll aus dem Wege geräumt werden, Guilielma ſchlägt dieß dem Petrus Maurini vor: melius esse, quod Johannes de isto saeculo expelleretur. Dieſer darauf: Idem voluistis vos facere de Johanna, filia Mersendis, cui voluistis dare de reyalgar, ut moreretur.

Haereticus, quando receptus fuit, posuit se en la endura, dicens, quod non comederet, quousque sciret, quis prodiderat eum.

Bernardus Martinus de Ugenacho verſetzt ſich auf Geheiß des Auterii, der ihn conſolirt, in die Endura: de tota die qua fuit receptus, nec de nocte sequenti nec de die subsequenti

nec de nocte ipse non comedit nec bibit nisi aquam frigidam, et Arnaldus frater suus administrabat sibi de dicta aqua, et tertia die ipse dixit Arnaldo, quod daret sibi ad comedendum, quia multum famescebat, et Arnaldus respexit eum mala facie et irata, et dixit sibi: Et qualiter comedes modo?

Frater Arnaldus dixit ei: infortunium veniet vobis norcatz, quia dimisistis viam Dei et reversus estis ad haeresin et estis factus yreggatz, pro eo quod comedistis carnes, postquam fueratis receptus.

Derſelbe Bernardus Martinus findet bei ſeiner Rückkehr ſeinen Vater todt; ſeine Schweſter Raimunda ſagt ihm, ſie glaube, quod strangulatus fuisset per illos de Castro de Hugenaco, quia arteriam pulmonis subter mentum habebat fractam et compressam. Bernard Martinus glaubt es ſelbſt, quia pater suus erat multum loquax et fuit interfectus, ne eos de dicto castro discelaret de his, quae in haeresi commiserant.

Dixit, quod beati erant illi, qui bonos homines in domos suas recipiebant, quia ubicunque duo de bonis hominibus erant, in medio eorum erat Deus.

Tota curia Dei multum gaudet, quando aliquis efficitur credens.

Nam bonis hominibus Deus dederat potestatem, quod possunt Deum rogare pro aliis, et multum valebat oratio eorum et multo plus quam cujuscunque alterius hominis, et quod propterea homo debet dare eleemosynam bonis hominibus, ut rogent Deum pro homine.

Raimundus Belhoti dixit, quod multum debebat gaudere, quod dicta filia (Esclarmunda) erat recepta, et quod non daret ei aliquid comedendum vel bibendum, etiamsi peteret, quousque ipse in crastinum reverteretur ad eam, cui cum ipsa responderet, quod, si filia ejus peteret cibum vel potum, loquens daret ei, dictus Raimundus respondit, quod, si ipsa loquens daret comedere vel bibere filiae suae, quod hoc faciendo faceret contra animam ejus. Et dicta filia sua ex tunc nihil comedit vel bibit, nec petiit etiam comestionem vel potum, et fuit mortua die sabbati sequenti circa horam tertiae.

Quia magnam mercedem habebant illi, qui eis (bonis hominibus) eleemosynam faciebant.

Petrus et Guilielmus Auterii, fratres ipsius testis, venerunt de Lombardia facti et vestiti ibi haeretici.

Die boni Christiani morabantur in Lombardia, quia non audebant hic morari, quia lupi et canes persequebantur eos.

Postquam semel audiverat homo eos loquentes, non poterat carere ipsis.

Petrus Clerici, rector de Monte Alionis, multum eam plangebat, quia veniebat ad partes inferiores, quia ibi non posset habere bonos christianos, qui ejus animam salvarent.

Die Geſchichte eines Geiſtlichen Petrus Clerici, der Ehebruch treibt, die Bauern im Dorfe als Ketzer anklagt, aber immer dabei ein Anhänger der Catharer iſt, er erklärt: volebat se vindicare de rusticis dicti loci, qui sibi inimicabantur, quocunque modo se de eis vindicare posset, et postea bene de hoc conveniret cum Deo.

IX.

Auszüge aus der Handſchrift der Caſanateuſiſchen Bibliothek in Rom, bezeichnet: D. III. 18.

Processus contra Valdenses, Pauperes de Lugduno, aliosque haereticos, Fraticellos etc. per fr. Antonium de Septo de Savilliano ordinis Praedicatorum Inquisitorem haereticae pravitatis in Lombardia superiori et Marchia Jannensi, potissimum Pinaroli facti anno 1387 et 1388.

nec non per

fr. Thomam de Casasco ordinis Praedicatorum Inquisitorem similiter in Lombardia superiori et Marchia Jannensi habiti praecipue Gaucei in dioecesi quoque Taurinensi ab a. 1373—1388. Anno 1387 die 20ma mensis marcii in Pynarolio.

Johannes Fauvre de Sango. Sessaniae principaliter in suo facto et testis in alieno interrogatus, utrum unquam fuerit in synagoga Valdensium, respondit, quod sic quatuor vicibus in Sango Bexaniae in domo Johannis Mori habitan-

tis dicti loci. Interrogatus de hora respondit, quod circa horam septimam. Interrogatus de societate et praesentibus respondit, quod omnes vel major pars villae, quorum nomina ignorat. Dejeravit, quum omnes de dicto loco sint optimi catholici et magni persecutores Valdensium, ut patuit, quando fr. Franciscus de Vapinco ordinis Minorum venerabilis Inquisitor haereticae pravitatis fecit officium et exterminavit illos de Prato gelato; insuper quos nominabat, assistebant eidem fideliter in omnibus. Item interrogatus, si per longum spatium ibi manebant, respondit, quod per magnum, et dictus Johannes Mori praedicabat; post praedicationem suam bibebat et dabat ceteris et panem benedictum porrigebat omnibus, quod vocatur consolamentum.

Item interrogatus, si dictus Johannes Mori faciebat exstingui lumina, respondit, quod sic, dicendo: qui habet, teneat. Item interrogatus, quid praedicabat dictus Mori, respondit, quod non recordabatur, nisi, quod dicebat, quod non erat purgatorium. Item interrogatus, si credebat omnia, quae dictus Joannes praedicabat, respondit, quod sic usque ad hodiernum diem. Item si recepit panem benedictum de nocte apud dictum Joannem seu de manibus dicti Majoris, respondit, quod sic. Item si stetit cum aliqua muliere carnaliter, quando dictus Joannes Mori praecipiebat exstingui lumina, respondit, quod sic, bis cum quadam juvene nomine Margarita. Item, si credebat peccare, respondit, quod non.

Magistri Valdensium, Baridonius et alter Johannes, ambo de Pulia, praedicabant post comestionem:

Primo quod secta et doctrina eorum erat optima et bona et christianorum mala et quod nullus servatur, nisi sit de secta eorum.

Item quod summus Pontifex est de secta eorum et moratur in Apulia et quod ecclesia Romana est ecclesia malignantium et congregatio peccatorum a tempore beati Sylvestri citra et in eo defecit, quousque ipsi eam restoraverunt.

Item quod omne juramentum est peccatum mortale. Item quod non sunt nisi duae viae, scilicet paradisi et inferni, et quod nullo modo est purgatorium nisi in vita ista.

Item quod eleemosynae et peregrinationes non prosunt animabus defunctorum. Item quod Christus non fuit verus Deus, quia Deus non potest mori, sicut et ipse mortuus est. Item quod quilibet de secta eorum poterat consecrare corpus Christi. Item praedicabat multa alia per longum spatium, de quibus non recordatur, et in fine praecipiebat extingui lumina dicendo, qui habet, teneat. Et recedebat postmodum transacto aliquo spatio sine lumine. Interrogata, si omnia praedicta credidit, quae praedicti magistri dogmatizabant et praedicabant, respondit quod sic, quia sic credere promiserat praedictis magistris Valdensibus missis a summo Pontifice eorum de Pulia. Interrogata, si confessa fuit cum praedictis magistris peccata sua, respondit, quod sic multoties. Interrogatus, si tradidit eisdem aliquam pecuniam, respondet, quod sic, prima vice medium florenum, ceteris autem vicibus de bonis comestibilibus suis. Interrogata, si recepit panem benedictum a praedictis magistris, quem vocant consolamentum, respondit quod sic, cum reverentia genibus flexis. Interrogata de sociis, qui erant praesentes, respondit ut in primo: Guilielmus Maniagullo Rambaudi, Guilielmus alter et alii, omnes de Valle puta.

Guilielmus praedictus peruza de Valle puta melius recordatus et reductus confitetur infrascripta sine tortura et extra locum torturae.

Primo dicit, quod est de Valle puta et promisit servare ritum et omnia, quae magistri Valdenses praedicant, in manibus praedicti Johannis Baridon de Pulia, missus in partibus istis a Papa eorum de Pulia, cui fuit bis confessus peccata sua credens vere absolvi.

In congregatione Valdensium fuit multis vicibus in Barga in domo Bergaminae.

Interrogatus, quod praedicabant, respondit, quod inter alia principalia verba quae dicebant, erat quod non sunt nisi duae viae, scilicet paradisi et inferni, et nullo modo purgatorium; item quod eleemosynae et peregrinationes non prosunt animabus defunctorum.

Item quod deberent credere in Deum Patrem et non

in Christum. Item quod non sunt celebrandae festivitates sanctorum, sicut faciunt Christiani, quia nullus sanctus seu anima alicujus sancti intravit adhuc paradisum, sed sperabunt usque diem judicii, et multa alia praedicabant, de quibus non recordatur.

Frater Antonius Galosea de Monte s. Raphaelis dioecesis Taurinae portans habitum tertii ordinis s. Francisci ab annis quatuordecim. Cognoscit Martinum de Presbytero de Vico dioec. Taurin. Martinus ivit ad eum cum presbytero, qui regebat curam dicti loci, qui fuerat frater Martini, nomine frater Petrus de Sardegna.

Stando juxta ignem Martinus coepit dicere, quod inveniebat in quodam suo libro, quod prima gratia et primum sacramentum quam et quod Deus fecerit, fuit et extitit in pane, et illud sacramentum excedit et superat omnia sacramenta, et interdum parata mensa cepit unum panem et posuit super genu suum, deinde incissit tres buccellas panis praedicti, quarum unam dedit dicto fratri Petro, alteram fratri Antonio et tertiam uxori suae. Item fecit alias duas buccellas, ex quibus dedit unam cuidam ancillae suae et aliam sibi ipsi signato pane prius per ipsum signo s. crucis, qui omnes comederunt et receeperunt dictam buccellam panis quilibet genibus flexis, deinde biberunt omnes simul, scilicet unus post alterum.

Frater Antonius recepit officium audiendi confessiones et potestatem sibi datam genibus flexis humiliter a dicto Martino, qui signavit eum signo s. crucis dando sibi potestatem audiendi confessiones et absolvendi, dicendo quod habebat majorem potestatem super hoc, quam alius sacerdos, et hanc potestatem dabat sibi de anno in anno. In anno sequenti recepit iterato eandem auctoritatem a dicto Martino.

Frater Antonius respondit, quod fuerunt duo homines, qui duxerunt eum ad locum Machiarum, quorum unus tetigit ei digitum auricularem more Valdensium. Fuerunt ibi circa numerum novem personarum, et ipse erat decimus, quorum unus posuit unum panem frumenti in manibus suis, ipseque benedixit, dividit et dedit singulis, qui ibi erant, si-

cut fecerat sibi Martinus de Presbytero, qui omnes et singuli osculati fuerunt panem postea comederunt. Post haec quaedam vetula porrexit omnibus potum, primo bibendo sibi. Interrogatus, si ibi illo sero fecerunt synagogam, respondit quod sic*), sed ipse non interfuit, quia balneatus erat, veniendo successive de loco Machiarum versus Bogolenum, invenit quandam vetulam caecam, quam absolvit faciendo sibi signum crucis. Interrogatus, si scit vel cognoscit aliquem de dicto loco Bogoleni de haeresi suspectum, respondit quod sic quandam tabernariam. Interrogatus, quomodo sciebat ipsam esse haereticam, respondit, quod ipsa tetigit sibi duos digitos, videlicet in acie digitorum, dicens ipsa sibi: vos bene veneritis. Ego credo, quod vos estis de secta nostra, sicut erat presbyter s. Mariae (de Nonareto), et quia de more ipsorum est, quod mulieres tangunt duos digitos, et homines digitum auriclarem ad cognoscendum se ipsos haereticos intra se.

Bis fuit in synagoga in loco Avigliae, videlicet de anno millesimo trecentesimo octagesimo quinto mense Septembri in domo hospitii quod tenet signum Angeli in Burgo veteri, in quadam domo retro magnum palatium; erant quinque mulieres et sex viri et non plus, inter quas mulieres erant duae meretrices publicae.

In illa synagoga praedicavit ille, qui facit bergamenos, dicens quod gratia panis erat super omnem gratiam quam dederit Deus et super baptismum et super fidem catholicam. Et tunc frater Antonius deponens benedixit et divisit panem et dedit singulis, deinde dicta vetula dedit singulis ad bibendum; postea stinxerunt lumina, dicendo: quilibet faciat illud pro quo est ibi, qui habebit, teneat. Secundo anno millesimo trecentesimo octagesimo sexto de mense Maji stantibus dictis personis et in dicto loco, et ultra praedictos fuit presbyter quidam, cujus nomen ignorat, qui est de partibus ultramontanis de Delphinata vel Provincia et morabatur in Avillia. Et fecerunt synagogam illo modo et

*) Synagogam facere heißt alſo: Lichteranslöſchen ꝛc.

dictus presbyter dedit panem dicendo, quod gratia panis erat major omni gratia, sicut supra. Dicit etiam dictus frater Antonius, quod in vilario fochardi fuit semel ipse in synagoga, in palacio Perini Rotarii, et unus suus filius naturalis ipsam ibi congregavit de anno millesimo trecentesimo octagesimo sexto mense Septembri. Ibi erat Johannes de Pratolonginco de dicto loco Vilarii et filius Ducole Javenno faber qui tenet ibi fusinam etc.

Martinus dicebat, quod Deus non est in sacramento eucharistiae, sicut dicunt et credunt Christiani, sed semper est in coelis et videt eum stando in lecto suo, et trufabatur de uxore sua, quando veniebat, de ecclesia. Et dicebat, quod viderat Christum in altaris sacramento, dicens etenim, quod ecclesia Romana est domus mendacii a Deo reprobata. Item quod nullus est papa, nec sacerdos, nec absolvere potest a peccatis, nisi sit de secta sua et suorum. Item quod ipse judicabit episcopos et inquisitores, qui ipsum et suos judicati sunt, et maledicebat de omnibus clericis ecclesiae Romanae. Item quod non sunt nisi duae viae, paradisus et infernus, et nullo modo credit, quod sit purgatorium, et quod non debent fieri solennitates, quae fiunt (circa) sepeliendos mortuos et eorum sepulturam. Item dixit, quod concedere ad usuram decem florenos pro undecim vel decem duobus non erat peccatum. Item quod non est credendum aliquod sacramentum ecclesiae valere ad salvationem animae praeterquam baptismum, quia alia non sunt sacramenta, sed fuerunt inventa propter avaritiam per ecclesiasticas personas. Item quod sancti et sanctae non debent venerari, nec coram eis affigi candelae, quia non possunt juvare nisi solus Deus. Interrogatus, quod dixit sibi dictus Martinus in fine verborum, respondit, quod dixit ei, si volebat credere praedicta fore vera et esse de secta sua, quod esset salvus et magnus in gloria apud Deum Patrem, sed oportebat, quod negaret fidem Romanae ecclesiae tanquam falsam et adhaerere fidei suae tanquam verae. Interrogatus, si negavit fidem catholicae ecclesiae, respondit quod sic, in manibus dicti Martini, et promisit ei esse de secta sua omni tempore vitae suae et

credere omnia, quae dicebat Martinus tanquam vera, ut consequeretur salvationem animae suae, et adorare pro deo suo draconem, qui pugnat cum Deo et angelis ejus, et est ferocior et potentior Deo, et sic spopondit in manibus dicti Martini. Ista verba dixit ei Martinus anno millesimo trecentesimo octagesimo sexto in die festi b. Nicolai in loco vici in domo dicti Martini, et ipse stetit in tali fide et credencia duobus annis et nunc cognoscit, quod male credidit et vellet libenter, quod lupi rapaces comederent vel comedissent corpus suum, vel aliter suum corpus pateretur varia tormenta, dum tamen ejus anima salvaretur.

Habet socios, qui receperunt similem auctoritatem audiendi confessiones et absolvendi a dicto Martino, fratrem Jacobum Bech de Cher, fratrem Angelum de Marcha, fratrem Johannem Bergetum de Carmagnolia et fratrem Petrum de Sardegna presbyterum supradictum et Fontanellum de Vico supradictum.*)

Item dictus deponens suo juramento dixit, se fuisse duabus vicibus in synagoga Secuxiae, quae fiebat in domo etc.

Frater Antonius dixit, quod sunt viginti quinque anni elapsi et ultra, quod incepit in loco Andeselli in domo Laurentii de Lormea, in qua domo fiebat synagoga, erat in dicta synagoga bene viginti quinque vicibus in uno anno, et erat portonerius et stabat intus clauso ostio et recipiebat panem et potum sicut et alii et modo supradicto, quae faciunt haeretici in signum sacramenti. Magister erat Laurentius de Lormea, cujus erat domus. Interrogatus, quod fiebat in dicta synagoga, respondit, quod comedebant et bibebant cum laetitia magna, incipiendo quando gentes de terra iverant ad dormitionem circa primum somnum et ultra, post bibitum et comestionem stinguebant lumina, dicentes: qui habet, teneat, et illic erant viri et mulieres proximo gradu

*) Folgt die Angabe der Perſonen, die in der Synagoge Vilarii fochardi waren. Am Rande oben ſteht: Martinus combustus fuit in loco Avilianiae, Comit. Sabaudiae et dioec. Taurin.

sibi attinentes, et sic stabant usque circa auroram. Inter mulieres erat major Bilia de la Castagna, quae mortua est, quae porrigebat omnibus ibi exsistentibus potum, quando ponebant se ad mensam, quem potum apportabat in una fiola, et potus ille erat turpis aspectu, et si quis sátis sumpsisset, inflasset multum, ita quod unus, qui multum sumpsit, fere mortuus est, et de tali potu ipse et omnes alii sumebant toties, quoties initiabant supradictam synagogam, et erat seu esse debebat talis efficaciae, quod qui de ipso sumpserat semel, non postea poterat derelinquere societatem praedictae synagogae, et fama erat, quod tenebat buffonem grossum sub lecto, quem nutriebat cum carnibus et pane et caseo. Interrogatus, propter quod tenebat, respondit, ut de stercore ipsius faceret poculum praedictum sive beneficia supradicta. Interrogatus, si praedicta mulier exercuit praedicta, respondit, quod sic multoties et toties quoties veniebant ad synagogam. Interrogatus, utrum haberet sociam, respondit quod sic, Bonam la Cortona quae mortua est, et Alaxiam de Garzo, viro suo, quae magistra est in superstitione praedicta. Interrogatus, quod poneret in praedicto poculo, respondit quod de stercore praedicti buffonis, et quod fuit inculpata, quod comburebat capillos suos, et pillos pectinis vel inguinis in poculo praedicto miscebat et tunc poculum faciebat in vigilia Epiphaniae in sero circa ignem, et hoc ipsa confessa fuit in vita et in morte, et die primo Martii initiabat.

Interrogatus, quae alia esset socia supradictae, respondit, quod Alaxona la Lauriana. Interrogatus, quae successerit supradictae Biliae magistrae in synagoga, respondit, quod Agnexina Labra cognata ejus, uxor fratris ejus, cujusdam Aleriae de furno, et habet ampuletam sive habere debet. Vidit in synagoga circa triginta viros ad plus et circa septem mulieres (Folgen die Namen.) Bei zweien heißt es: Non fuerunt in dicta synagoga, sed peccabant cum attinente.*)

---

*) Bei den Namen der Weiber heißt es zu Agnexina Labera und Jacobina la Buza: cum duabus concubuit dictus deponens.

Interrogatus, si abnegavit observationes ecclesiae Romanae et fidem catholicam, respondit, quod sic in manibus de Lormea habitatoris Andeselli et magistri praedictae synagogae. In speciali abjuravit incarnationem Christi, passionem, resurrectionem et ascensionem ejusdem, quia Deus non potuit, nec voluit tantum se humiliare, quod acciperet carnem humanam. Item abjuravit in manibus praedicti Laurentii, sacramenta ecclesiae nulla esse, nec ad salutem animae prodesse, et in speciali sacramentum baptismatis, extremae unctionis, corporis Christi, matrimonii et poenitentiae, quia haec omnia erant vanae gloriae. Dixit tamen, quod praedicta consensit et abjuravit per metum seu violentiam, adeo quod percussit eum cum gladio super caput usque ad effusionem sanguinis. Ante dictam percussionem fuit duabus vel tribus vicibus ad dictam synagogam, et post percussionem sex vel septem vicibus.

Dictus Laurentius de Lormea praedicabat et dicebat, quod omnes crederent in Deum Patrem, qui erat creator coeli tantum et non terrae, sed draco magnus erat creator terrae et dominus mundi et potentior Deo in terra. Interrogatus frater Antonius, utrum fuerit ad dandum consolamentum alicui personae infirmae de secta haereticorum, respondit, quod sic, ad dandum Alaxonae la Lauriana de dicto loco Andeselli, dum laboraret in extremis in domo Domini Gribaudi, in qua nullus morabatur et ibidem vicarius de dicto loco Andeselli cepit buccellam panis dicens dictae Alaxonae: credis tu, quod istud sacramentum sit majus sacramentum, quam sit istius panis et sit major eucharistia et aliis sacramentis datis per presbyteros et alias ecclesiasticas personas, quae mulier respondit, quod sic, et exinde junctis manibus cum devotione recepit et posuit ad os suum osculando dictam buccellam. Deinde dictus vicarius et Guido Maneria de dicto loco Andeselli posuerunt pannos dictae mulieris, in quibus jacebat super os et caput suum, et in crastinum reperta fuit defuncta. Interrogatus, si fuit ad alia consolamenta, respondit, quod fuit ad consolamentum Biliae la Castagna, sed quia multae personae ibi erant, non

fuit servata solemnitas praedicta, sed tamen venit Laurentius de Lormea, qui dedit sibi potum, postea tenendo bucellam dixit dictae mulieri, recorderis de hoc, ostendendo sibi dictam bucellam panis, quam receepit manibus junctis cum lacrymis, postea revolvit sibi pulvinal sui leeti super caput et pectus et statim spiravit.

Fuit duabus vicibus in synagoga, quae fiebat in loco Cher ad domum Berardi Raschcrii, ubi Berardus praedictus praedicabat. Dicebat, quod panis erat super omnia sacramenta, et quod non erat credendum sacramentis, quae dabant alii sacerdotes et personae ecclesiasticae. Item quod Deus non venerat in virginem, nec passus et sepultus fuerat. Item quod apostoli et sancti non debent venerari, nec debent eorum vigiliae, et quod Christus natus erat de b. Maria et ejus viro Joseph carnaliter, quia a praedictis conceptus, non ex spiritu sancto. Item dicebat idem Berardus praedicando, quod mortuo corpore mortua anima, et his dictis et aliis habebat panem et dabat cuilibet eorum, qui erant ibi praesentes, bucellas panis, dicendo quod panis erat super omnia sacramenta illis praesentibus et recipientibus manibus junctis et cum devotione. Exinde dabat potum singulis quaedam mulier nomine Agnexina la Biancarda de Cher, uxor Bianchardi de Curte. Dicebat etiam dictus Berardus, quod draco erat potentior, quam Deus, et quod poterat plus, quam Deus in mundo isto, et omnia vincebat quae Deus fecerat et . . . . . pane et vino assumptis dicebat idem Berardus: Domini et Dominae, nos sumus omnes, qui sumus hic, de una secta et una eredeneia seu fide, et faciebat omnes jurare, quod essent omnes de illa secta et fide et omnia eorum facta secrete tenerent, super uno libro, quem in manibus suis tenebat; deinde dicebat: vos omnes scitis, quare hic simus; qui habet, teneat, et stingebat lumen, exinde stabant per spatium unius horae vel duarum se carnaliter commiscendo.*)

---

*) Folgen die Namen der Anwesenden.

Interrogatus, si ipse miscuit se tunc cum aliqua muliere, respondit, quod non.

Interrogatus de secunda vice, in qua dicit, quod fiebat synagoga in domo dicti Berardi, respondit, quod facta fuit de dicto anno mense Septembri in camera juxta cellarium, et ipse tunc se miscuit carnaliter cum aliqua de cujus nomine non recordatur. Item interrogatus deponens, utrum fuerit in aliqua alia synagoga seu congregatione Valdensium in Pedemonte, respondit, quod sic in Monte-canale anno millesimo trecentesimo octagesimo octavo de nocte circa viginti vicibus. Magistri principales sunt filius Ugolini de Grassoto et Victus mealis.*)

Interrogatus de mulieribus respondit, quod vidit omnes infrascriptas mulieres in dicto loco de nocte et quod commiscuerunt cum praedictis ibidem, et magistra et principalis erat Jacobina, filia Berchoti de Manchissino.

Interrogatus, si vadunt omnes simul, respondit, quod non, sed dividunt se in duas vel tres partes, et semper habuit unam in sortem, et in speciali grossam Jaconnetam praedictam revenditricem castaneorum Viconiae, quae filat lanam, et unam illarum quattuor juvenum, quae morabantur prope dictam magistram.

Finita praedicatione recipiebant cum reverentia bucellam panis de manu alicujus praedictorum et aliquantulum bibebant, postea unus ex praedictis stingebat lumen, qui habet, teneat, dicendo. Hoc fiebat semel vel bis in mense, dummodo non sit tempus pluviosum.

Interrogatus, si in loco Saugani dioec. Taur. fuit ad aliquam synagogam, respondit, quod sic duabus vicibus. Jacobus, in cujus domo fiebat synagoga, dicebat, quod panis, quem dabat, erat majus sacramentum, quod esset et super omnia sacramenta, et quod draco pugnabat contra Deum et erat potentior ipso in mundo isto, et talis draco debebat adorari, et dicebat, quod purgatorium non erat nisi in isto

---

*) Folgen die Namen der Männer und Weiber.

mundo et quod homo non patiebatur poenam nisi in isto mundo. Deinde stingebat lumen dicendo, qui habet, teneat.*)

Interrogatus, quas habuit deponens in sortem, seu cum quibus commiscuit in dicta synagoga, respondit, quod in prima vice habuit sororem dictae fatuae, quae erat pulchra juvenis; secunda vice habuit quandam juvenem, quae moratur juxta foxatum castri. Dictus Jacobus faciebat eos jurare et promittere, quod servarent monita sua et quod tenerent secrete omnia sub poena mortis.

Frater Antonius bekennt dann dreimal in der Synagoge zu Trania geweſen zu ſein, wo Bastardinus de Trania magister war, der die Anweſenden auf ein rothes Buch ſchwören ließ. Primo dicebat malum de ecclesia et sacramentis ecclesiae et de ecclesiasticis personis. Secundo dicebat, quod mortuo homine non sentit postea poenam in alio mundo. Item quod draco debebat adorari et erat potentior Deo in mundo isto. Item quod ipse nesciebat nec etiam alii magistri in fide ipsorum invenire seu cognoscere, quod Christus natus fuisset de virgine Maria, nec credidit, ipsum esse filium Dei; sed solus erat Deus, qui dicitur altus pater, nec aliqua persona poterat salvari, nisi esset de sua secta et fide praedicta. Ipse deponens dicebat similia in sua praedicatione. Dicebat etiam, quod erant magni magistri, qui poterant absolvere a peccatis et confessiones audire. Sed neminem cognoscebat, ut dicebat dictus Bastardinus, qui hoc posset facere, nisi esset de secta ipsorum. His peractis stingebat lumina dicendo, qui habet, teneat.**) Interrogatus, si commiscuit se cum aliquibus ex dictis mulieribus, respondit, quod sic, cum duabus, in qualibet synagoga unam.

Frater Antonius de synagoga in Janenia. Docebatur primo, quod praecepta ecclesiae non ligant animas, nec obligant ad culpam et poenam aliquam, et quod non est peccatum in dominicis diebus laborare, et comedere carnes in quadragesima et vigiliis sanctorum et diebus sabbati, quia

*) Folgen die Namen.

**) Folgen die Namen oder Perſonalbeſchreibungen.

ecclesia Romana non potuit nos obligare ad tales observationes. Item quod Deus non recepit carnem humanam et quod b. Maria non est virgo nec mater Dei. Item quod Deus non potest esse in sacramento altari. Item quod apostoli et alii sancti et sanctae nullam virtutem habent, nec ad ipsos est recurrendum.

Item quod omnia ista visibilia sunt creata per draconem magnum, qui pugnat cum Deo et est fortior in mundo isto et debet adorari pro Deo. Item quod nullum est purgatorium et mortuo corpore mortua anima et postea anima nullam recipit poenam. Item finita praedicatione dabat juramentum existentibus ibidem, quod omnes essent secreti et firmiter crederent omnia praedicta tanquam vera, et omnes jurabant, postea stinguebant lumen dicendo, qui habet, teneat.

Ipse deponens prima vice, qua fuit in dicta synagoga, dispensavit panem, dicendo, credatis, quod iste panis praevalet omnia sacramenta ecclesiae Romanae, et quilibet recipiebat genibus flexis de manu sua.

In loco Covaciarum fuit duabus vicibus ad synagogam, prima vice de anno millesimo trecentesimo octagesimo quinto, secunda vice mense Madii, et Martinus de Presbytero de Vico eum ibi mandavit.

In Florentia interfuit Synagogae.*)

In Pynayrolio synagoga fit in domo cujusdam Beginae Coletae. Magister principalis erat Petrus de Belmonte de Prato gelato habitans in Pinayrolio. Dicebat, quod draco est fortior Deo in mundo isto et debebat adorari. Item dicebat malum de ecclesia et ecclesiasticis personis et quod mortuo homine non sentit postea poenam. Item quod nec ipse nec alii magistri sciunt, vident vel cognoscunt, quod Christus natus fuit de V. Maria, nec credunt, ipsum esse filium Dei, sed solus erat altus pater, cui credunt, nec aliqua persona poterat salvari, nisi esset de eorum secta seu fide. Dicebat etiam, quod magni magistri de eorum secta

*) Folgen die Namen der Anweſenden.

poterant absolvere a peccatis et confessiones audire, et quod sacramentum eucharistiae non erat verum sacramentum. Facta vero praedicatione dicebat: vos scitis, qua de causa estis hic, faciatis id pro quo estis, qui habet, teneat, et stingebant lumina.

Item dixit, quod Donna Johanna (de Francia) portabat secum unum potaficulum de corio, in quo erat potus de vino, qui potus erat valde dulcis, et eum porrexit Coletae, quae dabat de ipso ad bibendum omnibus, qui intererant in synagoga.

Petrus de Belmonte et Basternus duxerunt fratrem Antonium deponentem ad domum Johannis Buffe, quando primo venit in Pinayrolium, qui tetigit sibi digitum auriclarem dicendo ei: vos bene veneritis, vos habetis multos bonos amicos in terra ista et cito videbitis cos, et iverunt ad bibendum in apotheca Johannis Buffe, et etiam Nicolaus Fornerius de Gratianopoli venit ibi et tetigit fratri Antonio manum dicendo ei: vos bene veneritis, non possum modo esse vobiscum in caritate, sed alius ero in majori caritate.

Synagoga in Fruguscho, in Castagnol Scalengiarum, in loco Pluniciarum, in loco Alpignani, in Aviglia et Burgo Paglarini, in Villario Armexii, in Alpignana, in Valle Lancei in Germagnano, in loco Bubianae.

Anno millesimo trecentesimo octagesimo septimo interrogatus est frater Antonius de sancto Raphaelio (de tertio ordine Francisci.*) Quidam faber dixit sibi: vadite vos ad domum Martini de presbytero, ipse dabit vobis de suo pane benedicto, et respondit deponens, mihi non dabit, quod satis habeo mecum. Et faber incepit ridere et dicere: Vadatis, vadatis, ipse bene dat aliis et dabit vobis.

Invenit apud Martinum Fontanellum Presbyterum quendam Petrum de Sardinia, qui fuit apostata Minorum. Audivit Martinum praedicare: quod debebat credere in Deum Patrem tantum, et quod Christus non est Deus, nec V. Maria mater Dei, quod non est sacramentum altaris, sicut

*) Ihn hat Martinus de Presbytero für die Sekte angeworben 1380.

credunt christiani, sed est semper in coelis, et quod vidit Deum stantem in lecto suo et truphabatur de uxore sua, quando veniebat de terra, et dicebat, quod viderat Christum in altaris sacramento. Item quod Romana ecclesia est domus mendacii a Deo reprobata. Item quod nullus potest esse papa vel episcopus vel sacerdos, nec absolvere a peccatis, nisi sit de secta sua et suorum. Item quod Papa etc. non possunt eos excommunicare et quod ipse judicabat Inquisitores, qui persequuntur ipsos, et est in cathedra sicut apostoli.*) Martinus dixit ei, si volebat credere praedicta fore vera et esse de secta sua, quod esset salvus et magnus in gloria apud Deum patrem, sed oportebat quod negaret fidem Romanae ecclesiae tanquam falsam. Es verſprechen alle: et quod adoraret pro deo suo diabolum, qui pugnat cum Deo et angelis et est potentior etc. Et acceptavit esse sacerdos sectae genibus flexis, et in fine Martinus dedit ei potum de quodam vasculo, quem habebat juxta lectum suum et bibit primo, et postea dedit sibi et accepit et bibit in signum auctoritatis praedictae et professionis ejusdem sectae et accepit auctoritatem audiendi confessiones, et antequam recederet, confessus est peccata sua Martino.**)

Jacobus Borellus sartor de Vico sponte confessus est, se ivisse Romam anno millesimo trecentesimo octagesimo sexto cum Petro Garigli, fratre Jacobo Retho — — et Martino de Monte Vici. Ibidem Jacobus juravit coram praedictis tactis scripturis, stare, favere et pertinere mandatis praedictae sectae.

Jacobus Beth: sunt elapsi triginta anni vel circa, quod recepit habitum illorum, qui dicuntur apostoli seu de pau-

---

*) Folgen die Punkte vom purgatorium, Eid, Wucher, der keine Sünde ſei, Verwerfung der Sakramente mit Ausnahme der Taufe, der Heiligenverehrung.

**) Als socii gibt er an den frater Angelus de Marchia, den frater Jacobus Gichus, qui moratur in Cherio, den Sardiniſchen Prieſter, den Fontanellus, qui saepe est cum dicto Martino et vilipendit multum sacramentum corporis Christi et non vult intrare ecclesiam, et dicit, quod est peccatum mortale comedere carnes.

pere vita in Pontolino in Comitatu Florentino a Johanne de Pernaxis de Riparia Junuae. — In via, videlicet in loco Pexusiae, invenit Petrum Garigli cum decem sociis, qui Petrus dixit sibi, si volebat esse de societate sua et ejus credentia, et narravit sibi, quod ipse Petrus erat filius Dei et illi decem, qui erant cum eo, erant ejus apostoli, et si ipse vellet esse in societate, haberet numerum completum, qui respondit ei, quod non volebat esse suus apostolus, et reversus est Cherium et ibi stetit semper usque nunc. Item dicit, quod anno millesimo trecentesimo septuagesimo octavo vel circa invitatus fuit per Jocelinium de Palatia et Petrum Patrii de Cherio et quendam alium de Sclavonia, cujus nomen ignorat, si volebat esse de secta et credentia ipsorum, quod haberet salutem animae, et nisi sic faceret et crederet, ut ipsi credebant et docebant, nunquam posset salutem animae consequi, quibus respondit, quod volebat audire doctrinam ipsorum, et si videretur sibi melior, quam doctrina Romanae ecclesiae, quod ipse faceret et crederet, quod ipsi volebant. Qui responderunt, quod dicerent sibi substantiam et partem eorum doctrinae, et quando promiserit eisdem esse de credentia seu secta ipsorum et ipsos tenere secretos juraverit, dicent sibi residuum, quod etiam fecerunt, et ipse juravit, ut promittitur. Et docuerunt primo, quod deberet credere, quod Deus non creavit seu fecit aliquam rem visibilem, sed mundus iste et omnia alia visibilia a diabolo, qui cecidit de coelo, erant creata et facta, et quod ipse erat dominus istarum rerum visibilium et faciebat poenitentiam in mundo isto et adhuc debebat redire ad gloriam suam in coelum. Item quod quilibet homo et mulier consistit non ex anima rationali et corpore, sed unus ex daemonibus, qui peccaverunt, unitur cum corpore et animat illud corpus, et illi qui salvabuntur, reparabunt casum angelorum qui ceciderunt de coelo. Item quod Papa Romanus non est verus Papa, nec habet ullam autoritatem, nec ecclesia Romana est vera ecclesia, sed est verus Papa Major inter eos. Item quod non est credendum in duodecim articulis fidei nec in septem sacramentis ecclesiae. Item quod crux non est

adoranda. Item quod non crederet, Deum esse in sacramento altaris. Item quod laborare in festivitatibus et diebus dominicis non erat peccatum. Item quod nullus potest absolvere a peccatis, nisi sit de secta ipsorum. Item quod non est purgatorium nec infernus nisi in hoc mundo, et quod non sunt alii diaboli, quam homines et mulieres, qui sunt in isto mundo. Item quod, quando mulier est praegnans, habet diabolum in corpore, et quod nullo modo potest salvari, donec sit receptus ad eorum sectam, quod faciunt, quando est aetatis decem et octo annorum, et non ante, et ante illud tempus est in gubernatione diaboli, et quod baptismus nihil prodest eisdem, si moriuntur ante vel in pueritia. Item quod, si aliquis de eorum secta non recepisset consolamentum in morte, quia non habuit dantem, ille spiritus iterato intrabit aliquod corpus, sive humanum sive brutum primo inventum, usque quod recipiat in morte benedictionem salutarem a patre spirituali ipsorum. Item quod ille pater spiritualis benedicit panem, de quo omnes communicant, tenent et comedunt omni die saltem fragmentum vel micam. Item stare carnaliter cum matre vel filia vel sorore nullum est peccatum. Item quod mutuare ad usuram non est peccatum. Item quod decelando ipsos et eorum magistros est irremissibile peccatum, et quod talis nunquam potest ire ad salvationem. Item quod peregrinationes et eleemosynae et indulgentiae non prosunt animabus defunctorum. Item quod diabolus fecit Adam et Evam, et quod prophetae, patriarchae et etiam beatus Joannes Baptista, quos ecclesia Romana tenet sanctos seu veneratur, sunt damnati. Item quod Moyses fuit major peccator, qui unquam fuerit, et quod habuit legem a diabolo. Item quod non debebat credere resurrectionem corporum futuram, neque judicium futurum in speciali. Et promisit, seu juravit in manibus praedictorum, videlicet Jocelini de Palatia de balbis de Cherio et Petri Patrii et dicti Sclavoni esse de secta et credentia ipsorum, super libro grosso, quem vocabant librum Civitatis Dei, in quo scribebat omnes facientes similem promissionem. Et hoc erat in Castro sancti Felixii

finis Cherii, quod castrum erat Jocelini praedicti, et morabatur ibidem. Et audivit hanc doctrinam ab aliquibus aliis, a Martino presbytero de loco Vici, a Georgio Raveta de Cherio, ab Oddono Navro de Cher quondam, stando semper in domibus ipsorum. Et confessus est peccata sua cum omnibus praedictis et ipse similiter plures absolvit credens vere absolvi et absolvere sacramentaliter a peccatis more ipsorum. Item dicit, quod modo sunt decem anni vel circa, quod fuit missus per Petrum Patrii in Sclavoniam pro doctrina praedicta integraliter addiscenda et perfecte a magistris ibidem commorantibus, in locum qui dicitur Loxena, qui locus subest cuidam domino, qui vocatur Albanus de Loxena, et subest dictus Dominus regi Russienae, et dedit sibi dictus Petrus decem florenos, et fuit usque prope Jarram et non transivit ultra propter malum tempus seu fortunam, quam invenit in mari et reversus est Cherium. Interrogatus, si scit aliquos de Cherio, qui fuerunt ad dictum locum pro ista doctrina addiscenda, respondit, quod sic: Moretus Rabellator de balbis de Cherio, et sunt quadraginta anni elapsi vel circa quibus fuit: Johannes Narro et Granonus Bencius anno millesimo trecentesimo sexagesimo vel circa, Petrus Patrii fuit anno millesimo trecentesimo septuagesimo septimo, Jacobinus ejus frater fuit anno millesimo trecentesimo octagesimo secundo vel circa, Berardus Raschorus fuit anno millesimo trecentesimo octagesimo primo vel circa. Et hoc sibi dixerunt omnes, excepto Berardo, quando docebant eum et alios in Cherio. Interrogatus, si fuit unquam de aliqua alia secta seu credentia, respondit, quod habuit conversationem et colloquium stando in Delfinata juxta locum Buxii in quadam ecclesia s. Luciae cum haereticis illius partis, qui vocabant se Pauperes de Lugduno, et credidit quodquod ipsi credebant et docebant et prius per spatium duorum annorum. Item dicit, quod quando ipsi haeretici de Cherio vident aliquos de magistris ipsorum, sibi obviant genu flexo, si sunt in loco secreto dicendo: benedicite, petite nobis, boni Christiani. Et magister respondit, peto vobis; si vero sunt in publico,

faciunt reverentiam cum capite et petunt cum silentio dictam absolutionem et vocant eos dominos. Interrogatus, qui erant praesentes, quando audivit doctrinam Oddoni Narro, quam docebat in domo sua de sero, respondit, quod vidit omnes infrascriptos ibidem et suo juramento dicit esse de secta seu credentia: Oddonum Narro praedictum magistrum, Aymonetum Rotarium dominum Pedinarini, Michellum Merlo, Thomaynum de Griffo, Michellum Ratum, Benedictum Ratum, Bertolonem Bech de Ripa quondam, Guillemum de Naseto, et consuevit esse magister post Johannem Narro, patrem dicti Oddoni, et in domo praedicta semper docuit, post ipsum vero praedictus Oddonus.

Item dicit suo juramento deponens specialiter sibi dato, quod vidit Aymonetum Rotarium bis in dicta congregatione et quod recepit panem genibus flexis, sicut et alii bis de manibus dicti Oddoni, etiam petiit et habuit absolutionem ab eodem Oddono magistro, sicut et alii, et habebat in sortem Exmeraldam infrascriptam. Item deponit, quod post doctrinam et praedicationem promulgatam per praedictos quilibet ipsorum tempore quo erat principalis magister, pro vice sua dabat panem benedictum more ipsorum omnibus ibidem existentibus loco communionis, et ipse unacum praedictis multoties recepit genibus flexis. Et omnes tam mares quam feminae in dicta synagoga seu congregatione exsistentes jurabant in manibus dicti praedicantis, credere et observare dictam fidem praedicatam. Intererant et juraverunt mulieres infrascriptae: Domina Matodina, uxor quondam Johannis Narro; domina Carentia, uxor quondam Johannis Oddoni; domina Elena, uxor quondam Benedictini Raschierii; domina Catelina Capascea, uxor quondam Promethei Capassini; domina Bertulina la Capascea, uxor Thomayni de Griffo; Exmeralda, soror Oddoni Narro, tunc vidua, quondam uxor Georgii de Rosiglio; mater Michaelli Merlo; Francesquella, pediseta dicti Oddoni. Item dicit, quod post praedicationem et receptionem dicti panis quilibet de praedictis recipiebat unam ex praedictis dominabus, ipse vero deponens semper habebat pedisetam praedictam, et perseve-

ravit in dicta congregatione et domo per spatium duorum annorum, et conveniebant simul semel in hebdomade pro omnibus praedictis audiendis et faciendis.

Interrogatus de praesentibus cum ipso in domo Georgii Ravetae, quando audiebat doctrinam ab ipso et quid faciebat ibidem post dictam praedicationem, respondit, quod recipiebant panem de manu dicti Georgii eo modo quo supra, deinde quilibet recipiebat suam, et infrascripti erant praesentes: Georgius Raveta magister, Malanus Rolescus, Bertolonus de Petito, Franconus de Candeleriis, Conradinus Sorba, ipse Jacobus deponens, Guillonus de Villanova. Mulieres erant Agnexia, uxor Georgii Ravetae, Antonia, uxor Johannis Penurgi, juvenis uxor Guilloni de Villanova, Bicossa de Folea. Eodem modo jurabant praedicti tam mares quam feminae in manibus Georgii praedicantis, credere et observare dictam fidem, quae praedicatio et doctrina erat in effectu, sicut supra continetur et secundum doctrinam Joterini et Petri.

Interrogatus, quantum tempus est, respondit, quod decem vel duodecim anni elapsi vel circa. Interrogatus, si interfuit alteri congregationi Valdensium in Cherio vel alibi, respondit quod sic, in Pontisellis finis Cherii. Interrogatus, quis erat magister et quid fiebat ibidem, respondit, quod faciebant synagogam de audientia doctrinae, receptione panis cum reverentia et commissione (commixtione) mulierum, et fuit ibidem per spatium duorum et dimidii mensium, convenientes simul semel in hebdomade, et erat magister principalis dictae congregationis, qui praedicabat et dabat panem, Guillonus Vignoliae.*)

Interrogatus, si Martinus de presbytero de Vico habuit notitiam cum aliquibus de Cherio, respondit sic, cum Bertolone de Lothario, ut sibi dixit praedictus Martinus, qui saepe eidem Bertoloni scripsit. Interrogatus, si scit, quid continebatur in dictis literis, respondit, quod sic, videlicet quod praedictus Bertolonus Lotharius et Guillonus Vignoliae

*) Nun folgt eine lange Reihe von Namen der Theilnehmer.

et Victor Benzius rogabant Martinum et rogaverunt multoties, quod vellet esse ex toto de credentia et secta ipsorum una cum sibi adhaerentibus Vallis Lancei, et ipse multoties eisdem rescripsit, quod in aliquibus volebat esse cum ipsis et in aliquibus non.

Interrogatus, si magister vel aliquis de secta ipsorum dant consolamentum in fine mortis infirmis ipsorum, respondit, quod sic. Interrogatus, quid est illud consolamentum, respondit, quod ignorat, tantum quod ille vel illa qui vel quae vult tale consolamentum, antequam magister ipsorum voluit eis dare, facit sibi promittere a dictis infirmis, quod si enaxerint de infirmitate, quod servabunt infrascripta: primo quod nunquam dicent mendacium ex quacunque causa, secundo quod nunquam utentur alio cibo quam quadragesimali, tertio quod nunquam tangent mulierem, et mulier nunquam virum nec aliam personam quancunque, quarto quod permittent se trucidari, antequam negent fidem et credentiam ipsorum opportunitate cujuscunque persecutionis per inquisitores contra eos factae. Et semper tales portant chirotecas, ne tangant aliquem vel tangantur a quacunque persona.

Item dicit, quod, postquam receperunt dictum consolamentum ab uno de magistris, magister dicit tali infirmo consolato: Vis tu esse martyr vel confessor? Si dicit, quod vult esse martyr, ponunt pulvinar seu cervicale super os infirmi, et tenent per bonum spatium sine attiratione. Et si talis infirmus recuperat flatum, finitur verbis ipsorum quae dicunt, dum tenet pulvinar super os; dicunt, quod talis est martyr, sive subito decedat, sive evadat. Et talis si evaserit, appellatur inter eos perfectus et servat praedictas regulas, et habet auctoritatem dandi aliis infirmis simile consolamentum. Qui vero fieri vult confessor, stat per tres dies post receptionem dicti consolamenti sine comestione cujuscunque rei et etiam potatione, et servat praedictas regulas et habet similem auctoritatem, et induunt eum de novo, et talis sive vivat, sive moriatur, dimittit omnia bona sua in manibus illius qui dat consolamentum, et ille facit quodquod vult de

dictis bonis. Interrogatus, quomodo scit praedicta, respondit, quod Petrus Patrici de Cherio, qui induxit ipsum ad credentiam ipsorum, talia sibi narravit, qui auctor erat et magister praedictorum. Ipse deponens non interfuit tali consolamento, quia illud est secretissimum inter illos et tantum valet apud eos, ut dicit, sicut corpus Christi apud nos Christianos. Item dicit, quod magister, quem vocant inter eos perfectum, nunquam debet peccare, nec aliquid immundum tangere; in signum hujus tales semper portant chirotheças, ut praemissum est, et habent vasa eisdem apparata, in quibus comedunt et bibunt, lota novem vicibus.

Item dicit, quod si Inquisitor vult scire vitam talium absque tortura, caveat sibi, ne adjuret talem haereticum, quod dicat sibi veritatem, si est de numero illorum, qui vocantur Gazeri, quia, postquam Inquisitor talem interrogavit dicendo: es tu bene de Gazeris perfectus? talis, si est de illis, immediate eidem Inquisitori respondet, quod sic, et post illud verbum nunquam loquetur aliquid seu comedet; sed sit cautus Inquisitor dicendo seu alloquendo ipsum, primo quod dicat sibi vitam suam, rogando ipsum, quod dicat sibi vitam suam et distincte per Deum in quem credit, et tunc omnia dicet nunquam mentiendo.

Bei einem zweiten Verhör gibt Jacobus Bech (non vi vel metu, sed sponte) die Lehre so an: quod visibilia quae apparent sub coelo, specialiter corpora humana, non erant facta seu habebant esse a Deo coeli, nec ab eodem conservabantur, sed a diabolo qui cecidit de coelo. Item quod Deus non erat incarnatus ex Maria Virgine, passus etc., aliaque secuta ad incarnationem filii Dei credidit esse falsa, nec non et quae continentur in omnibus duodecim articulis fidei et sacramentis ecclesiae.

Sie bestärkten sich in ihrer Lehre de libro Apocalypsis, quem portavit occulte ibidem Martinus Chananderio, et eisdem legebat et exponebat quaedam, quae in eodem libro continebantur.

Item dicit, quod Bertolonus de Bochatio et Gemonus

Bencius de Cherio sunt optimi pro informatione plenaria habenda de omnibus praedictis et cum minori scandalo.*)

X.

Aus einem Codex der Stadtbibliothek von Cesena.

Omnia visibilia oculorum carnalium hominum visibus subjacentia a malo Deo, quem principem tenebrarum appellant, esse creata; asserentes etiam quod ipse creavit malos suos angelos; Deum vero patrem dicunt omnia coelestia, seu coelum superius et angelos bonos creasse, et ipsum omnipotentem in regno suo esse, diabolum similiter in suo regno omnipotentem esse susp . . . . . .

Addunt, quod Lucifer angelos, quos seduxit in coelo, traxit in terram, eos quasi incarceravit corporibus humanis infundendo. Omnia humana corpora, quae fuerunt, vel sunt, vel futura sunt, vivificata seu vegetata sunt aut ab illis spiritibus qui ceciderunt in coelo, aut ab illis spiritibus, quos diabolus . . . . . .

Dicunt pars illorum, unum principium et unum Deum tantum esse et unum creatorem. Et quod Deus creavit angelos, qui ceciderunt, et simul cum angelis creavit quatuor elementa. Et Lucifer creatus fuit a Deo excelsior et sapientior omnibus angelis, et per multa spatia angelos, qui ceciderunt, in coelo exstitisse dicunt. Lucifer vero se pulchriorem et excelsiorem aliis intuens circa creatorem suum superbiit multis aliis angelis ei faventibus. Unde ipse propter superbiam cum omnibus complicibus de coelo ejectus est et descendit in illam confusam materiam quatuor elementorum adhuc non distinctorum, et ita peccatum a Lucifero, qui prius bonus erat, initium habuisse dicunt. Ferunt similiter quod Lucifer, postquam dejectus est, invenit ductilem materiam quatuor elementorum et per industriam et in-

*) Versammlungen wurden gehalten in domo Matodinae Narro in Cherio, in sancto Salvatoris finis Cherii, in Fontanagneto finis Cherii, in Pontisellis.

genium et alia naturalia, quae sibi Deus in creatione contulerat, elementa distinxit et mundum istum, sicut nunc est, formavit et decoravit, et ita Luciferum illum Deum esse fingunt, quia Moyses in V. T. per sex dies elementa divisisse commemorat.

Dicunt, quod solus Deus est creator, qui ex nihilo creavit angelos et quatuor elementa, diabolum vero non creatorem, sed factorem dicunt, quia ex praejacente materia quatuor elementorum operatus est, sicut figulus ex luto vas operatur. Ad hoc fabulantur, quod ipse formavit corpus Adae et Evae, sed corpus Adae, quod prius formavit ex terra, non potuit vivificare.

Sed dicunt quidam, quod Deus omnipotens ipsum corpus inspiravit et vivificavit. Nec tamen certum de vivificatione et inspiratione corporis Adae valemus dicere, quia fere quot sunt haeretici tot fabulationes de hoc ad libitum suum apponunt. In hoc vero omnes consentiunt, quod diabolus corpus formaverit.

Praeterea dicunt, quod Deus pater misit bonum angelum ad videndum, qualiter Lucifer distinxerat elementa et quomodo operatus fuerat ex eis. Lucifer vero apprehensum eum angelum per virtutem oppressit et posuit eum in corpus, quod formaverat, suffocando ipsum. Istum ita esse factum confirmant per similitudinem, quam Christus dixit in Evangelio Matthaei. Servus ille, qui debebat X. millia talentum fuit Lucifer, qui in coelo peccavit. Dominus divinus debitum ei, i. e. sapientiam et alia dona naturalia non abstulit ei, et egressus servus, i. e. Lucifer e coelo projectus, invenit unum de conservis suis seu angelum bonum a Deo missum. Et tenens suffocavit eum et posuit in carcere, i. e. ipsum corpori, quod formaverat de terra, associavit, et ita vivificatum est corpus Adae. Corpus vero mulieris de costa Adae dormientis, ut in Genesi legitur, factum esse credunt. De spiritu vero, qui vegetavit corpus Evae et de spiritibus, qui postea alia corpora propagata vegetaverunt, divisae inter eos sunt opiniones, de quibus postea plurius agemus. Peccatum vero Adae suasu serpentis hoc modo factum esse

delirant. Dicunt enim, serpentem accessisse mulieri et cum cauda eam adulterasse, et ita libidinosum pruritum carnis in eam infudisse, de quo coitu quidam illorum ortum esse Cayn suspicantur. Mulierem vero in luxuria assuefactam ad Adam ivisse et ei, qualiter secum coiret, ostendisse et suasisse dicunt. Ita a serpente decepti peccaverunt. Istum esse esum ligni scientiae boni et mali autumant, quod eis inhibitum, et hoc dicunt Moysen velatis verbis significasse sub nomine pomi vetiti; propter hoc verisimile dicunt esse, quod vir et mulier continuo membra illa pudibunda cooperuerunt ad significandum, quod in illis membris peccaverunt. Omnia autem animalia, volucres, pisces et cetera opera, quae per sex dies in Genesi facta esse dicuntur, fabulantur Luciferum fecisse et ordinasse ex intentione, ut, quia de coelo projectus erat, ubi dominium super angelos habebat, posset in mundo isto dominari et principari hominibus sine fine, Deo vero alia intentione permittente, ut congruo tempore per adventum Christi aliquos de mundo salvaret. Ihr Grund: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, sed Adam factus est peccator, ergo ille Deus peccator erat. Hunc credunt diabolum fuisse aliis daemonibus congratulando, quod Adam peccaverat.

Item inconveniens esse dicunt credere Deum omnipotentem fecisse serpentes, bufones et alia repentia animalia terrae, in quibus nulla utilitas est etc. Corpora vero hominum ideo a diabolo facta esse machinantur, quia corpus hominis habet pudenda membra, praeterea spiritus quasi naturaliter peccare appetit.

Sicut diabolum V. T. dedisse fabulantur, eodem errore prophetas misisse mentiuntur. Ea vero, quae prophetae de adventu Christi praedicebant, Spiritum sanctum autumant per eos quasi per tubam dixisse. Garriunt enim, prophetas per Spiritum sanctum quandoque coactos, quae prophetabant de adventu Christi, tanquam bruta animalia non intellexisse. Quando autem bella futura regibus comminabantur, aut captivitatem Judaeis, sive pestilentias aliquas praedicebant, tunc maligni spiritus instinctu eos vaticinari temerarie asse-

verant, addunt quoque quidam illorum, omnes prophetas esse damnatos praeter Isaiam. Habent enim quendam libellum Isaiae, in quo continetur, quod spiritus Isaiae a corpore raptus usque ad septem coelos deductus est, ibique vidit et audivit arcana verba, quem libellum, quia tales innectit fabulas, carius amplectuntur. Scripturam illam esse credo apocryphan a catholicae fidei orthodoxis olim repudiatam, quae apud illos huc usque retenta est. Plures vero illorum, ut rationabilius sapere videantur, dogmatizant, quum prophetae resurrexerunt cum Christo et denuo homines facti sunt, conversati quoque cum . . . . . manuum impositionem ab ipsis re-(ceperint)*), mortui in corporibus salvi . . . opinantur dici in evangelio**), tradunt enim haeretici neminem ante adventum Christi potuisse salvari.

Alii animas ex traduce esse dicunt, credentes, quod sicut corpora a corporibus propagantur, ita ab animabus parentum filiorum animae procreantur.

Alii autem dissentientes a praedictis credunt, quod Deus . . . . mundi per casum angelorum tot spiritus creavit simul quot fuerunt illi, qui ceciderunt, et autumant, quod per diversa temporum circula illos spiritus singillatim humanis infundit corporibus, et isti salvantur tantum et non illi spiritus qui de coelo ceciderunt. Fabulantur ad hoc, quod spiritus illi apostatae, qui daemones dicuntur, incorporantur, sed nunquam poenitentiam faciunt, et exeuntes de corporibus alia intrant corpora, et hoc erit usque ad finem mundi; in fine vero mundi secundum eos boni spiritus et mali aequales erunt in numero, ita quot damnabuntur tot salvabuntur. Summa igitur verborum haec est, quod modo Deus non creat spiritus novos, quia in principio mundi, ut diximus, simul omnes spiritus salvandos totidem quot spiritus, qui ceciderunt, creavit. Nullus vero illorum spirituum, quos in principio mundi creavit Deus, damnabitur, quia per diversa . . . . .

*) Unleserlich.

**) Die Stelle Matth. 27, 53 von den bei der Kreuzigung Christi Auferstandenen ist gemeint.

Credunt similiter, sed non publice praedicant, quod spiritus illi, si non salvantur in uno corpore, intrant aliud corpus, usque dum poenitentiam faciant; poenitentiam vero nonnisi de peccato, quod in coelo commiserunt, eos facere dicunt.

Versipellis siquidem et erronea eorum credulitas Christum, filium Dei, angelum et creaturam et non Deum coaeternum Patri et Spiritui s. confitetur. Propterea dicunt, quod Pater et Filius et Sp. s. non sunt una essentia.

Quidam ex haeresi Archillorum dogmatizant, quum Deus tres angelos misit in mundum, unus ex eis formam mulieris accepit, et hic fuit b. Virgo Maria. Alii duo angeli viriles formas sumpserunt. Unus fuit Christus, alius Joannes Evangelista, quem ipsi credunt adhuc in illa forma existere, quam assumpsit, ideo quia dixit Christus de eo: „Sic eum volo manere, donec veniam.“ Machinantur insuper, illum angelum in muliebri forma appellatum M. V. assumpsisse in se nescio quo pacto alium angelum, qui dictus est Jesus Christus, ut sic de conceptione matris illius diceretur. Sententia haec illorum talis est, quum illi tres angeli non vera habuerant corpora, sed quasi aëria, et spiritualia corpora sibi vindicaverunt, ut sic similitudinem et habitum qualitatesque humanorum corporum viderentur habere. Hanc haeresin quia auctoritatibus approbare nequeunt, quibusdam similitudinibus moliuntur astruere. Spiritus s., inquiunt, corporali specie descendit super Christum sicut columba, nec tamen verae columbae corpus fuit ex praejacentis vi materia, ut fieri solet, procreatum. — Alii vero de sapientibus haereticorum . . . . . praedictam fabulationem falsam esse credentes, aliud fingunt deliramentum, quod versa vice alii concedunt esse fabulosum. Beatam quidem Virginem Mariam de sola muliere sine semine viri natum esse opinantur. Et nec quippe eo modo filium . . . . carnem sumpsisse, ut veram humani corporis haberet naturam, audent confiteri, ne . . . . . Christum de massa humanae carnis, quam diabolus secundum illos condidit, corpus habuisse convincantur credere; dicunt enim, quia Christus

in ea, non de ea corpus assumpsit, non quidem hujus creationis, sed corpus spirituale, operatione Spiritus sancti ex alia materia concreatum, quo mediante corpore filius dicitur Jesus Christus ab hominibus, cum eis conversando videbatur; et quando volebat, se hominem corruptibilem et passibilem aliosque humanae naturae defectus habere simulabat, quandoque autem se spirituale corpus habere ostendebat, cum in medio hominum ipsum comprehendere volentium positus ab oculis eorum evanesceret. Hinc namque credunt apostolum dixisse: Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, et alibi: In similitudine hominum factus et habitu inventus ut homo. Pars denique haereticorum Mariam Virginem de patre et matre carnalibus confitentur procreatam, et non praefatae sententiae aliorum consentiunt. Quamvis vero eorum regnum per diversos sit errores divisum et propterea stare non poterit, in hac tamen erroris malignitate compaginatum et conjunctum, ut non credant, Christum verum, sed phantasticum corpus habuisse, omnia quoque alia, quae verae sunt humanitatis indicia, videlicet esuriem, sitim, algorem, fatigationem, dormitionem et cetera, infirmitates corporis non vere . . . . . in corpore Christi fuisse, sed ea in apparentia hominum se habere ostendisse mentiuntur. Propterea non credunt, Christum animam, quae corpus vegetaret, habuisse, sed illud phantasticum corpus ab angelo illo, quem Deus misit in mundum, vegetatum fuisse dicunt. Ut enim supra diximus, Christum non Deum aeternum, sed angelum excellentissimum confitentur. Consequentia harum sententiarum haereticarum talis est, quod Christus non vere passus est, nec vere mortuus, nec ad inferna descendit, nec vere in corpore resurrexit, denique nec cum corpore in coelum ascendit . . . . .

Manuum impositionem, sine qua neminem credunt posse salvari, illorum episcopus facit. Si vero non adsit episcopus, duo filii episcopi tunc faciendi potestatem habent. Duos namque praelatos secundum gradum juxta episcopum tenentes ordinant, quos filios ecclesiae et quasi visitatores appellant. Hi duo loca et civitates, in quibus eorum sunt

conventicula, circumeunt, et fratres suos visitant, et in proposito suae sectae doctrina sua confirmant, si quae corrigenda sunt corrigentes. Si quos vero minus cautos inveniunt, ab unitate catholicae fidei rapere et in ventrem sui erroris transglutire desudant. Praeterea alios habent praelatos, quos diaconos appellant; episcopus unusquisque per singulas civitates constituitur, qui viris et mulieribus suae sectae praeest, ipsos secundum arbitrium suum disponendo. Hospitium vero proprium illorum diaconi tenent, in quo fratres extraneos supervenientes hospitalitatis gratia suscipiunt, eisque diligenti providentia hilariter necessaria tribuunt. Glutino enim dilectionis ad invicem vehementer sunt connodati. Potestatem itidem diaconi habent conferendi manus impositionem episcopo et duobus filiis praedictis absentibus. Alios namque praelatos non habent. Verum si necessitatis causa exposcit, et subditis haec potestas conceditur. Hujus nempe sacramenti solemnitatem convocata fratrum et sororum multitudine celebrant. Virum vel mulierem post unius anni probationem hoc suscepturum in medio eorum statuentes, ibique unus de praelatis praedictis, sive aliquis alius antiquitate et sapientia dignior longam pertrahit orationem, docet enim eum, quid credere et qualem conversationem cum eis habere debeat; nullam quoque spem salutis in fide Romanae ecclesiae vel ejus sacramentis habere, et quanta constantia et stabilitate pro fide et doctrina sua tuenda omnia ....

XI.

Summa contra haereticos. Cod. Monac. lat. 544. (Saec. XV.)

Dicunt quidam haeretici sacramentum baptismi nullam habere efficaciam nec in parvulis nec in adultis, dicunt enim omne meritum esse penes voluntatem hominis et non penes rem extrinsecam sed penes intrinsecam i. e. voluntatem, et hoc probant sic: Aliquis accedens ad baptismum si est adultus sicut in primitiva ecclesia Martyres antequam paterentur

rogabant baptizari, sicut b. Laurentius baptizavit Romanum, sicut dicitur: auferens autem urceum cum aqua etc., similiter etiam infiniti alii, aut ille baptisandus poenitet de peccatis suis aut non; si non poenitet non prodest sibi baptismus: si poenitet jam justificatus est, ergo omne peccatum remissum est, et baptimus non habet efficaciam remittendi peccatum. Item apostolus: neque baptismo remittitur peccatum sed sola divina gratia. Item si baptismus institutus est in remissionem peccati, quare non ab initio humani generis fuit institutus, quod Adam fuisset baptizatus et omnes alii ante passionem et peccata fuissent eis remissa et sic Christus non fuisset passus pro peccatis nostris. Item quae est ista vis aquae, ut corpus tangat et mentem abluat? — Dicunt etiam quidam haeretici, quod baptismus non prodest sine manuum impositione, quia legitur in Act. Apost., quod Apostoli imponebant manus super baptizatos, ut acciperent Spiritum sanctum; sed Spiritus sanctus datur quando peccatum remittitur, etiam sine manus impositione. — Item haeretici ponunt differentiam inter consolatos et perfectos. Consolati sunt illi qui nuper et noviter ad eorum haeresin pervenerunt. Perfectos vocant illos qui in haeresi confirmati sunt. Sequitur consequenter alia quaestio. Quaerunt etiam haeretici, quare credamus nos Christiani panem fieri corpus Christi, cum in Symbolo Apost., sc. Credo in Deum, nihil de isto pane dicitur, et in illo symbolo, Credo in unum Deum, item nec in eo: Quicunque vult salvus esse; in istis enim symbolis tota fides nostra consistit, et nulla mentio fit ibi de corpore Christi. — Sunt etiam quidam haeretici, qui dicunt: soli Deo sufficit confiteri cum lacrymis et amaro corde, et non sacerdoti, et hoc probant sic: Petrus flevit quia Christum negavit. Dicit Ambrosius super Lucam: Invenio quod flevit, non tamen invenio quod dixerit, lacrymas lego ejus, satisfactionem vel confessionem alicui factam non lego. Item Propheta dicit: Revela Domino viam tuam et spera in eo et ipse faciet; non enim si non dixeris ignoret ea etc. — Item praedicti haeretici nuptias damnant, quod probant sic: si conjugium esset bonum, Christus nequaquam Johannem

Ev. a conjugio revocasset. Item dicunt quod conjugium sit contra legem coelestem, quia jure poli omnia sunt communia, sed conjux est propria viro et e converso. Item si bonum esset nubere quare Apostolus ait: Volo vos esse sicut ego sum i. e. continentes? — Item haeretici praedicti objiciunt nobis illud apostolicum: viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit ecclesiam, in quo potenter volunt probare, quod inter virum et mulierem nulla debet esse fornicatio sed pura continentia, sicut fuit inter Christum et ecclesiam. — Item dicunt: Quicunque reliquerit patrem aut matrem suam aut agros aut uxorem, centuplum accipiet. — Item dicunt haeretici quidam ordinem diaconatus vel sacerdotii non esse sacramentum quod probant sic: Non legitur apostolos usquam fuisse ordinatos in sacerdotes, quare ergo vicarii eorum ordinantur? Item Apostoli non leguntur uncti chrismate, quare ergo unguntur eorum vicarii? Item merita faciunt ut aliquis sit dignus officio aliquo, quare ergo ordo confertur? — Dicunt etiam haeretici quod locus specialis ad orationem non pertinet, sicut est ecclesia et hujusmodi, quia sicut ubique est Deus ita ubique potest orari et Deus adorari. Item dicitur: Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu etc. Item si locus est unus adorationis, quare heremitae antiquitus in absconditis locis habitabant et ecclesias non curabant? Quid operantur parietes ad supplicandum illi qui ubique est? Item quomodo potest esse oratio fructuosior in templo quam illa quae fuerit in agro si par fuerit devotio? — Dicunt etiam haeretici supradicti quod orationes sanctorum non prosunt vivis nec orationes vivorum mortuis, et nolunt quod sancti orent pro vivis, quia sancti mediante gratia Dei sciunt qui sunt damnandi et etiam qui sunt salvandi, pro damnandis non orant quia orationes eorum nihil valerent, quia in inferno nulla est redemtio; item pro salvandis non orant quia bene sciunt quod debent salvari et sic oratio eorum esset superflua. Item judicabitur secundum merita et opera sua quilibet, et ideo orationes sanctorum non prosunt quantum ad meritum vel quantum ad praemium, quia nec augent merita nec praemia. — Item

sancti damnatis non compatiuntur ergo pro his non orant. — Etiam dicunt haeretici praefati carnibus non esse utendum, et hoc asserunt sic. Deus maledixit terrae dum dixit: maledicta terra in opere tuo, et in illa maledictione maledixit animalibus quae de terra vivunt, et ideo eis non est utendum quia sunt animalia maledicta. Item Christus nunquam legitur comedisse carnes nisi in ultima coena ut legem Moysis adimpleret, antea non comedit carnes ut et nos ita faceremus. Item multi sancti leguntur non comedisse carnes, ergo et nos. — Dicunt etiam haeretici: quando homo vadit ad confessionem, jam compunctus est et contritus pro peccatis suis et statim Deus dimisit ei peccata sua, quia quacunque hora ingemuèrit peccator etc. Quid dimittit ei sacerdos cum omnia peccata sua sunt ei a Deo dimissa; video quod sacerdos eum ligat vinculo temporalis poenae, sed non video a quo eum absolvat, quia sine ministerio sacerdotis sunt ei peccata jam a Deo dimissa.

Nunc dicendum est de errore Manichei, qui posuit duo principia aeterna sc. principium lucis et tenebrarum. Principium lucis dixit Deum a quo sunt spirituales creaturae, ut sunt angeli, archangeli, animae et hujusmodi quae non sunt corporalia. Principium tenebrarum est Lucifer a quo sunt omnia corporalia in eo, et hoc probant sic: Non potest arbor bona fructus malos facere et e converso mala arbor bonos. Cum Deus summe bonus sit, mala ab ipso non sunt creata, sed si mala sunt, ab aliquo sunt, ergo ab alio quam a Deo, ergo cum Deus sit principium bonorum alius est principium malorum. Item in Genesi legitur, quod tenebrae erant super faciem abyssi et sic mundus habuit principium a tenebris, mundi creator itaque fuit principium tenebrarum, et sic malus fuit factor hujus mundi quia creationis suae initium recepit a tenebris. Item Christus solus ait in Evg.: Venit princeps hujus mundi et in me non habebit quicquam; in illo loco vocat Luciferum principem hujus mundi potius quam se et ita erat. Item dicit Evg.: nemo potest duobus Dominis servire sc. Deo et diabolo, ibi Christus vocat se dominum et etiam diabolum dominum, sed Christus non di-

citur dominus nisi creationis ratione cum Patre et Spiritu sancto; ergo a simili diabolus dicitur dominus ratione creationis. — Item si Deus ista visibilia istius mundi fecit, aut facere potuit incorruptibilia aut non. Si non potuit fuit impotens et non omnipotens; hoc nullus fateretur. Si potuit et noluit, invidus fuit. Item si Deus est immutatus, et ejus effectus est immutabilis, sed opera sua sunt mutabilia, ergo et causa eorum mutabilis est. — Item quaedam creaturae sunt quae videntur non esse alicujus utilitatis ad creandum, ut sunt muscae, araneae, pulices, pediculi, urticae et similia, ut ranae, serpentes, basiliscus et hujusmodi; cum ista ad malum sint et non ad bonum, a malo sunt creata et non a bono, ergo diabolus creavit ea qui est malus et non Deus qui est bonus. — Item quidam haeretici negant Deum singulis diebus creare animas et infundere humanis corporibus, et dicunt quod illi daemones qui ceciderunt, infunduntur corporibus humanis Dei permissione et ibi agunt poenitentiam in octo corporibus vel XVI. Insuper dicunt quod omnes spiritus qui in coelo angelici erant, cum Lucifero ceciderunt et nullus remansit, et hoc probant sic: Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel. Item nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo filius hominis et angeli ejus. Item: Misereris omnium et nihil odisti eorum quae fecisti. Item dicunt quod Lucifer in Antichristum fundetur, et ibi aget poenitentiam, secundum illud: Lucifer in Antichristo totaliter regnabit. — Item dicunt haeretici Christum ad inferos non descendisse et animas non eduxisse, quia nulla anima ante passionem salvabatur. Item dicunt prophetas damnatos omnes et Johannem Bapt., quia dubitavit de Christo, omnibus mediantibus discipulis dixit: Tu es qui venturus es ad infernum, an alium exspectemus? Et Jesus non dixit ego sum vel non sum, ergo dubitavit. — Item quidam haeretici negant Christum surrexisse. — Item dicunt quidam haeretici quod Christus verum corpus hominis non habuit, sed umbram humani corporis, quia si corpus hominis habuisset nequaquam uterum clausum exivisset. Item quomodo potuit humanum corpus

ejus ambulare super mare pedibus siccis? item clauso ostio intrasse ad discipulos. Item non dicunt eum vere esse mortuum nec dolorem habuisse in passione sua, quia Hilarius dicit: nulla passio et nullus dolor fuit in Christo. Item dicit apostolus: habitu inventus est ut homo. Item si dedit discipulis suis corpus suum ad manducandum, quod corpus de mane feria sexta passum fuit, quare de nocte fuit manducatum. — Item dicunt haeretici Christum nec bibisse nec comedisse, secundum id: Omne quod intrat in os, in secessum mittitur; sed nos cum Jeronymo libentius volumus esse agrestes Katholici quam cum Manichaeo carnales (?) haeretici. — Item quidam haeretici negant resurrectionem mortuorum. — Quod resurrectio mortuorum non sit, ipsi haeretici probant per Salomonem, qui dicit: Unus est interitus hominis et jumentorum. — Dicunt etiam quidam haeretici, Christum carnem sumsisse, sed filium Dei non fuisse, (quia) absurdum esset dicere filium Dei carnem sumsisse. Item aliqui haeretici dicunt, Christum accepisse coeleste corpus et beatam Mariam de coelesti materia creatam, et de tali corpore Christus accepit corpus suum, quia Paulus dicit, qui de terra est, terrestris est, ut Adam et alii homines, qui autem de coelo est, coelestis est, ut Christus, et illa coelestis substantia apparuit in transfiguratione Christi in monte Thabor. Item nullus propheta etc. dicit, b. Virginem habuisse patrem et matrem, ergo de coelo formata est, et ex subtili natura assumta de virgine. Christus potuit ambulare super mare siccis pedibus et intrare ad discipulos janua clausa et exire clauso itero aliter nullo modo nisi ex illa coelesti natura. Item dicunt eum non comedisse nec bibisse quia natura coelestis non eget nutrimentis. Item (nemo) ascendit in coelum nisi qui descendit, filius hominis, quomodo ergo in illa coelesti materia pati potuit et hujusmodi? — Dicunt etiam isti maledicti haeretici, legem Moysis datam a principe tenebrarum i. e. diabolo, et legem evangelicam a principe lucis i. e. a Deo, et sicut sunt duo rerum principia ante dicta sic sunt duo testamenta a duobus principibus. Probatio primae legis: lex Mosaica lex

mortis et peccati dicitur, ergo a malo fuit, et a malo data est i. e. a diabolo. Item dicit apostolus: lex subintravit, ut abundaret delictum. Item alibi dicitur: lex neminem duxit ad perfectionem. Item si lex Mosaica bona est, quare est deleta a Christianis et quare non tenent Christiani eam. Item si aliquis Christianorum modo servaret legem Mosis, mortaliter peccaret, ergo mala fuit, vel si bona, quare nunc mala? Similiter dicunt haeretici, antiquos patres omnes fuisse malos et damnatos aeternaliter, et hoc probant sic: Moses dubitavit de potentia omnipotentis Dei, et ideo terram promissionis non intravit, et etiam homicida fuit; item Aethiopissam contra legem duxit. Similiter Aaron dubitavit de potentia Dei et vitulum fecit conflatilem. Item eandem sententiam ferunt ad Abraham pro eo quod filium suum immolare voluit, hoc fuit contra legem naturae et decem praecepta quae dicunt: Non occides. Item Isaac vocavit uxorem suam sororem, ideo mendax fuit et Abraham idem fecit. Item Jacob primogenitam fratri suo subripuit et patrem mendacio decepit, cum dixit, ego sum primogenitus tuus. Item Noe inebriatus femora sua denudat turpiter; item Enos filius Seth primus idolum invenit; item Samson alienam duxit et se ipsum interfecit; item Jephte propriam filiam immolavit; item Loth filias proprias cognovit ambas; item David adulter et homicida fuit; item Job se injustum et perjurum dixit et asseruit. Item dicunt: in inferno nulla est redemtio et omnes antedicti patres descenderunt ad infernum, ergo damnati. — — Praedicti haeretici dicunt, baptismum parvulis non valere, quia sunt sine peccato, et hoc probant sic. Pater et mater cum carnale commercium celebrant in lecto nota quia spe generandi coeunt, ergo non peccant, imo exercent opus unum de VII sacramentis, etiam parvuli qui generantur non peccant, nec Deus qui creat eos peccat, per quos ergo rivulos peccatum intrat in parvulos. Item anima ex creatione Dei non est immunda, sed ex fusione vitiatur et immundatur, ex corpore fit ei injuria, quare debet puniri pro eo quod corpus fecit vel quod innatum est corpori quia maculam non habet a se sed aliunde. —

Explicit summa bona contra haereticos, Judaeos et paganos.

XII.

Formules de lettres et sentences et autres actes de l'inquisition, extraits d'un livre de l'inquisition de Carcassonne. (Cod. reg. Paris. in Collect. Occitan.)

Forma sententiae haeretici obstinati. Dicunt, quod ecclesia Romana sit mater fornicationum et Babylon ebria sanguine sanctorum, basilica diaboli et Satanae synagoga. Omnia sacramenta esse falsa inania et vana. Christum non vere sed solum in similitudine passum fuisse et surrexisse et alia nostrae salutis opera peregisse, nec cum carne ad Patris dexteram ascendisse. Suam et suorum ecclesiam, quam dicunt esse veram poenitentiam, confingunt esse Mariam Virginem. Resurrectionem corporum negant, confingentes quaedam spiritualia corpora et quendam interiorem hominem, in quibus et qualibus corporibus se et suos resurrecturos asserunt.

Sententia contra haereticum qui se posuit in Endura: quinimo ad cumulum suae damnationis tamquam perditionis filius mortem corporalem sibi accelerans et properans ad aeternam, ab eo tempore, quo captus exstitit, noluit quidquam comedere nec bibere nisi aquam frigidam, tamquam sui spiritus proprius homicida, idcirco etc.

Sententia contra Valdensem: Sectam Valdensium tenere et servare coepit participando et communicando cum Valdensibus professoribus dictae sectae, sciens, ipsos esse tales, comedendo et bibendo ac secundum ritum eorum cum eisdem orando flexis genibus inclinatus, verba et praedicationem eorum, quam suis credentibus faciunt, in suis conventiculis audiendo et in domo propria eos receptando, nec non peccata sua eis aliquoties vel pluries confitendo et absolutionem ac poenitentiam, quam melioramentum de peccatis vocant, recipiendo simpliciter ab eisdem, fuitque post-

modum consequenter receptus secundum modum et ritum ipsorum ad sectam et ordinem illum, quem dicunt professionem et observationem evangelicae et apostolicae paupertatis. — Jurare esse omnino illicitum pro quacunque causa sive in judicio sive extra judicium. — Tenent se et suos complices non esse subjectos Papae nec aliis praelatis Romanae ecclesiae, quia eos ipsa Romana ecclesia, ut dicunt, injuste persequitur et condemnat. Item asseverant, se non posse excommunicari ab eisdem, Romano Papa et praelatis, nec esse obediendum alicui ex eisdem, praecipiendo sectatoribus et professoribus dictae sectae, quod ipsam deserant et abjurent. Dicunt se tenere verba evangelii et s. Jacobi apostoli de non jurando. — Dogmatizant, omne judicium esse a Deo prohibitum, et per consequens esse peccatum, et contra Dei prohibitionem existere, quod judex aliquis in quocunque casu vel in quacunque causa hominem judicet ad supplicium corporis aut poenam sanguinis sive ad mortem, verba evangelii: nolite judicare — sine expositione debita ad hoc applicantes. Tenent et docent, se habere potestatem a Deo sicut s. apostoli habuerunt audiendi confessiones peccatorum sibi volentium confiteri, et absolvendi et poenitentiam injungendi: Indulgentias irridendo asserunt non valere —, negant esse post hanc vitam purgatorium, et consequenter orationes et eleemosynas et missarum celebrationes et alia suffragia pietatis, quae fiunt a fidelibus pro defunctis, asserunt non prodesse. — Item praelatos et clericos Romanae ecclesiae asserunt esse coecos et duces coecorum et non servare evangelii veritatem, nec sequi evangelicam et apostolicam paupertatem, ipsamque Romanam ecclesiam esse domum mendacii. Item se ipsos vitae et perfectioni apostolorum comparantes et meritis coaequantes, in se ipsis inaniter gloriantur, jactantes se tenere et servare vitam Christi et apostolorum et evangelicam et apostolicam paupertatem.

Incidenter autem sectae Valdensis tres ordines in isto loco extra formam sententiae describuntur hoc modo:

Item dicta secta tres esse ordines in sua ecclesia con-

fitetur, videlicet, diaconum, presbyterum et episcopum. Episcopus autem eorum Major omnium appellatur, et ab omnibus presbyteris et diaconis eligitur in Majorem, et facta electione concordi et oratione communi et peccatorum confessione privata ac deinde publica non quidem in specie sed in genere peccatorum, demum si aliquis Major inter eos fuerit praesens, alioquin presbyter aliquis ex eisdem orando et dicendo Pater noster imponit manum super caput electi, ut accipiat Spiritum sanctum, et post eum omnes alii tam presbyteri quam diaconi imponunt super caput ejus manus suas per ordinem sigillatim, et sic sine aliqua alia forma verborum et absque traditione cujuscunque rei et sine insignibus Pontificalibus per solam orationem et manuum impositionem apud eos episcopus ordinatur, ad cujus potestatem pertinere dicunt sacramenta poenitentiae et ordinis et eucharistiae ministrare, nec non evangelium, ubicunque voluerit, praedicare et potestatem praedicandi evangelium et confessiones audiendi presbyteris dare. Item dictus Major potest absolvere quemcunque sibi confitentem a peccatis sibi confessis, qualiacunque sint peccata. Item potest remittere totam poenam debitam peccatis, vel partem, licet communiter hoc non fiat; quando autem absolvit a peccatis, dicit ita: Deus te absolvat ab omnibus peccatis tuis, et ego injungo tibi contritionem de peccatis tuis usque ad mortem, et talem poenitentiam faciendam, puta orationes vel jejunia vel utraque.

Presbyter autem apud eos taliter ordinatur: postquam enim electus fuerit in presbyterum, praemissa oratione et peccatorum confessione Major ipsorum imponit manus super caput presbyteri ordinandi et post eum presbyteri ibi praesentes, ut ille accipiat Spiritum sanctum; in impositione vero manuum a Majori confertur ordo. Ad potestatem autem presbyteri taliter ordinati pertinet confessiones peccatorum audire, non tamen potest poenas peccatorum (remittere), potest tamen ordinare Majorem seu Majoralem ipsorum in eo casu, in quo omnes alii essent mortui, quia dicunt, quod per hoc quia diaconi et presbyteri sunt in statu eorum in

quo omnia propter Christum reliquerunt, sunt ordinis et gradus apostolorum.

Diaconi vero taliter ordinantur: facta electione et ordinatione ut supra et confessione, solus Major dicendo Pater noster imponit manus super caput diaconi ordinandi, ut accipiat Spiritum sanctum, et nihil aliud fit circa eum et est taliter ordinatus. Diaconus efficitur de eorum statu cum voto, quod facit paupertatis, castitatis et obedientiae, nec ante receptionem dicti ordinis aliquis est perfectus in eorum statu, sed alii, qui non ordinantur, vocantur credentes et amici eorum, a quibus etiam recipiunt sustentationem; ad diaconum autem pertinet ministrare tam Majori quam presbyteris necessaria corporis, non tamen habet potestatem audiendi confessiones. Item sine alia forma verborum cum sola oratione sicut dictum est, et sine collatione seu traditione alicujus rei corporalis per solam manus impositionem apud eos tam episcopi, quam presbyteri et diaconi ordinantur et indifferenter tam laici et idiotae, quam etiam literati, dummodo probati prius fuerint in dicta secta et electi post modum, sicut superius est expressum.

Forma sententiae haeretici de secta quorundam, qui se dicunt Beguinos sive pauperes Christi sive de quodam tertio ordine, separantes se a communitate aliorum et potestatem Papae et ecclesiae enervantes. Dicit se credere, quod non est obediendum alicui Praelato praecipienti quibusdam professoribus regulae S. Francisci, quod deponant quosdam habitus curtos et strictos difformes ab habitibus communicatis aliorum dictae regulae professorum, quos per se ipsos assumserunt; ita quod nullus mortalium potest eos cogere ad ipsos habitus dimittendos, ex eo, quod illud quod est contra observantiam regulae S. Francisci et ejus intelligentiam est per consequens contra evangelium et fidem, et est verbo et facto Christi evangelium et ejus regulam impugnare, et quod ex hoc sequeretur destructio vitae christianae. Item quod illi qui procedunt contra fratres portantes habitus curtos et strictos, sunt in errore contra verita-

tem evangelicae regulae, et per consequens contra veritatem evangelii et fidei. —

Item quod Dominus Papa nec habuit nec habet potestatem faciendi quandam constitutionem, quam fecit de consilio Cardinalium, in qua Praelatorum dicti ordinis judicio commisit determinare et arbitrari, cujus longitudinis et latitudinis formae seu figurae et similium accidentium debeant esse habitus professorum dictae regulae et cujus quantaeque vilitatis vestimentis indui oporteat ipsos fratres; et insuper determinare et arbitrari, quo casu, qualiter, ubi et quando et quoties gratiam, panem et vinum pro vita fratrum necessaria fratres ipsi quaerere debent, conservare et reponere. Item asserit, quod nec Papae nec praelatis ordinis obediendum est in his, quae in illa constitutione continentur, ex eo quod in eadem constitutione contenta sunt, contra consilium Christi et contra dictam regulam, contra quam Papa facere non potest. Item quod nullus Papa potest tollere ordinem fratrum minorum, nec in alium commutare; item quod tertium ordinem beati Francisci Papa non potest tollere, nec mutare; item quod non potest facere, quod fratres minores, qui volunt tenere regulam beati Francisci, se debeant conformare communitati ordinis in granariis et cellariis habendis, in habitibus laneis et superfluis portandis. Item quod constitutio Papae Joannis XXII. super praedictis nec rite nec juste facta fuit; item quod illi fratres minores, qui propter hujusmodi inobedientiam et rebellionem sunt per inquisitionem apud Massiliam judicati et relicti brachio saeculari, fuerunt injuste et contra Deum et veritatem puniti, et quod propter hoc fuerunt veri Martyres effecti. Item asserit, se credere doctrinam fratris Petri Johannis de ordine Fratrum minorum esse necessariam ecclesiae et nullum continere errorem, et quod illi, qui impugnant eam, impugnant doctrinam domini Jesu Christi et sunt haeretici. Item asserit, quod condemnare doctrinam praedicti fratris Petri Johannis, quem dicit esse et nominat sanctum Patrem, non est aliud nisi condemnare vitam Christi et apostolorum ejus et scripturam sanctam et exempla Christi et sanctorum ejus et

decreta sanctorum Patrum. Item dicit et asserit, Dominum Jesum Christum in cruce fuisse vivum et nondum in cruce mortuum lanceatum.

Forma sententiae immurationis cum signo hostiae rotundae contra personam, quae de et cum corpore Christi sortilegium aut maleficium aliquid perpetravit. —

Forma sententiae contra domum, in qua aliquis fuit haereticatus sciente domino domus.

Modus abjurandi haeresin. Ad absolutionem ab excommunicatione dicitur psalmus Miserere vel Deus misereatur nostri et poenitens percutitur virga; deinde sequitur oratio: praesta quaesumus domine his famulis tuis vel ancillis tuis dignum poenitentiae fructum, ut ecclesiae tuae, a cujus integritate deviavcraut, precando commissorum veniam consequendo reddantur innoxii, per Christum Dominum nostrum.

Haec omnia fiunt solemniter in publico sermone inquisitorum, convocato populo in aliqua die solenni in ecclesia vel alibi; si autem ex aliqua causa rationabili visum fuerit expediens contra sermonem inquisitorum et non coram multitudine convocata publice hoc esse faciendum, fiat tamen semper in praesentia et testimonio spectabilium personarum ad hoc convocatarum et fiant publica instrumenta, quibus etiam adhibeantur sigilla praesentium personarum.

Forma citandi illum, qui cruces deposuit nomine poenitentiae sibi impositas et aufugit. — Forma denunciandi excommunicatum esse fugitivum de muro, nec non citandi ipsum ut peremtorie compareat.

Forma convocandi peritos ad consilium pro agentibus in remotis: Fr. N. viro venerabili provido et discreto: cum tali die in tali loco tractare vobiscum et cum aliis sapientibus et peritis tam pro poenitentiis pro commissis in facto haeresis injungendis, quam de aliis quibusdam ad commissum nobis inquisitionis negotium spectantibus intendamus, rogamus vos et requirimus, quatenus ad praedictum diem et locum veniatis una cum aliis super praemissis nobis consilium impensuris, juxta gratiam et sapientiam a Deo vobis datam.

Forma literae testimonialis de amotione sive depositione crucum facta publice in sermone — de eductione muri — forma imponendi poenitentiam minorem alicui juveni extra sermonem super his, quae commisit in haeresi in juvenili aetate. —

Forma literae commutandi aliquam poenitentiam in opus religionis ex aliqua pia causa. —

Forma literae relaxandi de muro non simpliciter sed ad tempus ex causa aliqua speciali. —

Forma commutandi peregrinationes in alia opera pietatis. — Forma scribendi ad applicandam materiam alicujus domus piis usibus quae propter haeresim fuit destruenda. — Forma scribendi contra molestantes illos, quibus cruces ad portandum nomine poenitentiae sunt injunctae. Cum sancta mater ecclesia nulli claudat gremium redeunti, imo gaudens suscipit fovet et protegit poenitentes — idcirco sub poena excommunicationis praecipimus, ne tales de tali loco extrudantur — quibus tamquam poenitentibus cruces sunt impositae ad portandum et peregrinationes injunctae — nec aliquis audeat irridere nec a locis propriis sive omnibus commerciis excludere vel quoquomodo alias molestare, ne ex hoc retardetur conversio peccatorum, et ne conversi propter scandalum abjecta poenitentia relabantur, imo libere permittantur tam in locis, unde traxerunt originem, quam alias, ubi commodius putarint habitare suamque agere poenitentiam sine molestia et in pace; alias enim contra molestantes, prout justum fuerit, per censuram ecclesiasticam procedemus.

Gaucelinus Episcopus haereticorum Tolosanus et Guilabertus de Castris qui successit ei in Episcopatu Tolosano et Johannes Cambiaire et Bertrandus Martini Episcopi haeretici qui successerunt similiter. — Guilabertus Episcopus haereticorum fecit ordinationem apud Montem Securum, et ordinavit Tento Episcopum in Agennensi et Vigoros de la Bocona Filium Majorem in Agennensi et Johannem Cambiaire Filium Majorem in Tolosano. —

Poncius Maguefort miles dixit, se vidisse multos haere-

ticos et haereticas stantes publice in castris de Manso SS. Puellarum e de Laurato et in aliis castris et villis indifferenter, ita quod a nemine sibi cavebant ante primum adventum Crucesignatorum. —

Fizas mater Bernardi de S. Michaele dixit testi, quod quando ipsa ivit Romam cum Regina Helis Honors uxore quondam Comitis Tolosani patris istius Comitis, vidit ipsa Fizas in omnibus hospitiis, in quibus hospitatae fuerunt, qualibet nocte haereticos, et adducebat ibi ad eam ipsos haereticos Petrus de Castlari, qui erat Scutifer ipsius Fizas, et etiam quando fuerunt in urbe, idem P. de Castlari adducebat quotidie ad ipsam Fizas in capella, ubi Papa Romanus audiebat missam, Diaconum haereticum in habitu peregrini, et ibi ipsa Fizas adorabat ipsum haereticum et loquebatur cum eo familiariter. —

Dixit et juravit (Archiepiscopus Narbon.) quod ipsa (mater Bernardi Othonis) est haereticata perfecta et vestita, sed modo propter metum hujus inquisitionis data est sibi licentia, quod comedat carnes et ut mentiatur, et faciat quaecunque voluerit, ita tamen quod circa latus ipsius stat haereticus qui consolaretur eam si necesse esset.

XIII.

Errores Haereticorum. Cod. Alderspac. 184. (membranac. Saec. XIV.)

Fol. 62. Quarta secta est Katharorum et Paterinorum. Kathari dicuntur a charto (cato) cujus posteriora osculantur, in cujus specie eis Lucifer apparet, vel a Catha, quod fluxus, defluunt enim in diversa judicia et errores. Dicunt naturam malam esse a principio malo et debere modis omnibus purgari ut scitius (citius) a natura mala revertatur (?) unde fluxum illum nolunt restringi mag . . . in animo. Hi ponunt duo principia et diabolum esse creatorem omnium visibilium. Jo. Venit princeps mundi hujus et in me non habet quidquam. — Trinitatem non credunt. Dicunt quod

utrumque principium creavit angelos suos. Diabolus cum suis angelis ascendit ad coelum et facto praelio cum angelis boni Dei extraxit tertiam partem creaturarum Dei et infundit eas quotidie in corpora hominum et brutorum, et ex uno corpore in aliud donec reducantur in coelum; et ideo non comedunt carnes.

De anima habent quatuor errores: I, quod animae sint daemones qui agunt poenitentiam in corpore. II^{us} error quod duae animae sint in uno corpore, una Dei alia diaboli. Hic error est propter fomitem. (Rom. V.) Tertius error quod omnes animae simul sunt creatae et de coelo lapsae. Quartus quod animae seminentur ut corpus. Dicunt etiam quod Christus non habuit veram naturam (humanam). Partes Veteris Testamenti damnant. — Johannem Baptistam damnant quia dubitavit: Tu es qui venturus est etc. Vetus Testamentum a diabolo dicunt datum propter legis gravitatem. Judicium futurum dicunt jam factum. Item sacramenta ecclesiae damnant. Resurrectionem negant. Carnes et ova comedere dicunt esse mortale peccatum, quia per coitum fiunt; item quia terra maledicta.*) Pueros baptizatos damnant ut homicidas. Item nullum dicunt salvari praeter eos. Item qui occidunt aves vel animal aut mustelam peccant mortaliter.

Sacramenta quatuor habent ficta; pro baptismo dant manus impositionem; quae non valet ab eo qui est in mortali peccato; fit etiam haec a feminis cum Pater Noster. Pro sacramento corporis Christi benedicunt panem in prandio et in coena, quem dant, et negant transsubstantiari panem in corpus Christi. Pro tertio sacr. poenitentiae dant manus impositionem quae tollit culpam et poenam. Item dicunt quod peccatum non minuit gloriam aeternam, nec poena inferni impoenitentia augetur, sed aequalis erit gloria et poena. Item quod culpa et poena simul remittitur. Unde dolent quod non expleverint libidinem, etiam cum sorore,

*) Hier bemerkt der Berichterstatter: Contra ergo eadem ratione non comedant herbas nec fructus.

ante suam conversionem; unde coeunt indifferenter. Item non reddunt usuras nec rapinas, sed dant parentibus nec dolent de peccatis. Item solum Deum invocant, nec se muniunt signo crucis.

Confitentur autem sic: Ego sum hic coram Deo et vobis ad faciendam confessionem de omnibus peccatis meis, quae sunt in me usque modo, et ad recipiendum de omnibus eis veniam a Deo et a vobis. Haec confessio fit publice praelato tenenti librum evangeliorum super caput ejus; reliqui dexteram apponunt cum orationibus. Si recidivat, hoc peccatum iterum confitetur. Semel in mense confitentur. Item saepe orant et jejunant sine ovis et casco. . . .

Qui comedit pullum de consilio medici, punitur ut se ipsum occidens. Item puer X annorum punitur ut peccator centum annorum. Poenas temporales dicunt inferri a diabolo. Item eleemosynas non dant. Item in fine si non potest dicere Pater Noster, prohibent dare cibum, et sic multi occiduntur.

De quarto sacramento sui ordinis, nota quod quatuor habent sacramenta seu ordines. Primus dicitur Episcopus, II^{us} filius major, tertius filius minor, IV^{us} diaconi Christiani vocantur. Diaconi confessiones audiunt et absolvunt subditos injungendo eis tres dies jejunii et centum genuflexiones. Mortuo Episcopo succedit filius major et majori filius minor. Episcopus solus ordinat et dat Spiritum sanctum. Si Episcopus peccat occulte mortaliter, omnes quibus manus imposuit, damnantur, et ideo plures manus imponunt, ut saltem per unius impositionem salventur.

Errant quidam dicentes animas perire cum corpore. Quidam dicunt quemlibet salvari in sua fide. Dicunt quidam quod non sit poena aeterna.

De Secta Manichaeorum.

Quinta secta est Manichaeorum. Hi de semine virginis vel de sanguine pueri cum farina conficiunt panem. Non comedunt carnem nec ova nec lac, nec vinum bibunt; animas dicunt redire in corpora hominum vel pecorum, herbas

vel plantas non carpunt, quia dicunt eas vivere et dolere, ideo neque spinas de agnis exstirpant; quia quasi homicidium reputant. Perfecti eorum nec pomum nec folium digito carpunt. Docent conjuges ut conceptum vitent; nuptias damnant; datorem veteris legis diabolum (ponunt). Duo principia ponunt; Spiritum s. dicunt esse haeresiarcham. Duodecim apostolos habent quos vocant magistros; episcopos septuaginta duos habent qui ordinantur a magistris, et presbyteros qui ordinantur ab episcopis, et episcopi habent diaconos; ceteri vocantur clerici. Baptismum negant. Item cum viri et feminae conveniunt in tenebroso conclavi, lumen accendunt, et subito apparet eis Cattus Maximus et osculantur eum in posteriora, quo peracto Cattus lumen exstinguit, et statim singuli abutuntur se invicem, masculi in masculos et feminae in feminas turpitudinem operantes, et ita consummatur mysterium iniquitatis.

Credunt*) autem praedicti Cathari, quod Deus coeli quem sancta colit ecclesia, sit Deus injustus, eo quod per violentiam injustam de coelo expulit Luciferum Dominum suum, quem vocant supremum Patrem suum, qui omnia visibilia creavit ut dicunt et corpora humana; quem putant per violentiam in fine seculi regnum suum debere recuperare; ita quod sol et luna simul unum puerum procreabunt qui erit antichristus, cujus adjutorio vincet Michaelem, et Deus coeli et ejus angeli firmabunt regnum Lucifero. Quidam etiam de praedictis haereticis magnas agunt poenitentias in auxilium Dei sui, ut suum contra Deum obtineat regnum. Praedictus Lebzer haereticus publice in judicio confessus fuit, quod decem annis portaverat cilicium ad carnem propter Luciferum.

---

*) Hier beginnt ein anderswoher genommenes Fragment.

XIV.

Incipit Summa de haeresibus. (Cod. Monast. Inderstorff. Nro. 314. fol. 303.)

Doctrina fidei in tribus consistit in praeceptis quasi in suppositionibus sive dignitatibus, sicut patet in illo articulo fidei sc. quod Deus dimittit peccata omnibus qui sunt in ecclesia, qui exprimitur in symbolo ubi dicitur ecclesiam sanctam catholicam s. contra remissionem peccatorum, ibi enim supponuntur transgressiones praeceptorum sive juris naturalis causae mortalis peccati, unde praecepta sive lex naturalis sunt quasi fundamentum fidei, sicut in aliis scientiis suppositiones; in articulis vero consistit quasi propositionibus, in sacramentis autem quasi conclusionibus, unde sicut tripliciter destruitur scientia, sc. destruendo dignitates sive suppositiones et . . . . propositiones aut conclusiones, ita tripliciter destruitur fides in praeceptis, articulis et sacramentis. Nota ergo quod omnis error haereticorum circa haec tria versatur, quaedam praecepta male interpretando et interpretationem sancti Spiritus quam dedit per os ecclesiae suae reprobando et per consequens omnes constitutiones contemnendo, articulos fidei negando, sacramenta pervertendo. Nunc de haereticis per ordinem videamus; et primo de Runcariis.

Runcarii in duobus errant, in praeceptis et sacramentis. Sed primo videamus de sacramentis. De baptismo dicunt quod malus sacerdos non baptizat sed magis polluit, secundum id: quidquid tetigerit immundus, immundum erit. (Num. 19, 22.) Malos autem omnes appellant qui sunt extra sectam ipsorum, unde omnes suos docent baptizandos esse, quasi non baptizatos sed magis pollutos.

Confirmationem, extremam unctionem et omne sacramentum quod fit per olei vel chrismatis linimentum, deridunt, dicentes quod quanto quis magis ungitur tanto magis impinguatur et ad combustionem praeparatur. De sacramento eucharistiae dicunt quod soli boni sc. qui sunt de

secta ipsorum, possunt id conficere, et quod tam viri quam mulieres, tam non sacerdotes quam sacerdotes. Dicunt etiam quod licet malus sacerdos non conficiat propter peccata sua, tamen in ore ipsius haeretici recipientis convertitur in carnem Christi propter merita sua qui erat in manu sacerdotis potius panis pollutus. De sacramento poenitentiae quod consistit in confessione peccatorum et in absolutione sacerdotis et in impositione satisfactionis et in aliis, iidem dicunt, quod quilibet bonus suae sectae potest audire confessiones, ligare et solvere, claves ecclesiae annihilantes. Purgatorium negant, et ita . . . . omnia suffragia ecclesiae subsannant, dicentes quod oblationes ad altare pro defunctis bonae sint, scil. ad pascendum sacerdotes ut eo lautius comedant et luxuriosius vivant. Item dicunt quod luminaria nocturna bona sunt, ne sacrista pedes suos offendat, et decimas, oblationes et eleemosynas dicunt dandas esse, sed solis pauperibus suae sectae, et non sacerdotibus, unde si aliqui dant sacerdotibus, propter simulationem dant. Suffragia pro defunctis bene concedunt quod prosunt sacerdotibus non tamen defunctis, quia, ut dicunt, aut sunt in coelo aut in inferno; si in coelo, non indigent talibus suffragiis, si in inferno, non eis prosunt. Item bene concedunt quod peregrinari (sit) bonum, sed peregrinari ad limina sanctorum stultum judicant, contemnentes ecclesias et sanctorum reliquias, imo non magis aestimantes ecclesias quam stabulum, dicentes, quod eorum corpora sunt ecclesia Dei, ecclesia autem manufacta nihil amplius sit quam acervus lapidum. Item jejunare ut dicunt bonum est, siquis non jejunet ab escis, quia secundum ipsos Dominus noster nunquam praecepit jejunare ab escis sed a vitiis; unde in Parasceve comedunt carnes insultantes ecclesiae, quae constituit jejunium quadragesimale, et dicunt: Venite, comedamus et destruamus ecclesiam diaboli. De ordinatis autem ab ecclesia dicunt (quod) quot recipiunt (ordines) tot recipiunt maledictiones, secundum id: Maledicam benedictionibus vestris (Malach. 2, 2.), unde quae fiunt ab hujusmodi ordinatis cum solemnitatibus . . . . contemnunt, dicentes cantus clericorum nihil aliud esse

quam clamores quosdam in inferno. Matrimonium et omne opus carnale conjugii condemnant, dicentes quod nihil aliud matrimonium est, quam continuata fornicatio, et ita per consequens omnes patres nostros damnant quantum in eis est; et si quis continere non potest, aeque licentiant ei coire cum soluta sicut cum conjugata, cum consanguinea sicut cum alia. Item quaedam praecepta male interpretantur dicentes omne juramentum mortale, et omne mendacium mortale et omne homicidium, ponentes in damnationem omnem saecularem potestatem exercentem judicium sanguinis, omnes peregrinationes in subsidium terrae sanctae et hujusmodi.

Sotolarii.

Sotolarii in tribus discordant a Runcariis, in baptismo, in eucharistia et matrimonio. In baptismo non errant; de sacramento eucharistiae dicunt quod quilibet potest id conficere, vir sive mulier, dummodo debitam formam observet. Item matrimonium non damnant, dummodo velint conjugati spe prolis commisceri; si alia quacunque intentione commisceantur, dicunt eos mortaliter peccare. In aliis vero omnibus concordant.

Oriliwenses.

Oriliwenses errant in multis articulis fidei; et primo in trinitate, dicunt enim quod trinitas non fuerat ante nativitatem Christi, sed tunc primo Deus Pater habuit filium, quando Jesus, quem dicunt filium fabri sc. Joseph carnalem, sicut ego sum carnalis filius patris mei, suscepit verbum praedicationis b. Virginis Mariae.*)

Manichaei.

Manichaei ponunt duo principalia, diabolum cujus filium dicunt Luciferum, hunc dicunt omnia visibilia et tangibilia creasse, et bonum quem dicunt creatorem esse spirituum

*) Das folgende wie bei Gretser: Lucae Tud. Scriptores aliquot succedanei. Ingolst. 1613. p. 62. 63—65.

tantum. Item matrimonium negant; item corpus Christi in altari negant; item dicunt quod ova, caseum, carnes non liceat comedere, quia de fornicatione nascuntur, et qui comedit peccat mortaliter. Item negant resurrectionem et plura quae non possunt explicari.

Sectae haereticorum ad minus sunt LXXII, quorum in Theutonia sunt quatuor, Waldenses, Ortilibarii, Runcarii, Manichaei. Waldenses dicti sunt a Waldano magistro, vel a valle ut alii dicunt, quia in quadam valle orti, qui etiam nomine dicuntur Pauperes de Leoduno. Dicunt autem Waldenses quod omne homicidium, mendacium, juramentum sit mortale peccatum. Item dicunt quod omnis coitus cum legitima sit mortale peccatum, nisi fiat spe prolis. Item separant virum ab uxore legitima et econtra, contradicente tali contradictione, si velint intrare sectam ipsorum. Item dicunt quod quilibet laicus sive sit bonus sive malus, potest conficere dummodo sciat verba, et quod potest absolvere et ligare. Item dicunt quod suspendere latrones vel occidere per sententiam juste datam sit mortale peccatum. Item dicunt quod tantum duae viae sunt post mortem, infernus vel coelum; purgatorium negant. Item peregrinationes negant et dicunt quod luminaria, oblationes, orationes et eleemosynae et cetera remedia quae fiunt in ecclesia Dei non prosint defunctis. Item dicunt quod conjugatae, virgines et viduae debent praedicare. Item dicunt quod praedicatores ipsorum manibus nullo modo debent laborare. Item sanctorum suffragia non petunt, nec imagines aliquas venerantur. Item dies festos non celebrant. Jejunia non servant, omni tempore comedunt quod apponitur eis, et carnes in quadragesima comedunt. Item dicunt quod filius eximit matrem XVIII denariis et tunc potest eam ducere in uxorem et cognoscere.

Idem Runcarii dicunt per omnia, excepto quod malus sacerdos non potest conficere. Similiter dicunt quod baptismus sacerdotis existentis in mortali peccato non valet, etiam si baptizet pueros, omnes tunc eosdem iterum a sacerdotibus ipsorum, sc. haereticorum rebaptizari debere, si volunt

salvari. Similiter quod sacerdotes ipsorum possunt conficere ex omni vase, sive luteo, ligneo, argenteo, aureo, super scutella sive cypho. Item dicunt quod decimae, oblationes et elecmosynae solummodo debent dari pauperibus, et si dant sacerdotibus dant simulate. Item instituta ecclesiae damnant, sc. jejunium quadragesimae, nec debere ab escis abstineri sed a vitiis; unde in quadragesima carnem comedunt. Item dicunt orandum in ecclesia tantum quantum in stabulo. Solemnitates et cantus ecclesiae et reliquias sanctorum et peregrinationes damnant.

Ortilibarii dicunt quod mundus non habet principium etc. (Wie bei Gretſer p. 61.)

Item has sectas invenimus in Theothunia, sc. Pauperes de Lugduno qui etiam vocantur Waldenses; item Runcarios; item Sifridenses; item Ortliwenses; item Paterinos qui vocantur Ailca vel de Basilebel. Item Slycani qui habent suos errores diversos et mores loquendi unde diversi modi inquirendi exiguntur.

Item nota quod Runcarii concordant in parte magna cum Paterinis etc. (Nun folgt, was bei Gretſer p. 61 ſteht. Dann der ganze Bericht über die Waldenſer, der bei Gretſer ſich p. 54—60 befindet; am Schluße heißt es:) Item spem habent clerum reducere ad statum paupertatis apostolorum, et quod potestatem quam exercet ecclesia in eos, hanc ipsi in ecclesiam exercere deberent et publice praedicare, ut in Lombardia, confisi de multitudine et potentia credentium et defensorum eorum.

Hypocritae qui Ketzer vocantur, alii sunt miserabiles alii honorabiles etc. ſ. Gretſer p. 91.

XV.

De examinatione haereticorum. (Cod. Tegernseeens. 290. fol.)

In examinatione alicujus haeretici primo faciat ipsum jurare quod sine omni fallacia et deceptione et sine dupli-

catione et secundum intellectum quaerentium et audientium ad omnia interrogata respondeat. Post praestitum juramentum si litteratus est quaeratur de symbolo Anastasii (Athanasii) quicunque vult salvus esse, per singulos versus et articulos. Postea sive sit litteratus sive non de sequentibus articulis inquiratur, et de forma et de modo juramenti expressius admoneatur. Credis in Deum Patrem omnipotentem et Filium et Spiritum s.? et in hac trinitate unum Deum unicum esse creatorem coeli et terrae, corporum et animarum, visibilium et invisibilium et omnium creaturarum? Credis quod animae hominum non sint illi daemones qui de coelo ceciderunt? Credis quod Sathan et omnes daemones ab omnipotenti Deo juste damnati sunt in infernum, et quod nullus ex eis aliquando salvabitur nec ante judicium nec post? Credis quod Deus omnipotens quem nos Christiani colimus, digne et juste regnat in coelis, et quod nullus daemon neque aliquis hominum qui sine poenitentia in illis peccatis quae nos Katholici mortalia dicimus, descendunt, ascendunt in coelum, sed semper sine fine cremantur in inferno? Credis quod animae illae quas Christus redemit ab inferis secum vexit in coelum, et quod animae apostolorum, martyrum, confessorum et virginum electarum cum Christo regnant in coelo usque ad diem judicii, et quod cum Christo in die judicii venturi sunt recipere sua, et deinde cum Christo sine fine regnaturos? Credis quod illi qui pro amore Christi omnia terrena relinquunt, in judicio judicaturi sint cum Christo vivos et mortuos? Credis quod sancti in coelo nobis vivis et animabus in purgatorio constitutis patrocinari possunt? Credis quod orationes et missae et eleemosynae et cetera bona, item luminaria, vigiliae, jejunia quae facimus pro fidelibus defunctis prosunt, qui ad ignem purgatorium vadunt, et postquam purificati fuerunt, ascendunt in coelum? Credis quod beata virgo Maria nunquam venit ad poenas infernales neque ad purgatoria loca, et non solum ipsam sed et plurimos sanctos statim in ipso mortis articulo ascendere in coelum? Credis quod mortui resurgunt, boni ad vitam aeternam, mali in

ignem aeternum? Credis quod lex Moysi a Deo data est et non a dyabolo? Credis quod vetus Testamentum impletum est per novum et utrumque est bonum? Credis quod animae nunquam possunt mori sive bonae sive malae? Credis quod baptismus parvulos vere facit Christianos, et quod baptismus parvulorum qui fit in aqua verbis recte prolatis non sit iterandus nec alio modo meliorari mutandus (et quod) plene et perfecte potest parvulus baptisari infra annos discretionis, et quod fiat in fidem parentum et ecclesiae? Credis quod sine cordis contritione et oris confessione (et) operis satisfactione Deus vivo non remittit peccatum? Credis quod per poenitentiam quae fit in ultimo examine homo potest salvari? Credis quod (non) sufficit soli Deo confiteri neque layco sed sacerdoti? Credis quod conjugati secundum ecclesiastica jura simul permanentes sine separatione possint salvari? Credis quod nullus praeter sacerdotem, quamvis valde criminosus sit, valeat conficere corpus et sanguinem Domini? Credis quod possit transire panis in verum corpus et vinum in sanguinem ejus? Credis quod confirmatio, ordo clericalis, extrema unctio vera et necessaria sint sacramenta? Credis quod in ecclesia magis sit orandum quam alibi? Credis virgines et castos majus conseqni praemium quam incontinentes et corruptos? Credis quod sine sacramentis nullus potest salvari? Credis quod nullus salvari potest nisi qui sub obedientia est Papae et aliorum praelatorum ecclesiae? Vis obediens esse Papae et aliis nostris tibi praenominatis et non vilibus haereticis qui te in occulto docent haeresim? Credis quod indulgentiae a praelatis rationabiliter collatae poenitentibus prosint? Credis poenas esse purgationis? Credis Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Dei filium consubstantialem coaequalem coaeternum Patri ipsum verum Deum incarnatum et humanatum cooperante Spiritu s. ex Maria perpetua virgine ante partum in partu et post partum, et Jesum filium ejus (non?) purum hominem et unicum Dei filium Deum et hominem circumcisum.

XVI.

Nota primo puncta seu articulos notabiliores sectae Waldensium. (Cod. Windberg. 163. fol. Saec. XV.)

Nota: haeresiarchae sectae Waldensium a Petro Waldensi a regione Waldis dicto ortum habentes qui fratres nuncupantur. Primo dicunt, se habere authoritatem praedicandi, confessiones audiendi, poenitentias — — Non potest dici quod sacerdos peccatis auctoritatem absolvendi amittat, cum secundum eos auctoritatem baptisandi, inungendi et potestatem conficiendi, quae tamen majora sunt, per peccata non amittant. — Item dicunt sacerdotes nihil omnino debere possidere, maxime rerum immobilium, et facientes oppositum damnatos esse. — Item negant auctoritatem Papae, dicentes ipsum nullas posse largiri indulgentias et consequenter (nec) Episcopos. — Item dicta sanctorum negant, ubicunque inveniuntur contraria suae sectae, non attendentes dictorum videlicet Gregorii, Augustini et ceterorum sanctitatem, — cum tamen testes pro se producens, sicut ipsi sanctorum authoritates saepe allegant, contra se recipere compellatur. Sed producant ipsi, vid. Waldenses suos doctores qui tamen nullius sunt momenti et in suis erroribus irretiti, et per consequens ecclesiam minime constituentes, cum ecclesia sit una, similiter fides sit una et non plures. Eph. 10. Cantic. 6.: Una est columba mea. Imo ipsi Waldenses constituunt monstrum in natura, qui dicunt se facere unum corpus et tamen habent tria capita; aliqui enim suorum haeresiarcharum dicuntur Romani, alii Pedemontani, alii Alemanni, neque aliquis ab altero jurisdictionem sive auctoritatem suscipit, neque alterius se subditum confitetur. Item ipsi paucos et quasi nullos per se monstrabant codices quia ignari, unde ex invidia mentiuntur, nostros sanctos doctores suos libros propter temporalia commoda compilasse, cum tamen dicti sancti doctores patrimonia propria et honores ac dominia contemserint, sicut in ipsorum vita plenius declaratur. Item dicunt in imaginum

veneratione idolatriam committere (committi). — Item purgatorium negant. — Item dicunt orationes vivorum mortuis non prodesse, quod sequitur ex proximo antecedente errore, quia negant purgatorium, sed dicunt omnes, mortui animam esse in coelo, et sic orationibus non indigere, aut in inferno, et sic orationes non prodesse. — Item dicunt quod sancti seu beati mortui non possunt juvare vivos suis intercessionibus. — Item dicunt horas canonicas deceptiones esse a sacerdotibus propter avaritiam adinventas, et ad hoc probandum dicunt, solam orationem dominicam, vid. Pater noster, esse orandam et nihil aliud, quod tamen ipsi facto non tenent, licet verbis fingant, quia etiam ipsi privatas et speciales alias a Pater noster habent orationes. — Item dicunt similiter, instrumenta musicalia et organa etc. non debere haberi in ecclesiis. — Item dicunt, in nullo casu, nisi forte metus causa, qui potest cadere in constantem virum vel maxime in coactione inevitabili jurandum. — Item dicunt quod in nullo casu et pro quocunque delicto et commisso aliquis homo et jure civili et imperiali sit morte plectendus.

XVII.

Cod. S. Emmeram. Ratisb. X, 5. Saec. XV.

Isti sunt errores haereticorum de secta Waldensium quae in terra dominationis illustrium principum Dominorum Ducum Austriae pluribus quam centum quinquaginta annis*) duravit et istis temporibus anno Domini M°CCC°LXXXXV° mense Septembr. contumaciter incepit cum violentiis incendiorum et terroribus homicidiorum non tam occulte dilate stare quam contemptibiliter et temerarie dominari maxime post obitum dolentissimum serenissimi principis et Domini Domini Alberti in proxime proh dolor defuncti Ducis Austriae praelibatae. Et timendum nimis est sectam illam valde dilatari plurimosque catholicos utrinsque sexus ab

*) Im Cod. Chiem. Ep.: quam centum quadraginta annis.

orthodoxa fide abduci et ab haereticorum veneno letaliter infici, nisi eis obstitum fuerit ex acie christiana.

1. Habent haeretici Waldenses praedicti suos confessores, imo puros laycos haeresiarchas.

2. Item credunt illos a solo Deo non a Domino Papa vel aliquo episcopo catholico potestatem habere praedicandi verbum Dei.

3. Item credunt illos Apostolorum Christi vicarios et legitimos successores.

4. Item dampnant ecclesiam Romanam eo quod a tempore Silvestri Papae accepit, tenuit et quaesivit possessiones.

5. Item credunt suos haeresiarchas a peccatis posse absolvere melius quam sacerdotes ecclesiae, quanquam non credunt eos esse presbiteros consecratos nec a Domino Apostolico vel aliquo episcopo catholico missos.

6. Item quamvis presbyteris ecclesiae confiteantur, corpus Christi ab eis accipiant, sectam tamen eorum ipsis nullatenus manifestant.

7. Item praedicationes haeresiarcharum cum summa attentione audiunt, et eis melius quam ecclesiae praedicatoribus credunt, quanquam hi occulte et noctis tempore, nostri vero praedicent manifeste.

8. Item credunt beatam virginem et alios in patria sanctos tantum impletos esse gaudiis quod nichil possint cogitare de nobis.

9. Item credunt beatam virginem et alios in patria sanctos in nullo posse nobis suffragari.

10. Item dicunt eos et credunt non esse invocandos a nobis.

11. Item dicunt et credunt eos non esse honorandos a nobis.

12. Item dicunt et credunt eis non esse serviendum a nobis.

13. Item dicunt et credunt eos non posse orare pro nobis, et ideo licet beatae virginis et aliorum sanctorum vigilias jejunent, festa celebrent, hoc tamen totum faciunt ad ostentationem ne notentur, vel ad solius Dei et non sancto-

rum laudem faciunt et honorem, et sic non credunt sanctorum communionem.

14. Item omnes haeresiarchae et aliqui credentes non credunt confirmacionem sanctam esse sacramentum, sed loco ejus habent manuum impositionem.

15. Item credunt solum duas vias esse post vitam et nullum purgatorium.

16. Item dicunt et credunt vigilias missas et orationes ecclesiasticas et quaelibet alia suffragia ecclesiae pro defunctis facta nullius esse roboris, et ideo licet in missis defunctorum offerant, hoc tamen totum faciunt ad ostentationem, vel ad solius Dei laudem et non animarum salutem.

17. Item sepulturam ecclesiasticam non admittunt, sed dicunt et credunt posse et debere ubique equaliter sepeliri.

18. Item coemiterium non credunt sanctius quam agrum vel alium locum vel pomerium vel quamcunque terram.

19. Item ecclesiam consecratam non credunt sanctiorem quam aliam quamcunque domum communem.

20. Item altare consecratum non credunt sanctius quam alium quemcunque cumulum lapidum.

21. Item dampnant et reprobant cantum ecclesiasticorum.

22. Item dampnant et reprobant cantum organorum.

23. Item dicunt et credunt horas canonicas non esse divinae laudis.

24. Item dicunt nichil esse orandum nisi Pater Noster, et ideo haeresiarchae nunquam injungunt sibi Ave Maria.

25. Item dampnant et reprobant ymaginum veneraciones.

26. Item dampnant et reprobant osculaciones reliquiarum.

27. Item dampnant et reprobant praelatorum ecclesiasticorum indulgentias.

28. Item dampnant et reprobant peregrinaciones ad limina sanctorum.

29. Item dampnant et reprobant eorundem excommunicaciones.

30. Item dicunt et credunt sanctissimum Patrem et Dominum nostrum Dominum Papam, quicunque fuerit pro tempore, esse caput et originem omnium haereticorum.

31. Item dicunt et credunt nos omnes catholicos esse haereticos.

32. Item dampnant et reprobant ornatus et paramenta sacerdotum.

33. Item dampnant et reprobant quaelibet insignia pontificum.

34. Item dicunt et credunt in stabulo et in horreo equaliter sicut in ecclesia esse orandum, et non melius in ecclesia quam alibi ubicunque.

35. Item dampnant et reprobant processiones dierum dominicalium.

36. Item dampnant et reprobant processiones dierum rogationum.

37. Item dampnant processiones dierum corporis Christi.

38. Item dampnant ornamenta florum, graminum, vestium et luminarium quae Christi fideles in ipsa processione faciunt ad laudem Dei.

39. Item dicunt praemissa superbiam esse et vanitatem.

40. Item jejunia quatuor temporum non dicunt esse divina, sed ab hominibus esse instituta.

41. Item lignum sanctae crucis non credunt sanctius esse alio quocunque ligno communi.

42. Idem sentiunt de spinea corona Domini nostri Jesu Christi venerando capiti infixa.

43. Idem sentiunt de clavis ferreis Christi sanctissimis manibus et pedibus infixis.

44. Idem sentiunt de illa lancea Christi pretiosissimo lateri infixa.

45—51. Idem sentiunt de Christi flagellis quibus fuit flagellatus — de statua ad quam ligatus erat — de mensa in qua confecit — de tunica purpurea — de arundine — de veste alba — de sepulcro Domini crucifixi.

52—53. Idem sentiunt de terra sancta Jerusalem, Bethlehem, Nazareth et aliis locis sanctis — et de catenis apostolorum et de omnibus aliis insignibus passionum ss. martyrum.

54. Item consecrationes et ordinationes acolythorum,

subdiaconorum, diaconorum, presbyterorum, episcoporum reprobant et condemnant.

55—62. Item aquam baptismalem non credunt aqua quacunque alia sanctiorem, cum in qualibet alia valeat baptizari. Idem sentiunt de aqua aspersionis — de benedicto sale, de palmis, cineribus et candelis, de campanarum pulsu, de jubilaeo anno, et de benedictionibus ciborum.

63. Item damnant et reprobant omnes religiones monachorum et sanctimonialium de regulis et observantiis quibuscunque.

64. Item damnant et reprobant ecclesias cathedrales et collegia.

65. Item dicunt et credunt Dominum Apostolicum non esse majoris authoritatis quam simplicem sacerdotem.

66. Item damnant et reprobant omnia studia privilegiata.

67. Item damnant et reprobant omnia juramenta qualitercunque et quantumcunque vera et judicialiter facta.

68. Item damnant et reprobant imperatores, reges et principes, marchiones, lantgravios, duces, barones, justiciarios, juratos, judices et scabinos propter quodcunque homicidium quantumcunque judicialiter et juste factum.

69. Item damnant et reprobant D. Apostolicum mittentem bellatores contra Saracenos et crucem dantem vel praedicantem contra quoscunque paganos.

70. Item damnant et reprobant illam laudabilem consuetudinem, qua Christi fideles eligunt sibi per sortem apostolos speciales.

71. Item damnant et reprobant clericalem tonsuram presbyterorum tam secularium quam religiosorum.

72. Item damnant et reprobant omnia verba et dicta ss. doctorum Augustini, Hieronymi, Gregorii et Ambrosii et omnium aliorum, illis solis exceptis quae aliqualiter sonant ad confortationem suae sectae — — — sicut sunt sumtuosa nimis aedificia et parietum ornamenta et exquisitas exequias et similia.

73. Item damnant et reprobant leges imperiales et sanctiones canonicas.

74. Item solemnitates dedicationum templorum et altarium reprobant et condemnant.

75. Item damnant et reprobant exorcismum et alias orationes quas dicunt sacerdotes super pueros baptizandos.

76. Item damnant et reprobant illas pias actiones quas exorcistae vel presbyteri faciunt adjurando daemones ut exeant ab hominibus obsessis.

77. Item dicunt et credunt nullum hominem post Christi mortem posse a daemonibus obsideri.

78. Item confessionem quam Christi fideles faciunt ad pronunciationem sacerdotum, nullius credunt esse roboris et momenti.

79. Item omnia verba sacra missae dicunt et credunt esse superflua et nihil ad missae officium pertinere exceptis solis verbis consecrationis et Pater Noster.

80. Item dicunt et credunt presbyteros celebrantes toties peccare quoties dicunt et exprimunt nomina sanctorum in missa.

81. Idem dicunt et sentiunt quoties presbyter vel alii Christi fideles dicunt et legunt vel solemniter nunciant litanias.

82. Item benedictiones ignis in vigilia Paschae credunt esse irritas et inanes.

83. Item linteamina et sudarium quibus et quo involutum erat corpus et caput Christi mortui nullius credunt esse spiritualis dignitatis vel sanctitatis.

84. Item adorationes et genuflexiones cum cantu et solemnitatibus diei parasceves ante crucem D. nostri J. Christi nullius utilitatis credunt.

85. Item sectam Waldensium credunt solam fidem christianam.

86. Item omnes catholicos solis parvulis exceptis credunt esse damnandos.

87. Item vocant catholicos mundum, die Welt, alienos, die frömden.

88. Item vocant se, sectarios eorum vel complices notos i. e. die chunden.

89. Item omnes animas sanctorum, sc. Laurentii, Nicolai, Martini, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Gregorii, Bernhardi, Chrysostomi, Benedicti, Francisci, Dominici, Antonii, Vincentii, Katharinae, Margaritae, Dorotheae, et breviter omnium sanctorum, martyrum, confessorum, virginum, qui non sunt in Biblia commendati, et omnes clericos credunt esse damnatos in inferno.

Hos articulos haereticos damnatos tenent et credunt et asserunt omnes et singulos haeresiarchae Waldensium, sed credentes ipsorum pro suis capacitatibus plus et minus. Attendant ergo et cordibus percipiant sanctiss. in Christo D. noster Papa, Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, Abbates et alii quilibet ecclesiarum praelati, Doctores et Magistri, invictissimi Domini reges cath. fidei et principes et maxime Duces Austriae, in quorum dominationis terra hodie conantur haeretici cum violentia dominari. Nam nuper in nocte vigiliarum natalis b. Virginis M. combusserunt horreum Plebani in Styra, eo quod in domo sua colligit, fovet et nutrit Inquisitorem haereticae pravitatis cum sua familia, et ad portas civitatis vel oppidi Styrae affixerunt lignum adustum et thelam cum cultello ligneo cruentato volentes taliter suam haeresim defensare. Quapropter attendant et dolenter corde percipiant omnes catholici, instent, laborent assidue, ut omnes haeretici nequam, incendiarii, homicidiorum minatores captiventur, examinentur, poenitentientur et ad unitatem fidei cath. revocentur.

XVIII.

De VIII haeresibus novis per quas modo dyabolus multos subvertit. Et quomodo cognoscantur haeretici per tria cum venerint ad pervertendum. (Codex Altmünstr. 4^{0} $21^{a.}$ membranae. Saec. XIV. f. 21.)

— Et sic sunt multiplicatae haereses supra modum quas omnes nominare non valeo, nec est necesse, maxime cum illarum plures non (nunc) sint annihilatae et obstructae.

Sed novas quasdam quas dyaboli nunc invenerunt et valde disseminant, quae etiam sunt nimium periculosae breviter tangam. 1 Timoth. Ecce quomodo propriissime Paulus illos describit et praedixit; sunt enim verissime hypocritae omnia simulative facientes et omnino cauteriate loquentes, quos breviter nominabo ut simpliciores sibi nunc ab eis praecaveant. Una haereticorum modernorum via quam dyaboli nunc invenerunt et ad docendum eos miserunt, est quod quosdam ad hoc induxit, ut non credant aliquem jurare etiam veritatem sine peccato cum necesse est. — Alia haereticorum modernorum via quam dyaboli nunc initiaverunt et docuerunt est quod docent Christum non assumpsisse veram carnem, sed tantummodo similitudinem carnis. — Tertia haereticorum modernorum via est quod sancti in coelis non sint invocandi nec beata Virgo neque aliquis aliorum sanctorum et ideo nec jejuniis nec festis nec aliquibus honoribus sunt honorandi. — Quarta via, quod non sit purgatorium, et ideo dicit animabus nihil prodesse suffragia. — — Quinta quod quidam ipsorum dicunt dyabolum salvandum. Hanc docuit Manes et, ut dicitur, Origenes. Et quod dyabolus creavit visibilia; et haec est haeresis crudelissima et valde stulta. — Illi stulti dicunt quod injuste sit ejectus Lucifer a coelo et orant et jejunant et se cruciant pro illo ut liberetur. Haec autem eis ad nihilum valent nisi ad ridiculum ipsorum, et quod gravius pro hoc aeternaliter eos cruciabunt. — Sunt et quidam ex his haeretici ut dicitur convenientes et in tenebris turpitudines sodomiticas exercentes. Et miror si aliqui homines tam caeci sint, qui putent se cum hujusmodi crudelitatibus posse salvari. Dicunt et omnia visibilia et quae tangi possunt creasse malum Deum, et bonum Deum creatorem spirituum, et ideo dicunt corpus nostrum creare dyabolum animas vero Deum. — Sexta via est quod dicunt judices saeculares dampnari si exercent judicium in corpora hominum. — Stulti; si corporaliter malefici non punirentur, bestiae in sylva majori pace fruerentur quam fideles in s. ecclesia. — Septima quod non recipiunt vetus testamentum sed tantum novum. —

Octava via quod dicunt omnia sacramenta quae ecclesia confert nullum habere vigorem; dicunt enim quidam eorum baptismum parvulis non prodesse; dicunt etiam confirmationem s. nihil valere; corpus Christi non esse verum et vivum corpus Christi, sed signum corporis Christi vel quaedam alia sanctitas. Alii autem eorum hanc haeresim mutaverunt et diviserunt hanc inde; unde quidam eorum dicunt quod quilibet bonus potest conficere sive sacerdos sive non et nullus malus. Alii vero dicunt quod etiam si canis sciret illa verba, conficeret. Alii econtra dicunt: viri possunt conficere tantum, non feminae, et non credunt quod sit verum corpus Domini sed quaedam sanctitas alia. Ecce quomodo excaecati sint haeretici; dicunt quod non sit corpus Christi, Christus vero dicit: hoc est corpus meum. Cui ergo est amplius credendum Christo vel haeretico? Item dicunt quod non est sacerdotibus confitendum, nec poenitentiae ab eis accipiendae. Ecce quanta stultitia, rusticis debere confiteri et non sacerdotibus; quis enim rusticis commisit claves regni coelorum? Similiter etiam dicunt, s. unctionem nihil valere cum tamen b. Jacobus contrarium ecclesiae scripserit. Item quod non sit obediendum sacerdotibus, cum Dominus dixerit eis: Quorum remiseritis etc. Item qui vos audit me audit. Valde rationabiliter et omnibus discretione utentibus valde dignum debet videri, quod tam magnam familiam in ecclesia sua non dimiserit recedens corporaliter sine capite, cum etiam nulla villa quantumcunque parva subsistere valeat sine gubernatore, non dico per mille annos vel amplius, sed nec per unum annum, nisi scindatur sive dividatur per discordias et schismata, ut nunc patet in haereticis qui sine capite sunt in tot sectas diversas scissi, et semper ad breve tempus scinduntur, ut patet in ipsis haereticis, qui nunc mutant istud et illud. Noluerunt enim aliqui jurare dicentes quod Deus prohibuit, nunc vero jurant. Sed quomodo potest homo licentiare quod Deus prohibuit? Si ante 30 annos fuit peccatum ut ipsi dicunt, sed falso, et nunc peccatum erit; et multa alia sic mutant. Si vero aliquis ordinis sacerdotalis malus fuit, nihilominus tamen eis

obediendum est quidquid garriant haeretici. Nam praecepit Dom. Matth. 26: super cathedram etc. vae haeretico hic contradicenti. Item non credunt quod mali sacerdotes possunt conficere, quod falsum est, quia possunt sicut et boni. In hoc tamen differunt boni sacerdotes a malis in conficiendo quod boni et sibi et nobis conficiunt, mali vero nobis ad salutem, sibi ipsis ad damnationem, sicut et in cruce crucifixores obtulerunt Christum nobis ad salutem, sibi ad damnationem, sic et nunc mali sacerdotes in altari. Dicunt enim quod si tantae magnitudinis esset corpus Christi ut mons, Clerici jam consumsissent. In hoc ostendunt quod sunt valde rudes, nescientes distinguere inter panem coelestem qui de coelo descendit, et materialem qui in foro venditur. Alii enim in stomacho recipiuntur et digeruntur, Christus vero sumtus (in) animam transit nec in stomacho digeritur. Omnes igitur praedictae viae haereticorum sic sunt cavendae sapienti ut infernus. Sed heu multos nunc inficiunt. Dicis: si veniunt ad nos, quomodo eos ab aliis hominibus discernemus, cum se bonos ostendant? Respondeo, in tribus docuit eos Dominus cognosci et discerni; per b. Paulum expresse nunciavit: quia habent doctrinam daemoniorum, habent et mores eorum; ut enim daemones simplices et religiosos bonos decipiunt, sic et isti eisdem tribus modis. Sic et isti bonos simplices seculares. Unde dicit Cor. XI: ipse Satanas (gl. caput eorum) transfigurat se in angelum lucis, Jo. 1. in Christum vel aliquando coelestem angelum. Non est ergo magnum si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiae, quorum finis est secundum opera ipsorum. — Dic quomodo consuevit primo venire haereticus et facere sicut dyabolus. Primo ad hominem simplicem, religiosum; nunquam, ubi multi sunt simul, sed ubi est in occulto suo, et ostendit se sanctum et lucidum quasi sit Christus vel angelus. Secundo docet bona, ut jejunare et vigilare et hujusmodi; postquam autem ei creditur, dat hamum toxicum. Docet enim vel quod se occidat jejunando et hujusmodi, vel quod non obediat et hujusmodi. Tertio rogat quod apud sacerdotem non prodat tantam

familiaritatem angelorum, et tam excellentem gratiam Dei. Et sic stultus religiosus credit omnia esse bona, et ita decipitur. Sic multi decipiuntur; unde et Joh. monet: probate spiritus si ex Deo sint. Per omnem hunc triplicem modum decipit et haereticus simplices laycos, et per hoc potest deprehendi haereticus et minister Satanae. Venit primo ut Satanas ubi non est multitudo, sed ubi est aliqua simplex femina. Diligunt enim angulos et solitudines ac tenebras haeretici. Et ostendit se valde virtuosum ac sanctum ac quasi angelum, cum sit turpis haereticus interius, et totus hypocrita, ac plenus daemoniaco spiritu. Secundo docet primo quaedam bona, sicut libenter orare, parentes honorare et hujusmodi, quoadusque cor simplicis ad se trahat, et quoadusque ei credatur. Deinde dicit crudelia et haereses, videlicet quod non debeat jurare, purgatorium non credere etc. ut supra; praedicatoribus non credere, Plebanis non obedire et hujusmodi, et nullatenus prodatur apud sacerdotem vel praedicatorem. Ideo sapientia necessaria est. Et quicunque talem deprehenderit, sciat eum esse haereticum et prodendum. Det Dominus. Amen.

XIX.

Incipit tractatus fratris David de inquisicione haereticorum. (Cod. Rogg. 12. f. 210—222.)

Iſt die Schrift des Yvonnet tractatus de haeresi Pauperum de Lugduno, bei Martene thesaur. V, 1777 ff. aber vollſtändiger, oder mit Zuſätzen.

Bei Martene p. 1779 heißt es von den Waldenſern: Unctionem extremam respuunt, dicentes potius fore maledictiones quam sacramentum. Hier iſt folgendes ausgefallen, das ſich bei David findet. Unctionem extremam respuunt et oleum consecratum seu Chrisma nil valere plus quam aliud. Omnes ordines clericales respuunt dicentes potius fore maledictiones etc.

Statt der verunſtalteten Stelle bei Martene p. 1780: Ve-

tus testamentum non habent vel recipiunt, sed evangelia ut per ea nos impugnent et se defendant, dicentes etc. heißt es richtiger bei David f. 212: Vetus testamentum non recipiunt ad credendum, sed tamen aliqua inde discunt, ut nos per ea impugnent et se defendant dicentes etc.

Nach der Erklärung Yvonnets ap. Mart. p. 1781, daß die nächtliche Unzucht nach ausgelöschten Lichtern nicht dieser Secte zur Last falle, folgt bei David, (bei dem die Worte: Quia Cathari dicuntur hoc facere, fehlen):

De adoratione Luciferi.

Quod autem adorent Lucifernm vel eum sperent restituendum in gloriam, alterius sectae est. Quanto autem irrationabiliora credenti vel detestabiliora faciunt, tanto facilius caventur, et ipsa vilitas se prodit esse fugiendam quia malum agnitum minus nocet. Secta vero Povre de Leon et similes tanto periculosiores sunt, quanto sub sanctitatis simulatione se palliant. Ita et isti se putant apostolorum et primorum sanctorum successores, eo quod simulate quaedam exteriora illorum sanctorum superficialiter imitantur, sicut illud quod apostoli pro pauperibus collectas in ecclesia procurabant, et in domibus fidelium, quia nondum ecclesiae constitutae fuerant, docebant vel sacra mysteria celebrabant, vel ad praedicandum per diversas provincias discipulos destinabant, qui fundarent ecclesias vel firmarent; sicut et isti hypocritae diversa sibi nomina tribuunt; non enim appellant se quod sunt se. haereticos, sed vocant se veros Christianos et amicos Dei et pauperes Dei et hujusmodi nominibus; alii vero sunt credentes haereticorum, adhaerentes eorum doctrinis et vera eos docere credentes et bonos eos aestimantes et sectam amplectentes, seindentes se ab ecclesiae unitate. Hi sunt eorum fautores et receptores et pro posse defensores, qui ministrant eis de facultatibus suis et discunt ab eis dicta evangelii et apostolorum, et si qui ex eis tantum profecerunt in doctrina erroris, si petunt, recipiuntur a magistris ut dictum est supra. Mores eorum in apparentia humiles videntur, sed in corde elatissimi sunt, praeter se

omnes alios contemnentes. Omnis gloriatio eorum est de singularitate quia videntur sibi prae ceteris scioli, quia aliqua evangelii verba vel epistolarum sciunt corde vulgariter recitare. In hoc praeferunt se nostris non solum laicis sed etiam literatis, stulti non intelligentes quod saepe puer XII annorum scholaris centies plus scit quam magistri haereticorum LX annorum, dum iste sola illa scit, quae usu corde affirmavit, ille vero per artem grammaticae mille libros scit legere latine et ad literam intelligere quoquo modo. Elevantur etiam singularitate fictae sanctitatis, qua se more illius pharisaei solos justos autumant, et ceteros in sui comparatione dejiciunt, stulti et caeci non intelligentes quod in quocunque vertice se jactant, clericos apud nos infinitos multo excellentiores habemus quia nulla fictione fuscatos, sicut apud haereticos omnia sunt hypocrisis vitio colorata.

f. 214. Cum olim una secta fuisse dicantur Povre de Leon et Ortidiebarii et Arnoldistae et Rnncharii et Waldenses et alii, ex ambitione primatum et erroris conditione diversis se inter opinionum altercationibus conscissi in diversas haereses divisi sunt et denominati ab illorum authoribus opinionum cujuslibet horum sectatores.

Agnoscunt autem se mutuo diversarum haeresum sectatores et detestantur et condemnant, et suos complices ab aliorum consortio custodiunt ne ab eis seducantur. Non autem prodit unus alium de alia haeresi, ne forte vicissim et ille prodat eum, sicut squamae Leviathan sese comprimunt ne spiraculum incedat per eas. Omnes autem unanimiter exosam habent ecclesiam catholicam quae adversatur convincendo eorum doctrinam et condemnando eos per judicium acceptae a Deo potestatis.

P. 1783 heißt es bei Yvonnet: Narrant ei de aliis magistris suis, quanta sancti sint passi, ut et Christum videat et audiat etc. Statt dieſer offenbar corrupten Stelle heißt es bei David f. 214ª: Narrant ei de aliis magistris suis quam sancti sint et periti, et quod qui videret eos et audiret, sic sit quasi quod ipsum Dominum videat et audiat.

f. 215b. Quomodo deprehenduntur.

Haereticos deprehendere vel convincere modo est valde difficile, ita ut aliqui desperent sic posse eos exterminari et de ipsis ecclesiam efficaciter purgari, et hoc tribus de causis: una, quia rari sunt fidei zelatores qui curent et perseveranter instent negotio inquisitionis et annullationis haereticae pravitatis; dummodo aperte non insurgant contra nos, non sollicitantur quum sub dissimulatione nostra latenter dilatantur et roborantur, ut post valentius possint ecclesiam impugnare, optantes ut fiat pax tantum in diebus nostris. Secunda causa quod pauci sunt qui sciant eos deprehendere vel cum ipsis utiliter agere ut exterminentur; aut enim non agnoscunt eorum versutias, quibus examinatores suos deludunt, aut quadam nociva miseratione dimittunt eos jam convictos abire, qui digni essent condemnationis, putantes eos vere conversos esse, qui timore mortis promittunt se velle quod jubentur credere, cum sint fallaces, sicut fere de omnibus taliter dimissis experti sumus. Tertia causa, quia desunt nobis testimonia, quibus juxta formam juris excommunicantur; ex quo enim didicerunt quod non per singularia possunt convinci testimonia, sed per duos ad minus de eodem facto vel dicto concordantes testes, cautiores sunt facti quod non docent plures simul sed singulariter, nisi forte tales coram quibus sunt omnino securi.

f. 216: Unde infallibiliter notandum quod quamdiu haereticus seu fautor haereticorum nititur subterfugere ne prodat alios haereticos vel complices suos et errores et secreta eorum, in talibus nullatenus credendum est eum vere et absolute ad fidem reversum et ecclesiam, quia si vere crederet se errasse, et doleret sicut deberet, accusaret et proderet omnes errores suos ut praemuniret fideles sibi de talibus cavere. Accusaret etiam complices suos, ut vel ipsi revocarentur a periculo erroris, vel ecclesia purgaretur de ipsis ne ulterius possint nocere. Qui scit adversarium meum insidiari mihi et (non) praemunit me ut caveam mihi, vere potest videri adversario meo plus quam mihi favere. Qui vero cupide et sincere prodit errores et suos complices vel

(sed) exactus reddit jurare se difficilem ad hoc quoquomodo, vehemens est suspicio eum adhuc in erroris professione ligari, licet metus mortis aliquatenus eum ad conversionem superficietenus inclinasse videatur. Vera enim contritio ex poenitentia et promta confessione et satisfactione perpenditur. Olim ad hoc ferventiores inveniebantur qui requisiti non negabant de se ipsis quod profitebantur, licet forte aliquandiu conarentur verbis coopertis occultare quod erant.

Jurare autem penitus non acquiescebant, et per hoc facile tunc poterant deprehendi et multi de medio auferri. Sed modo cauti per hoc redditi ne penitus deleantur, negant, jurant, perjurant, ut sic evadant, exceptis valde raris, qui pertinacius errores suos aperte confitentur, qui etiam perfecti apud eos reputantur et pro magistris reputantur. Sed summa diligentia cavent ne tales apud eos capiantur, quia his exterminatis eorum complices possent facile deprehendi et hoc per indicia satis probabilia.

XX.

Cod. Casanat. H. 111. 34.

Ista possunt quaeri ab Albanensibus:

Si Albanensis sit ecclesia Christi. Idem de Lugdunensi. Utrum possit non jurare sine peccato in aliquo casu. Si homo potest salvari sine impositione manuum Catharorum. Utrum Potestas possit sine peccato justitiam facere de latronibus, homicidis et maleficis occidendo eos. Si docuistis unquam fidem, quam habuistis. Utrum s. Dominicus de O. FF. P. et S. Petrus martyr, et sic de ceteris sanctis, sint sancti. Utrum majus peccatum sit destruere ecclesiam istam quam domum aliam; et si facere mille ecclesias sit melius quam facere domum unam. Si peccatum est commodare ad usuram. Si homo habens usuras et male oblata et furta potest salvari, si potest restituere et non restituit. Si Papa potest magis dimittere peccata quam alius homo.

Si homo habet majorem gloriam in coelo, si vadit ad s. Jacobum, quam si non vadit. Si homo daret pauperibus mille libras pro animabus patris et matris suae defunctorum et faceret cantari mille missas, prodesset eis. Quare non faciunt manuum impositionem diacones vestri mulieri praegnanti et morienti sive cum moritur? Si mulier impraegnata a viro suo habet daemonem in corpore. Si aliquo modo possit salvari talis mulier, si moreretur in partu. Si aliquis potest salvari, nisi fiat Catharus.

De Concorrezensibus. Quis posuit animam suam in corpore. Si anima Adae et Evae fuerunt angeli. Si anima b. Virginis et aliorum sanctorum in paradiso sunt. Si peccatum est adorare crucem et picturas. Si est majus peccatum comburere crucem Christi quam alia ligna in magno frigore. Utrum peccet quis eundo ultra marc de mandato ecclesiae ad recuperandam terram sanctam. Si credis serpentem jacuisse cum Eva et inde natum Cayn. Si indulgentiae factae a papa euntibus ultra mare valent eis. Si animae sunt ex traduce. Utrum valeret manus impositio, si ille qui facit esset in peccato mortali. Si ille qui facit manus impositionem post peccatum convertatur ad ecclesiam, utrum valeat. Quis facit pluere, utrum Deus vel diabolus.

Ista possunt quaeri a Lugdunensibus:

Si est Pauper Lugdunensis. Item si Lombardus vel Ultramontanus. Si ecclesia Romana est ecclesia Christi vel meretrix. Si papa est loco b. Petri, et si plus potest potestate quam alius homo. Si aliquis est bonus homo vel potest salvari tenendo fidem Romanae ecclesiae. Si aliquis est loco b. Petri in terra qui possit solvere et ligare, et quis est. Si quilibet bonus homo possit consecrare, nisi sit ordinatus et a quo. Si malus sacerdos possit consecrare et alia sacramenta conferre ecclesiastica. Si infantes salvantur sine baptismo Romanae ecclesiae. Et de sacramentis. Si ecclesia Dei defecit tempore Silvestri. Et quis reparavit eam. Si Silvester papa fuit Antichristus. Quis successit b. Petro in potestate solvendi et ligandi. Si Pauperes Val-

denses, Lombardi vel Ultramontani sint ecclesia Dei. Si congregatio Catharorum est ecclesia Christi. Si in ecclesia Dei debent esse ordines et unctio. Ostende, quomodo in tua. De indulgentiis et peregrinationibus, quas facit ecclesia, de picturis et cruce et via ultramarina. De constitutionibus ecclesiae Romanae et de comestione carnium in quadragesima. Si s. Laurentius est sanctus. Quis dedit tibi autoritatem praedicandi. Si animae sunt ex traduce. Si peccatum mortale est accipere consanguineam in uxorem. Si prodest dicere mille missas et mille libras dare pro defunctis, qui sunt in purgatorio. Si quis suis expensis aedificaret mille ecclesias, mereretur apud Deum? Si quis peccaret mortaliter destruendo omnes ecclesias materiales et combureret omnes cruces. De justitia. Et quid movet te dicere justitiam esse malam? De juramento pro vita hominis servanda.

XXI.

Cod. Casanat. A. IV. 49. f. 287.

Isti sunt errores haereticorum Catharorum.

Inprimis dicunt, quod sunt duo principia, unum bonum et alterum malum, et quod a bono principio seu bono Deo creata erant septem coeli et omnia supercoelestia, a malo vero principio seu malo deo creata erant omnia quae sub illis coelis sunt, sc. omnia visibilia et quaedam invisibilia.

Item dicunt, quod Satanas qui dicitur draco ascendit in coelum cum sequacibus suis, volens ponere sedem suam ab Aquilone et esse similis Altissimo. Et Michael Archangelus cum angelis suis restitit ei et commisit bellum cum eo, et expulit eum cum suis sequacibus de coelo, et ipse draco cum sua cauda traxit secum tertiam partem stellarum sive bonorum angelorum, et quod propter istos angelos reducendos in coelum Christus, filius Dei vivi, venit in hunc mundum. Et quod isti sunt spiritus, qui sunt in corporibus humanis et quos catholici appellant animas, et quod quando

homines moriuntur, tunc isti spiritus, si egerunt poenitentiam in nomine Christi, ascendent in coelum in die judicii et non prius. Illi vero, qui non egerunt poenitentiam in nomine Christi, descendent in die judicii et non prius in infernum. Et quod istam poenitentiam appellant Patareni consolationem, quam faciunt per impositionem manuum, sine qua impositione neminem dicunt salvum, et per ipsam impositionem credunt concedi plenam remissionem omnium peccatorum quoad poenam et quoad culpam, et quod isti spiritus sive animae sunt illa invisibilia, quae sunt sub coelo, non creata a malo Deo.

Item dicunt, quod diabolus infundit istos spiritus in corpora hominum, et quod prius erant in potestate ipsius, et quod nunquam salvati sunt aliqui de istis spiritibus ante adventum Christi.

Item dicunt, quod caro et anima Mariae virginis et caro et anima Jesu Christi non fuerunt creata sub coelo, sed in coelo, et quod fuerunt sanctissima, et quod nulla corruptio fuit in eis. Et quod ipsi non comederunt vel biberunt cibum vel potum corporalem.

Item dicunt, quod sunt duae ecclesiae, sc. ecclesia justorum et malignantium, et ecclesiam justorum dicunt Patareni illorum qui faciunt poenitentiam secundum doctrinam Christi et apostolorum, et salvantur per manuum impositionem, sicut dictum est supra. Ecclesiam vero malignantium dicunt omnium aliorum, qui non recipiunt praedictam manuum impositionem. Item dicunt, quod baptismus aquae nihil facit ad salvationem, nec est necessarius ad salutem. Unde parvuli, priusquam ad annos discretionis perveniant et suorum peccatorum absolutionem petant et manuum impositionem recipiant, non salvantur.

Item dicunt de sacramento confirmationis, quod nihil est, vel quod non valeat aliquid. Item dicunt de sacramento corporis Christi, quod erat solummodo memoria Christi et non verum corpus neque verus spiritus, sed panis et vinum. Et quod non est sanctior neque melior neque utilior alio pane vel alio vino.

Item dicunt de sacramento poenitentiae, quod contritio, confessio et satisfactio non faciunt aliquod ad salutem, et quod neque alia poenitentia valet nisi de qua supra dictum est secundum Patarenos, videl. manuum impositio per eos. Item dicunt de sacramento unctionis extremae, quod non valeat aliquid. Item dicunt, quod neque Papa Romanus nec Archiepiscopi vel Episcopi possint ordinare ministros ecclesiae, videl. minores sacerdotes et ministros, et quod sic ordinati nullam auctoritatem habeant. Item dicunt, quod matrimonium carnale non est ordinatum a Deo, et quod neque aliquis existens in matrimonio carnali est in statu salutis. Item dicunt, quod non resurgent corpora humana; nec habebunt gloriam neque poenam.

Item dicunt, quod semper in commessatione prius quam cibum sumunt Patareni, ille qui Major est inter Patarenos, sive ordinatus sive christianus, in memoriam Christi accipit panem in manibus suis et benedicit non signando, sed dicendo orationem dominicam et frangit et distribuit singulis. Item quod in cruce aliqua et etiam in ligno verae crucis nullam habent Patareni reverentiam, imo habent crucem in horrorem. Item quod cruces et imagines non possunt haberi in reverentia sine peccato, imo reputant illis, qui faciunt eis reverentiam, ad idololatriam, nec signant se signo crucis, nec habent in aliqua reverentia signum crucis. Item dicunt, quod non sit licitum alicui defendere se ita, quod invasor possit laedi. Item dicunt, quod nulla potestas terrena possit uti gladio materiali in vindictam malefactorum.

Item dicunt, quod interficere aliquam bestiam vel avem, exceptis piscibus et sexcupidibus et pulicibus et hujusmodi, sit peccatum, et si quis interfecerit agnum vel avem et hujusmodi talia, peccaret mortaliter. Item quod Patareni consolati non possunt comedere carnes nec ova, nec caseum, et si non haberent ad comedendum alia, permitterent se prius mori, quam comederent de praedictis vel aliquo praedictorum. Item dicunt, quod nullum juramentum possit fieri sine peccato aliqua de causa. Item dicunt, quod quodcunque peccatum fecerit homo, sive furta sive rapinas seu alio

modo aliquo illicito habuerit aliena vel damnificaverit aliquem, non tenetur confiteri neque satisfacere, sed omnia remittuntur ei per impositionem manuum Patarenorum, quando confitetur se peccatorem, nec tenetur specificare nec nominare peccatum. Item dicunt, quod non sit peccatum accipere usuras, nisi committatur in accipiendo fraus, et illa fraus, si committitur, est peccatum. Item dicunt, quod illam manuum impositionem seu peccatorum absolutionem secundum ritum Patarenorum possunt dare episcopi, filii majores, filii minores et diaconi ex autoritate propria, alia vero Patareni qui christiani appellantur ex jussione et concessione praedictorum vel alicujus eorum.

Item dicunt quod talis diaconus (diaconatus) est officium praelatorum et dispensationis tam in spiritualibus quam in temporalibus, et quod hujusmodi diaconi eliguntur a christianis et ordinantur ab episcopo, et legitur in ordinatione diaconi evangelium et dicitur oratio dominica cum manuum impositione.

Item dicunt, quod filius minor non est nisi unus in una ecclesia et est sub filio majore; major vero filius est immediate sub episcopo, et succedit ei in episcopatu sine aliqua alia electione.

Item dicunt, quod in Thuscia est ecclesia Florentina, quae extenditur a civitate Pisana usque Aretium inclusive, et ab Aretio usque Montepulcianum inclusive et Grossetum; et deinde omnis terrae intermediae usque Pisam sunt de ipsa ecclesia Florentina.

XXII.

Cod. Casanat. A. III. 34.

Super inquisitionibus haereticorum primo quaeratur: Si est Patharenorum vel Catharus vel credens. Si est consolatus. Si consolatus est alios. — De qua opinione Patharenorum. Si credit, quod aliqui Pathareni, qui non sunt de opinione sua, salventur. Si credit, quod Jesus Christus sit

Deus essentialiter, et sit verus homo habens quantum ad naturam humanam, naturam creatam de nihilo et carnem de massa Adae derivatam. Si traxit carnem veram de vera virgine et in ea factus et formatus. Si Spiritus s. est unus tantum et est Deus. Si credit, quod beata Maria fuit vera mulier, habens . . . . . de massa Adae, et si de suo corpore genuit Christum. — Si credit, quod Joannes Bapt. fuit bonus et sanctus et si salutis (sit salvus?), et angelus annuntiator illius fuit bonus angelus, et a bono Deo missus. Et si ex Zacharia et Elisabeth fuit conceptus et natus sine mortali peccato. — Si beata Maria Virgo et b. Agnes sunt majoris meriti quam aliqua peccatrix noviter consolata. Si usura sit peccatum et si possit juste vivere aliquis de usura. Si Patharenus potest aliquem absolvere usurarium ab usura sine restitutione. Si credit, quod aliquis possit salvari sine manuum impositione Patharenorum, et si aliquis volens manus impositionem a Patharenis accipere, et habens omnem fidem Patharenorum, et mittit pro eis volens ipsum recipere ab ipsis, et antequam perveniant subito moritur, vel postquam pervenerint et dixerint verba, quae solent dicere super infirmum et non tetigerunt cum manibus et moritur interim, si sit salvus. Si aliquis habuit Spiritum sanctum per manus impositionem et postea peccavit, si potest plus salvari per aliam manus impositionem, vel si postquam habuit manus impositionem et comedit optima cibaria de bonis carnibus et sturionibus et aliis rebus delicatis et bonis piperatis, si propter hoc perdit Spiritum sanctum. Si aliquis, qui multos consolatus est, et post consolationem morientes salvantur, si post hoc ille peccat mortaliter et perdit Spiritum sanctum, si qui salvati sunt, damnantur. — Si majus peccatum sit cognoscere non suam conjugem quam suam. — Si credit, quod unum peccatum sit majus altero, et unus homo pejor altero, et si in inferno magis puniatur unus altero. Et si unus homo sit melior altero, et si in paradiso unus sit major et dignior alio. Si credit, quod Christus et apostoli fecerunt miracula in corporibus humanis et in rebus temporalibus, et si modo aliqua fiunt mira-

cula per sanctos. — Si credit, quod reverentia sit exhibenda corporibus Patharenorum. Si Potestas faciendo justitiam de malefactoribus possit salvari et si malefici sunt puniendi per potestates temporales. Si credit, quod aliquis possit salvari, nisi restituat rapinas et male ablata. De quibus peccatis tenetur homo facere poenitentiam, utrum de illis, quae fecit in coelo, vel quae fecit in terra, et quomodo dicantur homines peccasse in coelo. Si est peccatum mortale comedere carnes et caseum absolute et omni tempore, et qua ratione ista utantur.

XXIII.

Cod. Vatic. 4255. f. 54.

Incipit: Cupientes aliquod habere compendium etc.

f. 66. Sequitur de poenitentia, circa quam haeretici multipliciter errant. Dicunt enim, quod siquis simul (semel?) poenituit et postea peccavit, nunquam potest resurgere, quia ille cui facta est manuum impositio perdit gratiam vel gloriam, si ille qui manus imposuerat ei, postea peccat.

Quidam autem inter illos dicunt, quod si ille, qui videbatur poenitere, peccat, nunquam vere poenituit.

f. 72. Mirum videtur, quod aliqui sapientes et discreti tantis et talibus nugis possint animum applicare, sed sciendum, quod sunt quaedam causae materiales et motivae, quae excaecant in iniquitatibus saeculi obligatos. Prima est mala vita clericorum, secunda nulla est restitutio male ablatorum, etiam largitio munerum pro quo haeretici faciunt; quarta, quod (non) obligatur majori poenae secundum eos, qui offendit in infinitis peccatis quam qui offendit in uno. Quinta quod ex prava credulitate sua timent, utrum sint de angelis, qui ceciderunt, quos haeretici dicunt praedestinatos ad vitam, vel de malis angelis praescitis ad mortem omnino, et ideo se involvunt in infinitis peccatis. Duae sunt efficientes causae: una est abyssus judiciorum Dei, secunda est profunditas peccatorum, sed prima principalis, alia secundaria.

Et nota, quod illi qui ponunt duo principia, diversis nominibus appellantur, apud quosdam enim appellantur Albanenses, apud alios illi de Geseçano, apud alios illi de Blasmanta. Alii qui ponunt unum principium, similiter diversis nominibus haeresiarcharum sicut successive mutantur.

Tertia secta est Calocanorum, quae similiter appellatur illi de Balgnolo, quae secta concordat in aliquibus cum secunda. Quarta etiam secta reperitur, cujus nomen speciale est, et etiam tot reperiuntur, quot sunt ibi haeretici, et ideo certis nominibus carent, cum sint confusione Babyloniae deputati.

f. 61. Sequitur de adventu ad judicium, circa quod tripliciter errant, primo quod nullum aliud fiet judicium, nisi quod factum est, sive quod fiet in morte. Secundo quod poenae erunt aequales in inferno. Tertio quod infernum nihil aliud est, quam mundus, et quod nusquam cruciantur animae nisi in mundo.

XXIV.

Cod. Ottobon. 136. f. (pergam.)

Adversus haereticos, qui Passagii dicuntur, qualis sit error eorum et quam nefanda sit illorum fides et doctrina jam non paucis — apparet. Sed quia sunt nonnulli, ad quorum notitiam nondum pervenit, tum pro istorum cautela et salute, tum pro illorum confusione et pudore, quae de eo sentio, scribere non piget, ut quo magis eorum nota fuerit dementia, eo amplius a cunctis condemnatur (sic) et conculcetur. Quia sicut bona sciri debent, ut exerceantur, ita et mala scire convenit, ut penitus vitentur. Adverte ergo tu, qui nescis, quam perversa sit illorum fides et doctrina. Dicunt enim imprimis, quod Mosaica lex ad literam sit observanda, et sabbatum et circumcisio et aliae legales observantiae adhuc statum habere debeant. Dicunt etiam, quod Christus filius Dei non sit Deus aequalis patri, et quod pater et filius et spiritus s. istae tres personae non sint

unus Deus et una substantia. Praeterea ad augmentum sui erroris omnes ecclesiae doctores et universaliter totam ecclesiam Romanam judicant et damnant. Sed quia hunc suum errorem Novi Veterisque Testamenti et prophetarum testimonio videntur asserere etc.

Ibid. Adversus Arnaldistas, qui pro malitia clericorum sacramenta ecclesiae dicunt esse violanda.

XXV.

Cod. Wirceburg. 190. fol.

De origine, fide et modo examinandi et judicandi ac statuta sedis apostolicae et legum civilium contra haereticos qui Pauperes de Lugduno vocantur.

Fides catholica fundamentum est omnis boni etc. Errores.

IX. Dicunt tunc hominem primo et vere rebaptizari, cum in eorum haeresin fuerit inductus.

X. Dicunt, baptismum non valere pueris, eo quod nondum credere actualiter possint.

XI. Dicunt, sacramentum confirmationis nihil esse, sed magistri illorum vice illius sacramenti manus discipulis imponunt.

XII. Dicunt, episcopos et clericos et religiosos esse ecclesiae scribas et pharizaeos apostolorum et persecutores.

XIII. Dicunt corpus Christi et sanguinem verum non esse, sed panem tantum benedictum, qui in figura quadam dicitur corpus Christi, sicut dicitur: Petra autem erat Christus. Hoc autem quidam dicunt per bonos tantum posse confici, alii autem per omnes, qui verba consecrationis sciunt, unde et in conventiculis suis celebrantes recitant illa verba evangelii in mensa sua sibi mutuo participantes sicut in coena Domini.

XIV. Dicunt, quod sacerdos peccator non possit aliquem absolvere et ligare, cum ipse sit peccato ligatus, et quod quilibet et sciens laicus possit alium absolvere et poenitentiam ei injungere.

XV. Dicunt unctionem extremam, oleum consecratum et crisma nil valere.

XVI. — omnes ordines clericales fore potius maledictiones quam sacramenta.

XVII. Dicunt matrimonium esse fornicationem (per) juramentum, nisi continenter vivant, et quaslibet alias luxuriae immunditias dicunt esse magis licitas quam copulam conjugalem. Continentiam quidem laudant, sed urentem libidinem concedunt quocunque modo turpi (explere), exponentes illud apostoli: melius est nubere, quam uri.

XVIII. Dicunt omne juramentum esse illicitum, etiam pro re vera, et peccatum mortale, sed tamen dispensant inter se, ut juret quis pro evadenda morte corporis vel ne alios prodat vel secretae perfidiae sc. revelet et hujusmodi.

XIX. Dicunt esse crimen inexpurgabile et peccatum in Spiritum s. prodere haereticum.

XX. Non licere occidere maleficos per judicem saecularem, dicunt enim quidam, quod etiam animalia — non liceat occidere, ut pisces et hujusmodi; cum autem volunt talia manducare, suspendunt ea super ignem in fumum, donec per se moriantur, pulices et cetera similia excutiunt contra ignem vel vestem intingunt in aquam calidam, donec per se moriantur, et ita nolunt ea occidisse.

XXV. Dicunt superveniente evangelio omnia vetera transmisisse et ideo vetus testamentum non recipiunt ad credendum, sed tamen aliqua inde discunt, ut nos per ea impugnent et se defendant; sic et verba ss. Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Gregorii, Chrysostomi et Ysidori ex libris eorum et autoritates truncatas decerpunt, ut jam sua figmenta inde approbent, vel nobis resistant vel simplices facilius seducant pulcris sanctorum sententiis doetrinam sacrilegam colorantes. Illas autem sanctorum sententias, quas sibi vident esse contrarias, tacite praetermittunt, et non solum viri, sed et feminae apud eos docent, quia feminae magis patet accessus ad feminas pervertendas et per illas etiam viros subvertunt.

Duo sunt genera sectae, quidam dicuntur perfecti eorum

et illi proprie dicuntur Poverley, nec omnes ad hoc assumuntur, sed prius diu informantur, ut et alios sciant docere. — —

Cum olim una secta dicitur fuisse Poverleon, Ordilebonii et Amotuste et Runcharii et Waldenses et quidam alii, nunc diversis opinionum inter se altercationibus in diversas haereses sunt divisi et denominati ab illarum opinionum auctoribus.

Nota: isti fuerunt Waldensium haereticorum magistri et quidam discipuli, et sunt jam per Dei gratiam et misericordiam ad fidem catholicae ecclesiae conversi: Primus Johannes de Wienna, item Claus de Brandenburg, item Fridericus de Hardeck, item Heynricus de Engelstatt est factus crucifer. Item Petrus de septem castris Ungariae. Isti quinque post conversionem eorum facti sunt sacerdotes ecclesiae catholicae. Quorum unus cum alio quodam presbytero et scolare etiam converso et aliis duobus, nomen unius Ulricus Paur, alterius Conradus Waythoff, hi quinque interfecti sunt eo quod de secta se averterunt. Item Jacobus, qui jam est Budae in Ungaria. Item Nicolaus de Wienna, qui prius fuit sartor; item Conradus de Erfordia, qui prius fuit sutor; hic post conversionem suam revenit Erfordiam et coram haereticis ejusdem sectae reclamavit errorem suum, praedicans eis veram Christi Jesu fidem, et nullus voluit converti, nisi soror ejus quae fuit uxor Mathei Witenberg pileatoris, postea tamen a. D. 1391 per D. Martinum de Amberg et fratrem Petrum Celestinum omnes in Erfordia sunt convicti et conversi, abjurati et cruce signati. Item Hans von der Steyrmarch filius textoris; hic similiter sicut Conradus praedictus reclamavit et revocavit errorem suum coram praedictis in Erfordia. Item Fritz von Stierland, qui fuit prius ein wolusch larer (?). Item Herman Stranss, qui fuit filius pileatoris. Item Hanns von Steyrstat, qui fuit textor parchani. Item Hanns von Ens, qui fuit faber. Item Niclas von Plawen, qui fuit cerdo. Item Hanns Simmler de Steyrmarch, qui fuit filius cujusdam rustici. Item Hanns de Maguncia prope Renum, qui fuit sartor et est factus mo-

nachus. Item Claus de Plawen qui fuit scolaris filius Conradi linificis, hic duobus annis moratus est in domo Margarethae in Wittenberg et manens haereticus frequentavit scolas ibidem. Ecce XX conversi, quorum alii magistri aliqui discipuli fuerunt in secta et modo omnes conversi.

XXVI.

Cod. Bavar. Monac. 329 f. 215 sqq.

Primo dicunt haeresiarchas, quos apud se fratres nominant et in confessione dominos appellant, esse veros discipulorum Christi successores. Contra: Ipsi secrete praedicant et paucis hominibus in angulis domorum et plerumque noctis tempore, quorum etiam occultissime confessiones audiunt. Ergo non sunt successores apostolorum Christi, de quibus dicit Paulus apostolus Rom. 10 in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum; et Christus Luc. 12. Quod in aure auditis, praedicabitur in tectis et Marc. 14, 9. Ubicunque praedicatum fuerit evangelium istud in universo mundo, et Matth. 28, 19 docete omnes gentes, et Luc. 24, 46 oportuit Christum pati et in nomine ejus praedicari remissionem peccatorum in omnes gentes et Christus Joh. 18. Ego palam locutus sum mundo in synagogis, ubi omnes judaei conveniunt et in occulto locutus sum nihil, et Matth. 26, 55. Quotidie apud vos eram docens in templo. Quotidie dicit contra haeresiarchas Waldensium, qui saepius nocte praedicant, quando familia christiana dormit, quam inter se vocant alienam . . .

In templo dicit contra eosdem, qui in cameriis, solariis, granariis, stubellis cautissime clausis.

Ideo non solum non sunt apostolorum Christi successores, verum econtra sunt fures et latrones qui lucem oderunt, ad lucem non veniunt, quia mala sunt opera eorum et non in deo facta. Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde hic fur est et latro, et ibid. Quotquot venerunt — — fures sunt et latrones. Ipsi

vero dogmata perversa sub verborum dulcedine et sanarum doctrinarum specie contra veritatem Romanae ecclesiae . . . producunt. Ergo non ab ea sed contra eam a magistro erroris diabolo missi sunt, nec unquam testibus aut scripturis, aut signis probaverunt, quod a deo missi sint.

Ergo dum quandam veritatem . . . docent ut sunt non furari, non moechari, non maledicere, non fallere, non mentiri, sub hujusmodi sententiis mellicis venenum . . . articulorum haereticorum per sanctam ecclesiam Romanam reprobatorum inserunt, simplices decipiunt, animarum salutem subtrahunt et furantur et similia mala introducunt.

Interroga quasi affirmative ex suppositione sic:

Quotiens es tu confessus haeresiarchis i. e. illis bonis hominibus, qui ad te venerunt occulte dicentes se loco apostolorum in mundo de loco ad locum ambulare, praedicare et confessiones audire. Quot annis es tu jam hic residens? Quotennis eras quando primo confessus? Hic computare potes, quamdiu fuerit in secta. Porro adde: quando es eis ultimo confessus? quales reputasti illos, quibus sic confessus fuisti? Habuerunt coronas clericales vel vestes sacerdotales? Quid injunxerunt tibi pro poenitentia? Tenuisti poenitentiam illam vel implevisti? Injunxerunt tibi etiam aliquod Ave-Maria? Quanto tempore debuisti illam poenitentiam implere? Credidisti tu, quod possent te absolvere; utrum melius quam nostri sacerdotes, vel aequaliter? Quis primo induxit te in sectam vel in vitam illam? Quot haeresiarchis es confessus? quid fuit primum, quid secundum, quid tertium etc. Interfuerunt parentes tui illius sensus sectae, opinioni, vel vitae? Quoties suscepisti corpus Christi? Es tu confessus etiam nostris sacerdotibus? Es tu etiam confessus nostris sacerdotibus te fuisse illius opinionis? Quare non es confessus? Hic concludere potes, quod suscepit corpus Christi in peccato mortali et in excommunicatione papali. Quoties audisti praedicationes eorum? ubi primam? in quot domibus istius loci? in quo commodo istius domus? fuit die aut nocte? mane aut vespere? Qui

fuerunt tecum? Quoties audivisti inter amicos tuos taliter dici, quando nostri sacerdotes praedicaverunt, et ipsi interfuerunt: „Ille sacerdos bene praedicavit, sed multa mendacia admiscuit?“ Quoties es taliter locutus?

Qualia mendacia admiscuit, sicut tibi videtur? Quid praedicaverunt?

Post hoc vade ad articulos et primo principales:

Primum articulum de purgatorio. Sic interroga:

Quid praedicaverunt magistri tui vel illi, quibus es confessus, de purgatorio? Estne aliquod purgatorium? Estne aliquod purgatorium post hanc vitam?

Secundum articulum de suffragiis ecclesiasticis pro fidelibus defunctis sic interroga: Quantum oras quotidie pro animabus parentum tuorum vel aliorum amicorum vel benefactorum tuorum defunctorum? Quantum ecclesiae dedisti pro eis? Quot dies jejunasti pro ipsis?

Quid offers in anniversariis eorum? Quot missas celebrari fecisti aut procurasti pro eis?

Tertium articulum de veneratione sanctorum et imploratione auxilii eorum sic interroga: „Scisne Ave-Maria? dicas, qualiter scias. Scis aliquam orationem devotam de aliquo sanctorum specialiter? Si scis, dicas eam. Credis sanctam Mariam et alios sanctos scire miserias nostras, quas habemus in terris et compati nobis et orare pro nobis. Quis est patronus in parochia tua? Quando celebratur ejus festum? Jejunaturne ejus vigilia per ecclesiam? jejunasti tu ipsam? Celebrasti diem ejus? Qualis est sanctus ille? angelus, martyr, confessor? apostolus, virgo, vidua? Quid praedicatur de vita ejus? Quid praedicatur de morte ipsius? Quantum obtulisti in festivitate sua pro veneratione ipsius? Elegisti in apostolum? Quis est apostolus tuus? Interroga: quando celebratur ejus festum, et alias interrogationes sicut jam dictum est de patrono etc.

Quid sentis de adoratione sanctae crucis, clavorum, coronae spineae et lanceae et aliorum insigniorum Christi et imaginum sanctorum Dei? Signasti te signo crucis? Es tu osculatus reliquias sanctorum? Es tu confirmatus? Quid

est confirmatio? Visitasti tu limina sanctorum pro indulgentiis? Fuisti Romae? Aquis-Grani, Pragae ad ostensionsem reliquiarum? Spersisti te aqua benedicta? Gustasti sal benedictum? Habes herbas et palmas benedictas in domo tua et candelam? Fecisti talia ex puro corde, sicut alii homines christiani, quos tu alienos i. e. „die Fremden“ nominas; vel fecisti solummodo talia ad ostensionem, ne notareris? Dic puram veritatem. Credisne sanctum Martinum esse salvatum et ejus animam esse in regno coelorum? Vis bibere in nomine sancti Martini? Scis aliquam cantilenam de Deo vel de sancta matre sua?

Cantasti etiam in die paschae? Chriſt iſt erſtanden?

Quid sentis de cantu organorum et cantu scholarum et sacerdotum? de campanis, magnis turribus, ornamentis templi, paramentis?

Possetne celebrari missa sine vestibus illis et altari?

Interfuisti aliquoties ad dedicationes ecclesiarum altarium et ad ordinationes presbyterorum et ad primas missas novorum sacerdotum?

Si staret in voluntate tua, velles libentius te vel aliquem amicorum tuorum sepeliri in coemeteriis aut in alio communi loco, ut in agro aut pomario?

Potest homo occidi sine peccato mortali? Peccatne papa mittendo exercitus contra Sarracenos et dando crucem contra rebelles alios? Peccantne imperatores et reges condendo leges de occisione? Peccantne judices et jurati condemnando impios morte, vel condemnando maleficos morte? Potest quis jurare sine peccato mortali? Quantum peccavit, qui dixit, „vere vidi illud,“ et non est mentitus?

Credis esse unicam fidem christianam, sicut credis esse unum Deum et unum baptisma?

Et sic interroga de aliis articulis quibuscunque, et tunc dic: Ecce relinquitur tuo arbitrio et voluntati si velis veraciter converti a tuis erroribus et ab illa et omni secta haeretica et amplius nunquam communicare nec participare aliquibus hominibus istius sectae, quamdiu tales sunt et super hoc facies juramentum; et quod poenitentiam perages

gratiosam. Et jurabis ex te ipso taliter: Ich Hans swere ayn Ayd Gott dem almechtigen meinem Herrn vor menniglich und den gegenwertigen heren an seiner stat ann alles Geverde, daß ich fürbas nie nymmer kummen wil zu den leuten, dy sich nennent die kunden waldisser; noch kain gemeinschaft haben will, weder mit ihn(en) weder mit ihren maistern, predigern, beichtigern, dy weil sy also sind. Auch verswere ich allerlay ungelauben der da ist wider den offenbaren gelauben, den man gemainlich überall helt in der hailigen remischen kirchen und christenhait, und daß ich mich will gestellen zu der Buß umb meine missetat, wan man mich darzu fodert und will die buß halten, wie man mir sy aufflegt nach gnaden, als mir gott helf und sein hailigen marter in meinen letzten zeyten.

Errores haereticorum Waldensium.

Erroribus haereticorum Waldensium est subsequentibus et aliis subscriptis obviandum. Et notandum, quod frater Petrus infra spatium unius anni de praedictis haereticis revocavit ad fidem circa sexcentos.

1) Primo dicunt haeresiarchas, quos apud se fratres nominant et in confessione dominos appellant, esse veros discipulorum Christi successores.

2) Secundo dicunt sacerdotes ecclesiae catholicae sine ratione ideo non esse veros et legitimos successores discipulorum Christi, quia possident propria, quod secundum eos apostoli non fecerunt praecipiente Domino Matth. 10, 9. „Nolite possidere aurum neque argentum; et dicente Petro: ecce nos reliquimus omnia Matth. 19. Resp. quod idem ipse Dominus, qui ante tempus manifestae persecutionis dixit, quod praemissum est, imminente hora passionis horum licentiam dedit Luc. 22, 35. Quando misi vos sine pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis et respondentibus apostolis „nihil“ Dominus subjunxit: „Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter et peram. Item ipse Dominus qui ante mortem dixit coram Pilato „regnum meum non est de hoc mundo, post resurrectionem suam dixit coram discipulis suis: „data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;

item Ps. 2. ad filium Pater .... postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae. Item tempore primitivae ecclesiae non solum apostolis sed omnibus credentibus erant omnia communia et nemo quidquam suum esse dicebat. Verum econtra Ananias et Sapphira fraudem committentes a Petro correpti mortui sunt. Si ergo sacerdotes ex possessione proprietatum non sunt sequaces apostolorum, ergo nec laici per modum et per consequens credentes haeresiarcharum Waldensium (etiam) si haeretici non essent, condemnati sunt, si ea quae magistri eorum unanimiter ipsis asserunt, vera sunt.

3) Tertio, quia vident in pluribus presbyteris ecclesiae mala exempla superbiae, avaritiae, incontinentiae, ebrietatis, rixae, iracundiae, invidiae et aliorum vitiorum, ideo plus credunt suis haeresiarchis, perhibentibus eis exempla bona humilitatis, largitatis, castitatis, sobrietatis, pacis, amoris, mansuetudinis et aliarum virtutum, quam presbyteris praedictis, et libentius audiunt eorum praedicationes, quam illorum et libentius confitentur eis, quam illis, et majorem credunt eos ex bona vita exteriori habere auctoritatem absolvendi a peccatis, quam illos, quamquam non credant eos esse ab episcopis ecclesiasticis ordinatos.

4) Quarto dicunt: Sanctos in patria non esse invocandos. Ratio: quia absorpti sint plenitudine gaudiorum, ut nihil possint cogitare de nobis et his, quae nobiscum aguntur. Item dicunt: si sancti orarent pro nobis, ipsi carerent gaudio. — Item dicunt: solus Deus creavit nos, redemit nos, glorificabit nos, ergo sibi soli et nulli aliorum serviemus. Item dicunt haeretici: tamen scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies: ergo non est facto alicui serviendum.

5) Quinto dicunt, ecclesiarum dedicationes esse inutiles et aedificationes turrium ecclesiarum, campanarum, ornamentorum, altarium consecrationes, hymni clericorum, cantus organorum et plurima, immo omnia, quae pro solemnitatibus fiunt, damnant et reprobant dicentes, esse pompas et superbias, Deo displicentes.

6) Sexto dicunt, quod Papa, archiepiscopi, episcopi non habeant majorem auctoritatem, quam sacerdotes.

7) Septimo dicunt, quod ea, quae constituuntur ab episcopis et ecclesiae praelatis, non sunt servanda, eo, quod sint traditiones hominum, non Dei.

Item objiciunt: Jes. 29, 13; Matth. 15, 9: sine causa colunt me docentes doctrinas et mandata hominum.

Item objiciunt ad Gal. 1. 9: Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod evangelizatum est vobis, anathema sit.

8) Octavo dicunt, quod non liceat praelatis excommunicare et quod ecclesia Dei non debeat malos persequi, nec etiam vitare; non advertentes, quod ad Dei gloriam pertineat, quod ejus contumelia de medio tollatur et contumeliosi de medio sanctorum ejiciantur.

9) Nono dicunt in indulgentiis et remissionibus, quae per episcopos fiunt, esse nihil utilitatis vel momenti. Et arguunt sic: Si benefactoribus alicujus loci remittitur tertia pars vel hujusmodi injunctarum poenarum, ergo remissiones illae sunt venales. Si quis enim ovum vel obolum dederit, erit benefactor, et si datur illi remissio propter pecuniam, venalis erit remissio et remissionis gratia.

Secundo arguunt sic: si duorum vel plurium annorum poenitentia in unius oboli oblationem commutatur et annorum plurimorum in horam brevissimam, ergo Deus defraudatur.

Tertio arguunt sic: Si verum esset, quod de indulgentiis dicitur, eodem pretio longae et graves poenitentiae, quam leves et breves redimuntur.

Quarto arguunt sic: Hujusmodi indulgentiae dant impunitatem peccandi, quia homines impune peccant, si tam levis, immo ridiculosa fit remissio peccatorum.

Quinto arguunt: Si indulgentiae essent verae, tunc insanissimi sunt, qui transfretationes et alias longas peregrinationes suscipiunt, si tres oboli tantum eis prosunt.

10) Decimo dicunt: Animas illorum, qui in caritate decedunt, nulla poena purgatorii puniendas. Et quia ipsis arguitur: Tamen rarissime aliquis talis est sine peccatis

venialibus, ergo oportet eum purgari post hanc vitam . . . Respondent, et maxime priores haeresiarchae, quod nullum sit peccatum veniale. Et quia ipsis arguitur de maximis peccatoribus, qui pene nihil in tota vita sua poenitent, sed prope finem vitae convertuntur: hi qui in caritate decedunt, non debent aeternaliter condemnari, et quia hic nihil purgati sunt, non debent statim ingredi ad regnum coelorum: respondent: Quicunque dimittit alicui culpam, dimittit et poenam.

Etiam negant purgatorium post hanc vitam, dicentes solum esse duas vias, scilicet immediate ad vitam aeternam, et malorum immediate ad mortem aeternam.

Item dicunt, Christianos esse idololatras propter imagines Sanctorum et signum crucifixi.

Item cantum ecclesiasticum et horarum canonicarum dicunt esse latratum canum.

Item quodcunque benedicitur ab episcopis et praelatis, sive sit ipsa ecclesia, sive fons baptismi, sal, aqua, herbae, thymiatheria, paramenta, palmae, candelae, dicunt penitus non valere, et si quando intersunt, hoc faciunt, ne notentur.

Item de indulgentiis et peregrinationibus et ecclesiarum dedicationibus nihil credunt.

Item de sepulturis in ecclesiis et coemeteriis non curant, nisi ut non notentur, dicentes, melius esse in locis aliis sepeliri. Idcirco, quando magistri eorum moriuntur in domibus credentium suorum, qui sunt aliis hominibus ignoti, sepeliunt eos in profundis foveis cellariorum suorum, ne, si quando necesse foret vendere domum et alii christiani quidpiam ibi fodientes ex inventorum mortuorum ossibus malum aliquid suspicentur etc.; ut frequenter in agris procurant se et in pomariis sepeliri.

Item dicunt, papam esse caput omnium haeresiarcharum et ex eo ipso cardinales, archiepiscopos, episcopos, imperatorem, reges, principes, duces et omnes judices tam spirituales quam saeculares una cum omnibus presbyteris esse damnandos, disserentes, si possibile esset aliquem salvari

ex illis, fides eorum esset falsa et mala et nulla, et hoc reputant impossibile.

Item omne juramentum dicunt esse mortale peccatum.

Item sacramentum confirmationis non credunt, licet plurimi eorum se confirmari faciant, ne notentur.

Item dicunt, nihil orandum esse praeter Pater-noster; ergo plurimi eorum ignorant Ave-Maria; non orant psalmos et orationes alias, quantumcunque devotas.

Item dicunt, omnia verba missae et omnia paramenta ad missam spectantia esse de errore, praeter verba consecrationis.

Item quidam ipsorum consueverunt se ipsos consecrare ad pascha isto modo. Aliquis eorum sumit panem azymum, ponens eum super asserem unum, et aquam ad unum cochlear et benedicit ista simul et communicat se et alios. Quo facto tam asserem quam cochlear in ignem ponit comburendam. Plurimi tamen magistrorum suorum abhorrent hoc, non habentes multam fidem in hujusmodi communione propria, sed ad communicundum in ecclesiam, quando est populi major pressura, ne notentur. Multi tamen ex ipsis, quamquam manent sine communione, ad quatuor aut sex annos abscondentes (se?) in villis aut civitatibus paschali tempore, ne a christianis agnoscantur.

Item suadent credentibus suis ire ad communionem ecclesiae solum tempore paschali, et sic colorant se, quasi sint etiam Christiani.

Item docent orare subditos suos in omni loco, in quo manent et ut primum orent pro illis, qui sunt in secta, quod omnipotens Deus eos ab omni malo custodiat, et qui nobis christianis, quos inter se alienos i. e. „die Fremden" credunt et nominant, permittat advenire bella, famem, pestilentiam et alia incommoda, ut illo tempore ab eorum inquisitione et impugnatione cessemus.

Item processiones in die corporis Christi et aliorum temporum christianorum dicunt esse vanum triumphum et ridiculum, similiter et de candelis, quas christiani solent ibidem deferre.

Item de signo crucis nihil credunt asserentes, quia nec venerarentur illam crucem, in qua Christus pependit, nec spineam coronam, nec clavos, nec lanceam, nec tunicam inconsutilem, si viderent, quorum omnium venerationem dicunt esse vanam et inutilem, et quod sacerdotes hoc invenerunt propter lucra.

Item excommunicationem sive papae sive aliorum praelatorum nihil omnino curant, nisi suorum superiorum.

Item universitates scholarum, Parisiensem, Pragensem, Wiennensem et aliarum reputant inutiles et temporis perditionem.

Item quidquid summi pontifices de ordinationibus in ecclesiis servandum statuunt, nihil advertunt.

Item de martyribus, confessoribus, eremitis, Nicolao, Martino, Ambrosio, Catharina, Margaritha et omnibus aliis sanctis quodcunque praedicatur, nihil credunt, sed dicunt, quod fortasse in inferno sepulti sint.

Item dicta sanctorum nihil curant, nisi quantum pro secta eorum confortanda retinent, sed tantum novum testamentum ad literam observant.

Item vocant nos christianos vulgariter „die Fremden" i. e. alienos, quia Deus non nos, sed tantum ipsos noscat.

Item omne homicidium quorumcunque maleficorum credunt esse mortale peccatum, dicentes, sicut non posse vivificare, sic nec debere occidere.

Item aedificia altarium, ecclesiarum, turrium, campanorum, organorum et cetera ecclesiarum ornamenta reprobant.

Item omnia paramenta episcoporum, infulas, chirothecas, curvaturas, annulos etc. vocant superstitionem.

Item dicunt, quod coronas et tonsuras clericorum Deus odiat, eo quod non sit talium institutor.

Item confessionem generalem nihil advertunt.

Item miracula, quae fiunt in ecclesia Dei sanctorum meritis, omnino abjiciunt.

Item docent subditos suos, ne graviora peccata sacerdotibus confiteantur et mittantur ad auctoritatem episcoporum, ut moris est christianorum, et ibi confundantur et pe-

cuniis excorientur, dicentes quod sacerdotes sint pleni avaritia.

Item consecrationes clericorum, ecclesiarum et ordines ecclesiasticos dicunt esse insaniam et errorem et quod papa et episcopi etiam invenerint propter lucra.

Item improbant omnes religiones tam monachorum quam monialium dicentes esse superfluas et inanes.

Item dicunt, quod papa, episcopi et cardinales etc. non habeant majorem auctoritatem, quam simplices sacerdotes.

Item dicunt, quod nemo possit a daemone obsideri et vexari et quod talia sint vana et vesana, quae contra daemoniacos peraguntur.

Item asserunt, quod omnes, qui destruunt sive consilio sive auxilio vel favore sectam illam, ceteris profundius condemnentur.

Item dicunt, quod illa secta sit vera et unica fides catholica, extra quam nullus possit salvari.

Item derident Christianos, qui eligunt sibi apostolos prout mos est fieri in ecclesia Dei et Christi et qui vigilias sanctorum jejunant et festa celebrant, et si ipsi propter colorem similia faciunt, dicunt se hoc solum ad laudem Dei et non sanctorum facere.

Item alios quamplures articulos habent, qui in praedictis includuntur et faciliter ex ipsis elicinntur.

Quidam sunt haeretici alins sectae pessimae, qui tenent quosdam diabolicos articnlos, quorum pauci subscribentur: Primo adorant Lucifernm et credunt enm esse Dei fratrem, injuriose de coelo detrnsum et se cum ipso regnaturos; pueros eorun ei immolant. Ipsnm pro divitiis rogant.

Pueris aquam baptismalem abluunt, chrisma salis fricatione abluunt.

Ad loca subterranea, quae communiter „Buskeller“ quod nescio interpretare, dicuntur, conveniunt, permixturas, concupiscentias et abominabiles luxurias exercent. Beatam virginem post Christi partum dicunt non mansisse castam, sed plures filios habuisse. Corpus Christi et omnia alia sa-

cramenta non credunt. Pollice oculos tempore elevationis obstruunt.

Haec et similia innumera, dimissa pro nunc, asserunt et confirmant.

Sapiens igitur homo ille, qui omnibus aliis expletis, solos illos articulos firmissime tenet, qui per Romanam ecclesiam publice praedicati et determinati sunt, fuerint et erunt, in Christo Jesu Dom. nostro.

Quando producitur suspectus aliquis de haeresi, quaeratur primo: scis, quare sis captivatus? Item quid sciunt alii de tua captivitate? Item audistine ab aliquo causam tuae captivitatis? Si dicit nescio, dic: Dicitur de te quod ex informatione quorundam sectariorum magistrorum, quibus in simplicitate tua confisus es, a fide christiana publica et manifesta parumper aberraveris. Quidquid pro hoc dixerit, sive sic sive aliter, statim procedatur secum ad juramentum, nisi adeo juvenis et puerilis existat, ut etiam juramentum, quid sit et cujus vigoris non intelligat.

Forma autem juramenti primo in communi proponatur his verbis: Ecce, tu jurabis, quod velis puram veritatem dicere tibi notam de te et de omnibus aliis, de quibus hic requisitus fueris. Si jurare noluerit, plus suspectus erit, et vide, ne tibi subripiat, quasi volens juramenti causam et inquisitionem ut pote vel compellentem vel jubentem retorquere.

Postquam autem induxeris eum, quod sponte velit jurare, ipse sponte et per se digitos imponat et formam verborum non mutet. Ibi sis cautus propter versutias vulpium fraudulentas.

Forma autem juramenti vulgaris est ista: Ich Hans swere ain Ayd, Gott dem Allmächtigen, meinem Herrn vor meinem und den gegenwärtigen Herrn an seiner Statt, daß ich will sagen Amen lautere Wahrheit ann alles Geferd, aller der Dinge, die mir wissentlich sind, der ich hie gefragt wird, von mir und allen andern leuten. Als mir Gott helf und sein heilige Marter an meinen letzten Zeiten.

Si scis, quis sit, quis vocetur, a quibus parentibus et

unde natus, ubi nutritus et qua re conversatus, tanto melius. Si nescis, sic interroga: Quod est tibi nomen? unde es natione ut oriundus? Quis fuit pater tuus, quae mater? qui fratres, quae sorores? Cujus artificii es et cujus erat pater tuus? Es tunc unus ex notis hominibus? Biſtu nicht ein Kunder? Es tu de secta Waldensium?

Nota sententiae ubi quis propter haeresim cruce insignitur et stalatur.

In nomine Domini Amen. Cum nos fr. Provincialis relig. fr. O. Coelestinorum per Alemanniam in inquisitorem haereticae pravitatis a rev. P. Georgio S. Pataviensis Ecclesiae episcopi per ejus civitatem et ecclesiam constitutus, deputatus et delegatus, per nostram inquisitionem diligenter et legitime factam comperimus et ex tua confessione spontanea luculenter invenimus, te Andream, dictum Hesel, plebis parochiae S. Stephani in Wienna praedictae Pataviensis Dioecesis in subscriptis articulis errasse et quosdam ipsorum a temetipso, quosdam etiam cum aliis tuis collaboratoribus et potatoribus publico protulisse.

Primo quod sacerdotes ecclesiae fidem habeant haereticam, item quod confessio nihil sit; item quod festivitates sanctorum celebrare nihil sit, sed quod sacerdotes propter ipsorum avaritiam eas inducant; item quod orationes pro defunctis fidelibus nihil eis prosint; item quod ecclesiae materiales et altaria s. crismatē peruncta nihil consecrationis accipiant, maxime tamen in ecclesiis diaboli sua facta faciunt sicut in campis; item ex quo Deus matrimonium instituit, papa primus, qui moniales instituit, erravit: item aliquis bene faceret, et Deo placeret, si quis ex sanctimonialibus pueros generaret; item quod bonus homo indulgentiis non indigeat; item quod D. Papa non sit melior aut sanctior quam alius sacerdos et quod libenter velis cum ipso disputare; item quod sacerdotes catholici in doctrina non concordant; item quod Christus, si verus Deus fuisset, pati non potuisset; item quod ex claritate, quam ex castissimo virginis Mariae sumpsit corpore, passio ipsum laedere non

potuit, nec ei acerba fuerit; item quod primus Adam non peccavit, nec de paradyso expulsus sit, imo in paradyso mortuus sit; item quod baptismus res firma non fuit; item quod si homo rite et debite baptizatus fuerit, a lupis et a bestiis laedi aut molestari non possit; item Deus Pater filium sanctum creavit; item quod ex quo Spiritus s. ex Filio sit, ipsum Deus Pater similiter creavit; item quod lignum s. crucis alio ligno non sanctius sit, ex quo cum illo carnes et caules excoqui possint; item quod si Christi corpus fuisset sicut maximus montium, jam esset ex fidelium sumtione consumtum; item cum semel Christi corpus ante altare apostolorum in ecclesia s. Stephani sumpseras, tibi apparuerit, ac si fermentum amarum in ore habuisses.

XXVII.

Codex 217 Monasterii — in Austria.

Nota puncta seu articulos sectae Valdensium.

Nota primo: haeresiarchae hujus sectae, qui fratres nuncupantur, dicunt se habere auctoritatem praedicandi, confessiones audiendi et poenitentias salutares injungendi.

Item 2do dicunt sacerdotes omnino nihil possidere debere maxime rerum immobilium, et facientes oppositum damnatos esse.

Item negant auctoritatem Papae, dicentes ipsum nullas posse largiri indulgentias et communiter Episcopos.

Item dicta Sanctorum negant ubicunque inveniuntur contraria suae sectae — cum tamen testes pro se producens, sicut ipsi sanctorum auctoritates saepe allegant, contra se recipere compellatur. Sed producant ipsi Waldenses suos doctores, qui tamen nullius sunt momenti, et in suis erroribus et opinionibus tripartiti et per consequens ecclesiam minime constituentes, cum ecclesia sit una et similiter fides sit una et non plures. Imo ipsi Waldenses constituunt monstrum triceps, nota quod dicunt se facere unum corpus et tamen habet tria capita, aliqui enim suorum haeresiar-

charum dicuntur Romani, alii Pedemontani, alii vero Alemanni, neque aliquis eorum ab altero jurisdictionem sive auctoritatem suscipit, nec alterius se subditum confitetur. Item ipsi paucos et quasi nullos per (pro) se monstrabunt codices compilatos, unde ex invidia menciuntur, nostros sanctos doctores suos libros propter commoda propria compilasse, cum tamen dicti sancti doctores privilegia propria et dominia et honores contemserint, sicut in ipsorum vitis plenius declaratur.

Item dicunt in ymaginum veneracione ydolatriam committi.

Item dicunt purgatorium nihil esse.

Item dicunt orationes vivorum mortuis non prodesse. — Scilicet dicunt, omnis mortui animam esse in coelo et sic orationibus non indigere, aut esse in inferno, et sic oraciones ei non prodesse.

Item dicunt quod sancti seu beati mortui non possunt juvare vivos suis intercessionibus.

Item dicunt horas canonicas deceptiones esse a sacerdotibus propter avaritiam adinventas, et ad hoc probandum dicunt solam orationem dominicam, videlicet Pater Noster, esse orandum — quod tamen ipsi facto non tenent, licet verbis fingant, quia et ipsi privatas et speciales, alias a Pater Noster habent orationes.

Item similiter dicunt, instrumenta musicalia ut organa et alia non haberi debere in ecclesiis.

Item dicunt in nullo casu nisi forte metus causa qui potest cadere in constantem virum vel maxime coactione inevitabili jurandum esse.

Item dicunt quod in nullo casu vel pro quocunque delicto commisso aliquis homo de jure civili et imperiali sit morte plectendus.

XXVIII.

Prozeß gegen Valdenſer in Oeſterreich im Jahr 1398.

(Cod. Chiem. Ep. 38.)

In nomine Domini Amen. Quia nos Inquisitor seu Commissarius ad infra scripta per reverendissimum in Christo Patrem ac D. G. Episcopum deputatus per inquisitionem nostram diligenter et legitime factam evidenter comperimus etiam ex confessione propria ac etiam fide dignorum sufficienti testimonio super hoc recepto, te in errore fidei et pravitate haeretica deceptum multis annis et longis temporibus retroactis damnabiliter perstitisse; et licet nos te multis vicibus examinaverimus et examinari fecerimus et probari, an a viis tuis erroneis et perversis ad s. matrem ecclesiam cath. velles et posses converti, tu vero animo tepido et nebuloso responderis, quod recognoscas te errasse et velis vitam tuam in melius emendare, signis tamen certis verae et purae contritionis in te minime apparentibus, quae nobis de tua conversione possent facere plenam fidem; nos igitur pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, cupientes te potius salvare prout tenemur, quam perpetua morte damnare, et tecum agere mitius volentes, te sub spe futuri boni et conversionis ad verum lumen fidei cath. perpetuo carceri adjudicamus, et incarcerandum fore perpetuo decernimus et declaramus authoritate nostra ordinaria sententialiter in his scriptis, potestate tamen te redimendi de carcere, si signa verae contritionis inspiratione divina in te apparuerint, et nobis visum fuerit expedire, nobis vel certe praedicti Rev. Episcopi in hac parte commissario specialiter reservata.

Sententia de istis quae infulatae cum yronico pileo et scalatura ante ecclesiam coram omnibus plebisanis infra missam celebrationis etc.

In nomine Domini Amen. Quum nos frater Petrus Provincialis religiosorum fratrum Ordinis Celestinorum a ven. fratre Nicolao de Aversa Abbate principalis monasterii

S. Spiritus prope Sulmonam Aquilensis dioeces. nec non totius religionis praefatae per ejus provinciam Alemanniae deputatus et Inquisitor pravitatis haereticae per dioeecsin Pataviens. a rev. P. et D. Georgio per ejus civitatem et dioecesin praedictam constitutus, per inquisitionem nostram diligenter et legitime factam et ex tua spontanea et libera confessione luce clarius invenerimus evidenter, quod tu Jans von Pewg parochiae Gärsten nuper a. D. 1398 suspectus de haeresi et perjurio ex ordinatione nostra captivatus coram nobis comparuisti et citatus ad judicium de dicenda veritate et per tuum juramentum fassus es te fuisse haereticum Waldensem semel haeresiarchae confessum, reputans eum bonum et justum, licet scires eum non esse presbyterum cathol., poenitentiasque ab eo recepisse tanquam in confessione et eandem possetenus adimplesse, interrogatus recognovisti; quando autem alterum dimidium annum ex nostro mandato per plebanum tuum vocatus ad nostrum veneris examen ad Anasum, et ibi coram nobis de dicenda veritate secundum quod juris est juraveris, et super juramentum tuum per nos interrogatus de articulis sectae Waldensium quos tenent Waldenses haeretici, omnibus et simul nobis responderis, quod de vita nota, quam nos Catholici haeresin Waldensium dicimus, nihil omnino verbo nec facto participio seu conversatione tam doctrina quam confessione haeresiarchis seu ipsorum eredentibus adhaeseris, senseris, seu credideris, nec in tota vita tua usque in eum diem, quo ut praemittitur, es examinatus adverteris, imo nec per quamcunque utriusque sexus personam doctus seu inductus sis ad aliquam aliam vitam seu fidem quam Rom. praedicat ecclesia, et super his omnibus et singulis tacta Crucifixi imagine et s. s. Dei evangelio expurgationis causa corporaliter praestares juramentum; ex quibus omnibus et singulis es merito haereticus perjurus reputandus dicendus et judicandus. Nos ergo Inquisitor praefatus taliter ut praemissum est licet difficultatibus non modicis te invenimus haereticum fuisse, haeresiarchis scienter adhaesisse, hospitia eorum intrasse, ipsis confessum fuisse, et dictis modis contra Deum

et Rom. ecclesiam non minus temere et pertinaciter quam damnabiliter deliquisse. Nunc ergo saniori fretus consilio vis ad unitatem s. matris eccl. cath. corde bono et fide non ficta redire ut asseris, ideo te abjuratis inprimis sectae praedictae cunctis erroribus et articulis et alia quavis haeretica pravitate ab excommunicationis vinculis quibus ob praedictos errores adstrictus proh dolor tenebaris, hic in publico sicut prius in privato coram notario publico et testibus secundum formam ecclesiae (in nomine P. et F. et Sp. s.) absolutus in his scriptis si mandata nostra et poenitentiam tuam sincere servaveris et perfecte, sed quia tanquam bilinguis de duplici fuisti convictus perjurio, te ad condignam poenitentiam peragendam inscalandum publice per nostram praesentem sententiam diffinitivam in ecclesia S. Aegidii confessoris oppidi Styrae hac ipsa hora tibi pro termino peremtorio assignata, non infula sed yronico pileo imaginibus perjuri rustici et extrahentis sibi linguam diaboli insignito, eo quod tot et tanta nostra pia monita, ne pejerares, tibi faeta frivole contemsisti, pro tribunali sedentes, solum Deum prae oculis habentes, diffinimus, decernimus et declaramus puniendum. Quam poenitentiam septem diebus sive dominicis sive festivis persolvere debes sub poena coram nobili et strenuo milite D. Heinrico de Jelkingen et coram nobis pro te facta cum certa bonorum proborum fidejussoria cautione, potestatem tamen dictam poenitentiam modificandi seu abrenunciandi quantum cum Deo et salva conscientia poterimus, et tua contritio et satisfactio meruerint, nobis et nostro certo Commissario nihilominus reservantes.

Amplius eadem nostra inquisitione percepimus diligenti, quod tu Gundel am Holzapfelberg plebis in Weistra dudum per nos tanquam de haeresi suspectus citatus et non comparitione excommunicatus et ob contumaciam et rebellionem aggravatus, tandem cum nobis absentibus seu reputantibus (quod) cum nostram non times praesentiam qua ratione animum tuum moventes (flectamus) nescimus, religiosi viri Domini Plebani Frider. in Styra commissarii nostri praelibati

te inquisitioni, praesentiae et examini jam diu expectatus obtulisti, et hoc XXI° mens. Julii anni immediate praecedentis et ibidem per notarium nostrum Stephanum Lamp Rectorem scholarum in Styra citatus ad judicium et interrogatus si velis jurare de dicenda veritate secundum quod juris est, tu quidem jurasti et per juramentum tuum confessus es, quod pluries Haeresiarchis sis confessus, et per omnia velut haereticus Waldensis in eodem examine repertus es pariter et inventus; item confessus et quod sectam tuam usque in eum diem quo ut praemittitur examinatus es, credideris veram fidem christianam, licet tempore inquisitionis D. Heinrici de Ollmütz piae memoriae per ipsum D. Heinricum absolutus sis et denuo relapsus et nunquam absolutus. Ex tunc licet ipsa die videlicet XXJ^a^ m. Julii a. M°CCC°LXXXXVIJ° sectam haereticorum Waldensium cum omnibus punctis et articulis et omnimodo sectariorum et sectariarum communionis participationem ac aliam quamvis conversationem judicialiter et legitime solemniterque coram saepe dicto D. Friderico commissario nostro ac testibus sufficientibus et idoneis publice abjuraveris et ad poenam relapsorum expresse te, si unquam de cetero non catholice sed haeretice vivere, credere, sentire aut asserere repertus fueris obligasti, cruce glauca per d. nostrum commissarium publice poenitentiatus fuisti. Illis tamen non obstantibus cum nuper a. M°CCC°98 die vero XVIIJ m. Januarii per nobilem et strenuum virum Heinr. de Gelking Castellanum in Styra nostrum Inquisitionis officii cooperatorem fidelissimum ab illustr. DD. Ducibus Austriae Wilhelmo et Alberto ad praemissa deputatum tanquam de relapsu suspectus captivatus fueras, et ex nostri personaliter constituti mandato ad examen productus, et coram Notario publico et testibus idoneis per nos interrogatus, an velis jurare de dicenda veritate, respondisti quod libentius diceres veritatem sine juramento quam cum juramento. Interrogatus secundo imo pluries, si velis jurare, tu varia et fallacia quaerens diverticula, nos ne jurares volens evadere, dicens inter cetera, quod si tibi mandaremus, vel juramentum . . .

et cum nos arguti volpinas tuas dolositates agnoscentes diceremus: intelligo te quod vis jurare in animam meam non tuam, tu velut volpis astuta rete venationis nostrae volens transsilire, et non praevalens nostris argumentis obvolutus anxius et quomodo evaderes nesciens, D. Castellanum praedictum ad partem recepisti et sibi in conclavi dixisti, quod in animam Inquisitoris, denotando nostram, jurare velis, quia ipse, videlicet Inquisitor, literatior esset quam tu, et si quid peccati in ipso juramento foret, in ipsius Inquisitoris animam redundare deberet, non jurantis; postquam vero de partibus ad examen redissetis, D. Castellanus coram nobis publico deponens verba quae ad eum dixeras praedicta, te praesente et audiente, tu obstinate recognoscens te sic fassum fuisse, imo facere et jurare taliter ut praemissum est velis. Item interrogatus in nomine Patris et Filii et Spiritus s., si jurare velis in animam tuam non nostram, tu quidem sicuti sperabamus, reversus ad cor, respondisti quod sic, et jurasti, et per ipsum tuum juramentum confessus es, te usque in hesternam diem credidisse, juramentum quomodocunque factum esse peccatum, et ipsa jam dicta die crucem poenitentiae tibi, ut praemittitur, impositam te abjecisse dixisti, ostendens per hoc poenitentiae contemtum non modicum, tuae temeritatis ausum frivolum et duritiae cordialis evidens experimentum. Item interrogatus, si vigiliam omnium sanctorum anni immediate praeteriti jejunaveris, respondisti quod sic, sed in honorem solius Dei et non sanctorum, licet scires nos Catholicos illud facere in honorem Dei cum honore sanctorum in coelis existentium. Ex quibus omnibus etc.

Item eadem nostra inquisitione legitima comperimus, quod tu Dyemuth inquilina Methel ze Hausleuthen plebis Syrnikch nuper a. D. M°CCC°98 die XXIV. Januar. suspecta de haeresi et per praedictum tuum hospitem ad mandatum tuum non minus fraudulenter quam nequiter deliquisti nobis praesentata ad judicium per nos citata, tandem interrogata, si juramentum de dicenda veritate secundum quod juris est praestare velis, tu dure et obstinate respon-

disti quod non jurare velis. Tandem multis et variis veteris et novi Testamenti tanta quanta potuimus diligentia et conatu per nos persuasa scripturis, quod non omne juramentum sit peccatum, imo quod juridice sit honor, laus et gloria omnipotentis Dei, et ecclesiasticae institutionis existat, et super his pie et blande commonita, ut ad juramentum inducereris, multis mediis plurimum requisita, tandem per nos coram Notario publico et testibus sufficientibus et idoneis ut prius, 1° 2° et 3° in nomine P. F. et Sp. S. interrogata si prius jurare velis de dicenda veritate et postmodum sectam tuam abjurare secundum quod est juris, tu semper maledicta et in tua duritia et incredulitate pertinaciter respondisti quod omnino jurare non velis. Item cum diceremus, an jurare velis et postea sacramenta poenitentiae et corporis Christi percipere, vel non jurare et dictis sacramentis carere, respondisti: licet quidem sacramenta praedicta (non) reciperes, jurare tamen non velis. Interrogata quare, respondisti quia crederes quod peccares quomodocunque jurares. Item confessa es in eodem examine, te fuisse haereticam Waldensem pluries Haeresiarchis confessam. Item die altera vid. XXIV mens. praedicti tu Dyemuth praedicta per nos interrogata iterum, si velis jurare, respondisti quod non, et cum diceremus suasibus quibus potuimus mitioribus, quod jurares de dicenda veritate, et si nihil praeter veritatem fassa fueris, omne quod in ipso juramento peccati foret, in nostram animam redundaret, si vero quid falsitatis seu mendacii admiscueris, in tuae salutis praejudicium vergeret et jacturam, tu semper mala et incredula nobis assentire non curasti, pia nostra monita contemsisti, et ideo jurare noluisti. Ex quibus omnibus etc.

XXIX.

Aus einem Codex des Stiftes Klosterneuburg bei Wien.

Voran geht die Aufzählung und Widerlegung der Waldenser Lehren in der gewöhnlichen Weise: Jac. attendite a falsis prophetis. Dann folgt:

Johannes Leser confessus est, eos non habere potestatem conficiendi sacramenta nec velle ipsa digito tangere,

et dixit, purgatorium esse et sanctos venerari debere. Item credit aliquos de nostris in statu laicali et clericali posse salvari. Item dicit quod sacerdotes habeant audire confessiones. Item Henricus de Chrems mortuus est sine communione. Item ipsi non possunt porrigere sacramenta. Idem attestatur de Praga Johannes qui dixit nihil credere — — Florian fornicator et confessor.

Haec autem sancta ecclesia a tempore apostolorum in ordine sancto per orbem terrarum in multis millibus excrevit et per multa tempora in virtute sanctae religionis permansit et rectores ecclesiae fere per ccc annos usque ad Constantini Caesaris imperium. Autem Constantino leproso rector erat in ecclesia quidam qui vocabatur Silvester Romanus. Hic in monte Sirachiae juxta Romam vitam pauperem cum suis ut legitur causa persecutionis agebat. Constantinus autem ut refertur viso accepto in somnis accersivit Silvestrum et baptizatus ab eo in Christi nomine mundatur a lepra. Videns Constantinus se a tam miserabili infirmitate in Christi nomine sanatum cogitavit honorare qui se mundaverat et coronam imperii et dignitatem tradidit ei. Ille vero accepit. Socius autem ejus ut enarrare audivit ab eo recessit et his non consensit, sed viam paupertatis tenuit. Constantinus autem ad partes transmarinas cum multitudine Romanorum recessit, et ibi ut dicunt Constantinopolitani edificavit et eam suo nomine appellavit. Ab illo ergo tempore haeresiarcha in honores et dignitates ascendit et multiplicata sunt mala super terram. Nec omnino credimus quod ecclesia statim totaliter a via veritatis recesserit. Sed pars quaedam cecidit et pro majori parte sicut est consuetudo ad malum tenuit, pars autem ut credendum est longiori tempore in illa quam acceperat veritate permansit. Et sic paulatim sanctitas ecclesiae quievit et iniquitas crevit. Post annos autem dccc a Constantino surrexit quidam cujus proprium nomen Petrus ut audivi sed a quadam regione dicebatur Waldis. Hic ut dicunt nostri dives erat et probus valde, et vel ille legens vel ab aliis audiens evangelii verba percepit et quod habebat ven-

didit, pauperibus distribuit, paupertatis viam arripuit, praedicavit, discipulos fecit et urbem Romam ingressus coram heresiarcha de fide et religione disputavit. Erat ibi tunc temporis Cardinalis quidam de Apulia qui amicus ejus erat et viam ejus et verba commendabat et sicut audivi diligebat eum — — in curia responsum accepit quod ecclesia Romana ejus verba ferre non posset nec viam ineeptam deseruit et data sibi sententia extra synagogam factus est. Ipse nihilominus in urbe praedicavit, discipulos plurimos fecit et per regiones Italiae iter faciens fecit congregationem, ita ut in pluribus partibus tam ipse quam alii ejus successores multos ad eorum conversationem attraxerunt et multiplicati sunt vehementer. Nam libenter audiebat eos populus eo quod sermo veritatis esset in ore eorum et viam salutis ostenderent. Et in tantum multiplicati sunt ut pluribus in eorum coneiliis et consiliis alii dce. alii mille alii plures alii iis pauciores convenirent, et sicut audivi a pluribus qui libenter vera loquuntur, deus pro eis operabatur mira. Haec autem fructifera tempora spatio fere cc. annorum sicut audivit a senioribus duraverint. Tandem invidia Satanae et malignitate impiorum exsurgente contra servos Christi persecutio non minima exorta est, et de regione in regionem expulerunt, et eorum crudelitas usque nunc contra nos perseverat. Et cum haec ita se habeant, consideremus tamen, quia tempora quae ante adventum Christi praecesserunt, umbra et figura fuerint istorum temporum quae a Christo usque ad finem saeculi perdurabunt. Nusquam enim in scripturis V. T. reperimus quod (ab) Abraham usque ad Christum lucerna veritatis et sanctitatis aliquo tempore omnino exstincta sit, sed semper aut plures aut pauciores in sancta vita permanserunt. Nec unquam legimus eos totaliter ad defectum devenisse; ita etiam arbitramur quod a Christi temporibus usque ad nunc eodem modo acciderit et usque ad finem futurum esse quod ex quo ecclesia fundata est usque ad finem saeculi nunquam ecclesia Dei ita omnino defecit quin in orbe vel saltem in aliquibus regionibus orbis aliqui sanctorum fuerint semper. Nam in omnem ter-

ram exivit sonus eorum etc. Et ex maxima parte ecclesia Dei in principio in transmarinis regionibus crevit. Ergo existimandum est quod ultra mare et ex hac parte maris aliquo tempore lucerna Sanctorum omnino ad nihilum devenerit. Nam et fratres nostri in antiquis temporibus propter quandam persecutionem cum mare transissent, in quadam regione fratres invenerunt. Sed quia ignorabant idioma regionis illius, cum eis non potuerunt consortia habere nec sibi amicitiae mutuam, sicut libenter fecissent, firmitatem ostendere, et ab invicem recesserunt. Inter haec cogitemus prophetiam Jeremiae (33, 18.): Non interibit de sacerdotibus et levitis ministris meis — — cunctis diebus. Haec Dei promissio super sanctam ecclesiam prolata est. Nam dicta prophetarum ad Christum et ecclesiam aspirabant. Videmus ergo quod a Christo usque ad saeculi finem non interibit vir de sacerdotibus misticis Christi qui offerat holocausta et victimas et sacrificium cunctis diebus. Nam usque hodie qui pro sanctitate vitae veri summi sacerdotis membra sunt, spirituales hostias Deo super altare fidei offerunt, et si non multi sunt, non mentitur propter hoc prophetia, quae non dicit: non interibunt viri, sed dicit: non interibit vir de sacerdotibus a facie mea quin haec et illa faciat. Considerate lunam, quia et luna quamvis a plenitudine sua usque ad nihilum videatur devenire, tamen semper luna est, et si quibusdam tenebris occultatur et hominis oculo non appareat, tamen in sua substantia, ut credimus, semper luna est. Alioquin semper quovis mense faceret Deus lunam. Sed scriptura dicit, quod hanc lunam ab initio Deus creavit. Arbitramur ergo dictum ddm fecit inq', lunam in tempora, hoc est in defectum et renovationem, et parvo tempore in suo defectu permanet. Et saepe luna in natura ecclesiam significat, quae aliquando in multitudine sanctorum etiam in hoc mundo viget, et aliquando quasi ad defectum videtur devenire. Igitur si per invidiam Satanae et propter invidiam impiorum et negligentiam plurimorum et propter multas gravesque tribulationes et persecutiones ecclesia in aliquibus partibus fere defecit, in quibusdam

tamen mundi regionibus eam credamus semper saltem in paucitate sanctorum in bona vita et sancta conversatione permansisse. Nam et Salomoni per spiritum prophetiae dicit dominus: Cum surrexerint impii absconduntur homines, cum isti perierint multiplicabuntur iusti. (Prov. 28, 28.) His et pluribus aliis scr. sententiis arbitramur quod iterum ecclesia in magna quantitate resurgat. Itaque certissime noveritis quod hujus ordinis principium Christus et hujus ecclesiae caput Jesus Dei filius est. Oremus Dominum ut nostris temporibus per suam misericordiam adhuc multiplicetur, adhuc millia sanctorum et glorificet nomen suum Deus Pater per filium in Spiritu s., cui est honor et imperium in sempiternum.

Epistola fratrum de Italia ad quosdam conversos de haereticae pravitatis errore ad Sanctum Petrum in der Awe, ut non crederent sacerdotibus sed dicunt se esse veros Apostolorum successores.

Venerabilibus in Christo fratribus praesentes literas inspecturis Johannes Gyrardus, Petrus Chrymon nec non sibi consimiles et subditi salutis et sincerae caritatis affectum in eodem Christo domino nostro. Noveritis nos recepisse literas vestras reverenter ut decuit, in quibus intelleximus aliqua de quibus usque ad mortem testamur (tristamur) quia Dominus graviter nos visitavit. Sed si patrum antiquorum leguntur exempla, quos in persona et rebus dominus visitavit, patientia requiritur ad coronam, secundum verbum domini dicentis: in patientia vestra possidebitis animas vestras.

Cum inferunt nos privari auctoritate, dicentes, quod non habeamus verum fundamentum seu principium ordinis nostri, et quod non derivatur ab apostolis quia non ministramus omnia sacramenta; inducunt enim Matth. 18: tibi dabo claves regni coelorum, et ad Titum: Hujus rei gratia etc. Etiam potestatem levitis datam adducunt, quia nemo potest dare quod non accepit, quae omnia eis concedimus. Auctoritatem enim nostram non minuunt sed augent potius et

multiplicant, si, ut ipsi tradunt, haec successive progrediuntur et descendunt, quia non negamus imo asserimus ita esse. Interrogent ipsi utrum episcopi ordinati ab aliis apostolis quam a Petro plenariam habuerint potestatem, sicut qui a Petro ordinati sunt. Dicunt quod non. Contra quod ait: Convocatis XII. discipulis dedit eis potestatem etc. Dicunt quod sic manifestum est, quod omnes ejus successores habuerint eandem potestatem juxta psalm.: In omnem terram exivit sonus eorum etc. quod autem ordo iste derivetur ab apostolis, notate quod tempore Constantini M. cum Silvester Papa thesaurum reciperet, socii Silvestri renuerint, dicentes: hoc praeceptum a domino habemus, ut nulla terrena possideamus.*) Silvester vero dixit nisi mecum manseritis, ego terram vobis prohibebo. Illi autem laetantes dixerunt: de hoc Deo gratias agimus, quia si ob observantiam mandatorum ejus terram nobis prohibes, coelum nobis merito exhibebis, Christo dicente: Amen dico vobis quia vos consecuti estis me etc. Istis vero altercantibus cum Silvestro, eadem nocte sequenti audita est vox de coelo dicens: hodie diffusum est venenum in ecclesia Dei, quam vocem Christi pauperes audientes audacius cepta perficiunt, et sic extra Synagogam facti sunt, et impletum verbum Domini dicentis Joh. 16. Et sic per orbem dispersi sunt dicentes Silvestro suisque sequentibus: terram vobis relinquimus, nos vero coelum appetimus. Silvester autem dimisit eos abire, ipsi vero abeuntes viam paupertatis exercentes multiplicati sunt valde per multa durantes tempora. Postmodum invidia pseudochristianorum contra eos saevicns usque ad extremum conata est eos disperdere, juxta psalm. 2, 3: dirumpamus etc. licet aemuli nostri hanc persecutionem nonnisi a paganis vel Judaeis fieri dicant Katholicis, male enim inspiciunt scripturas, quum prophetae a populo gentili non occisi sunt sed a Judaeis, et Johannes ab Herode licet fatebatur se esse judaeum. Item: Chri-

*) Mit Berufung auf die drei gewöhnlich gebrauchten Stellen: Matth. 19, 27; 19, 21; 10, 9.

stus venit in propria et sui eum non receperunt, sed morti eum tradiderunt. Jacobus frater Domini ab eisdem occiditur, ut multi alii discipuli Domini eadem a suis passi sunt, omnia vero quaecunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.*) Unde declaratur aperte quod non solum a paganis vel Judaeis persecutionem patiuntur electi sed ab omnibus gentibus tam paganis quam et judaeis et pseudochristianis, juxta verbum Domini: odio eritis omnibus hominibus propter nomen meum, quod totum dicit nihil excludit, ergo non est dubium quin usque ad finem mundi sancti a suis patiantur persecutionem, et tamen per eos non penitus delentur vel deleri possunt, Domino dicente etc.**) Nam cum olim persecutio in servos Christi ingrucret, visi sunt penitus annihilari licet sit impossibile, ipso dicente supra: Non consummabitis civitates etc.***) Petrus de Walle et ejus socius Johannes Ludinensis a Ludone civitate dictus, quem nostri aemuli falsis opinionibus dicunt fuisse delirum, qui extra synagogam factus est, tanquam a vero tritico aqua s. Spiri-

*) Hier wird die Stelle Rom. 15, 31 citirt.

**) Das bibliſche Citat iſt unleſerlich.

***) Hier bemerkt Johann Leſer in ſeiner Gegenſchrift: Dicunt — quod pars quaedam ceccidit et major pars, quod secundum eum intelligendum est in Silvestro, et pars quaedam in veritate permansit per socium illum de quo superius est dictum. Quales autem rectores illius partis fuerint, vel quomodo praefuerint, de hoc nihil ponit, sed transit a Constantino usque ad Petrum Waldensem, inter quos fluxerunt multi anni, quos ipse indicat, dicens: post annos decc a Constantino surrexit quidam etc. Et quamvis dicat, quod nunquam lucerna veritatis extinxerit sed semper aliqui sanctorum fuerunt, tamen non continuat eum ad praecedentes, sed incipit quasi a novo autore, dicens: surrexit quidam. Sed ratione ecclesiae pontifices possunt continuari sive ascendendo ab ultimo usque ad primum, sive descendendo a primo usque ad ultimum qui jam est et vocatur Gregorius XI. Et post modicum dicit: Urbem Romam ingressus coram haeresiarcha de fide et religione disputavit. Per hoc ergo quod illum nominat haeresiarcham, concludit non solum Silvestrum sed omnes sibi succedentes fuisse haeresiarchas, et quia ipsi sunt capita totius ecclesiae, tota ecclesia est infecta. Ergo mendacium est, quidquid dicit ecclesia de martyribus, de confessoribus, de virginibus, et de omnibus qui fuerunt post Silvestrum etc.

tus irrigato paulatim pullulans non principium sed reparationem nostri ordinis fuisse dicitur, et licet extra synagogam hominum judicio factus esset, non tamen judicio divino. (1. Cor. 5, 3.) Et sicut audistis dicti sunt Waldenses et postmodum Ludinenses pauperes a Ludone civitate, in qua multo tempore publice conversati sunt. Quod autem dicitur ipse vel legens vel audiens, intelligendum est secundum viam paupertatis quam — sancti viri secuti sunt. Pauco autem cum tempore illud idem verbo evangelico percepit: Si vis perfectus esse etc. tanquam leo a somno consurgens Petrus opere complevit. Tunc in curiam ut habetis est ingressus ob invidiam reprobantis; ipse autem ut habetis cepta perficiens multos complices animavit exemplo ut perfectionis viam acciperent memores verbi dominici. (Matth. 19, 21.) Quod autem ex superbia eum hoc fecisse praesumunt, temeraria hoc faciunt, unde etiam peccant secundum dictum apostolicum etc. et Augustinus: de occultis alieni cordis temere judicare peccatum etc. Et nisi hoc opus esset divinum, jam dudum propter malitias vacasset, ut legitur Act. 5, 38. Et si dicatur quod fides Machometi non est adhuc dissoluta, et quod non est ex Deo, sed ab homine, dicendum quod hoc non est ex firmitate illius fidei sed magis ex divina permissione quae tradidit illos in sensum reprobum et ex suorum exercitatione, dicente Apostolo: Oportet esse haereses, i. e. ad exercitandam eorum sapientiam, ut dicit Augustinus. Ex praecepto enim domini tenetur hoc facere tam ipse Petrus quam omnes fideles: Fugite de medio Babilonis. Unusquisque salvet animam suam. Et ait Christus: In viam gentium non ambulaveritis et in civitates Samaritanorum non intraveritis; et apostolus: dico et testificor in domino, ut jam non ambuletis sicut gentes ambulant, et Apoc. 18. Exite de illa populus meus etc. Objiciunt hoc non esse firmum, quin legunt in libro electorum cum dicit: historiographus ut audivimus in hoc videatur dubitare. Hoc non fecit ut vere dubitaret hoc si esset, quia non dubitabat quia sic esset, sed temeritatis vitium evitabat in loquendo. Ratio autem quare non pos-

sumus sic firmiter respondere seu probare sicut legitur vel probatur in aliis cronicis quas eodem modo reprobare possemus si fidem ejusdem negare volumus, quia non sunt in canone scr. SS., est duplex. Prima est propter testium absentiam, nemo enim hodie est qui audierit seu viderit proprium rei principium, quia multum tempus jam est elapsum. Ratio vero magis principalis est propter persecutiones innumeras, quas passi sumus, unde multoties perducti sunt libri quasi in nullum, ita ut vix sacram possemus paginam reservare, unde possumus dicere ps. 47, 9: Sicut audivimus, sic vidimus; et ps. 43, 2: Deus auribus nostris audivimus etc. et 1. Cor. 11, 23: Ego enim accepi etc. Et licet Petrus dictus Waldensis non accepisset. quod absit, fatemur enim eum fuisse presbyterum sacris ordinibus sacratum cum Johanne suo socio sive confratre ejusdem ordinis, et postmodum ab illo Cardinale de quo audistis favente eidem confirmatum, non dubitamus tamen multi et innumerabiles sacerdotes, qui hanc vitam seu fidem secuti sunt, nonne fratribus imponere manus potuerunt. Nam adhuc est in memoria aliquorum qui sunt apud nos nomen fratris Johannis de Burgundia et duo fratres Minorum, qui relicta sua regula hanc pie fidem secuti sunt. Et quidam episcopus Lestardi qui ob hanc causam quia nobis favebat vocatus ad curiam nunquam postea rediit, et alter sacerdos qui suspensis ad collum manibus ad ignem ducitur concremandus, et omnes sunt adhuc in memoria aliquorum apud nos existentium, unde cessent eorum objectiones contra auctoritatem nostram. Scimus et nos accepisse a domino et a praepositis nostris, possumus itaque dicere cum apostolo (Rom. 14, 14.): Scio et confido in Domino etc. Unde cum se non credunt ordinari non ordinantur. Et non accipientes ipsi aliis dare non possunt, quod indebite nobis imponunt. Praeterea attendendum est supra citatum verbum ad Hebr. 5, 4.: „Sic etiam Christus etc.“ Vel quia nolunt vel non possunt hujus verbi sententiam exprimere non tamen bene videntur de eo sentire. Bene quidem credimus quod nemo debet sibi assumere honorem, sicut et Christus non semetipsum

glorificando per sua miraenla et per virtutes suas ut pontifex fieret etc. Non valet eorum objectio quantum ad hoc et cesset etiam illa de Ozia rege dum ad offerendum missus est. Nee obest auctoritas adducta de Helya, sed prodest ad nostram aedificationem, quia timore suorum regnabat in abscondito licet in Israel. Sed quia de usu clavium secundum Magistrum sententiarum*) discernere ligandos vel solvendos ae deinde ligare vel solvere. Quum enim indignos ligant vel solvunt propria potestate se privant, i. e. dignos se faciunt privatione. Unde — ubi dominus ait Petro: tibi dabo claves etc., hunc inquam loeum quidam male intelligentes aliquid sumunt de supercilio Pharisaeorum, ut damnare innoxios, cum apud Deum non sententia saeerdotum sed — vita generatim quaeratur. In Levitico ostendere sacerdotibus jubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos vel mundos sed discernunt quod mundi vel immundi sunt, ita etiam hic. Unde aperte ostenditur quod non sequitur Deus judicium eeelesiae, quae per surreptionem et ignorantiam interdum judicat, Deus autem secundum veritatem semper judieat. Ponunt enim sacerdotes nomen Dei super filios Israel, sed ipse benedicit eis. Hoe autem quod ipsi inferunt, scilieet membrum a eorpore praecisum et divisum neeessario moritur, eoncedimus. Cum itaque ipsi membra sumus, ut ait apostolus 1. Cor. 7: Neseitis etc. ergo membra meretrieum nullatenus ea facere volumus.

Ad tertium sic procedimus. Cum ipsi inferunt viam nostram non esse salutiferam sed damnosam et hoc multipliciter. Primo quia mercenarii, quod de illis potius potest dici, quia reliquere oves lupis expositas quia non pertinet eis de ovibus. Joh. 11. Secundo quia saeramenta ecclesiastica non ministramus sicut ceteri. Ad quod respondemus verbo apostoli: Non enim misit me Christus baptizare sed evangelizare. Et: qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt cum altari participiant. Ita et dominus ordinavit his qui evangelium annun-

*) Hier müſſen ein paar Worte ausgefallen ſein.

ciant, (ut) de evangelio vivere debeant, per quae datur intelligi, quod non omnes possunt onus supportare, et quia non ministramus ea sacramenta in mortis articulo, etiam aiunt, quod multi nostrorum sine communione moriuntur. Quod falsum est, domino dicente: Qui manducat carnem meam etc. et sequitur paulo post: Qui manducat ipse vivit propter me. Unde Augustinus: hoc est: Christum manducare non est hoc solum in sacramento corpus hujus sumere, multi enim indigne accipiunt, sed hoc est in ipso manere et habere ipsum in se manentem. Spiritualiter enim manducat, qui in unitate Christi et ecclesiae manet, quam unitatem sacramentum significat. Nam qui discordat a Christo, carnem Christi non manducat nec sanguinem bibit, quamvis tantae rei sacramentum ad judicium suum quotidie accipiat.*)

Dicimus quia populosior est ecclesia malignantium quam ecclesia Dei, de quibus ecclesiis communiter dicitur in psalmis.**) — Unde potestis perpendere quod populosiores sunt ecclesiae malignantium, ut dictum est. Ait enim: stultorum infinitus est numerus. Quod autem dicunt seu opponunt: Verbum domini non est in angulis sed publice in montibus praedicandum ut sit lucerna non sub modio, respondeo: Videant si modium et candelabrum super quod lucerna debet poni bene intelligant.***) Unde dominus dicentes et non facientes arguit, dicens: Secundum vero opera eorum nolite facere etc. †)

Praeterea fratres — non praestent vobis taedium verba multiplicia seu multiplicata quia si breviter intentionem nostram posuissemus forte, ita plenarie non perciperetis. Unde possumus dicere illud verbum Oracii: Brevis esse

---

*) Folgen noch einige Stellen Auguſtin's über den Genuß Chriſti durch den Glauben.

**) Folgen mehrere Pſalmenſtellen über den Abſcheu vor der Gemeinſchaft der Böſen.

***) Folgt eine Erklärung von Chryſoſtomus, daß der Scheffel die von guten Werken entblößten Menſchen bedeute u. ſ. w.

†) Hier werden lange Stellen der Pauliniſchen Briefe angeführt.

laboro, obscurus fio. Sectantem levia, i. e. levitatem seu prolixitatem verborum deficiunt animi scilicet audientium propter taedium. Idem: Indoctum doctumque fugat recitator acerbus, non missura cutem nisi plena (cruoris) hirudo. Non enim ut doceamus sed ut ad memoriam reducamus, aliqua vobis scribimus, factoque omnium fine verborum, sicut ait apostolus, obsecramus vos per Dominum nostrum Jesum Christum et per caritatem Spiritus S. ut nos adjuvetis in orationibus nostris ut liberemur ab infidelibus qui sunt in Judaea, scilicet Christum confitentibus vero cum factis illum negant. Salutate amicos nostros omnes communiter. Pax Christi et communitas Spiritus S. sit cum omnibus nobis. Amen.

XXX.

Errors contra la fe catholica de Catharina Lauba de Thou en Corogna a. 1417. (Cod. reg. Paris. Nr. 1389.)

1. Que los enfans que moroy après lo baptismo davant que ajon crez du sa no soy salvatz car noy crezon.

2. Que no aya agut vray Papa, Cardinal, Evesque ny Capola, dos pueys que la election del Papa no soy farza per miracla.

3. Que la Gleysa Catholica consistis solamen en los homes et en las femas mondas la vida de los Apostolos et qui maya voldu morio que offendre Dieu, et totz los antros sou foras de la Gleysa.

4. Que lo baptismo que ez donat por malvasos Capolas noy aprofecha a salut.

5. Que los malvatz Capolas no podon consacrar lo cors de Christ propansau que digant las paraulas Sacramentales; et que ela noy adora l'ostia consacrada de Capola, car noy cresia que aqui for lo cors de Christ.

6. Que confessar al Capola non es necessari, car suffis se confessar a Dieu, et que aytam val se confessar ad un prodhom layc coma al Capola.

7. Que marit et molher non podunt entre elos rendre lo deute de natura senos peccat, porque si non sou peredoz), seray damnatz.*

8. Que apres aquesta vida noy sera purgatori, mas tan solamen en aquesta vida.

XXXI.

Cod. Germ. Monac. Nr. 342.

Anno D. MCCCLXXXXIIJ et mense August. fuerunt inventi in civitate Augustana heretici qui tenebant istos articulos sequentes.

1. Crediderunt quod sint confessi fratribus suae sectae, puris laicis existentibus poenitentiam — — **) peccatorum suorum ex hujusmodi confessionibus crediderunt. Item dixerunt se notos, et nos esse ignotos et alienos, et quod ipsi magis noti forent Deo in sua fide seu secta quam nos, et consequenter ipsos esse salvandos et nos non. Item nihil crediderunt de purgatorio, sed quod essent duae viae, una salvandorum et alia damnandorum. Item crediderunt quod suffragia facta pro defunctis qualiacunque essent, nihil proficerent. Item non crediderunt quod beata virgo Maria sive aliquis sanctus invocandus esset, cum a Deo pro nobis nihil possint impetrare. Item non crediderunt quod aqua benedicta peccata venialia deleret. Item de consecratione ecclesiarum, cimiteriorum, palmarum, herbarum, salis, candelarum et aliorum juxta ritum ecclesiae statutorum nihil omnino credebant. Item de indulgentiis, dedicationibus et aliis quibuscunque nihil crediderunt, dicentes haec et alia propter clerum excogitanti (?) avaritia esse instituta. Item crediderunt, quod censura ecclesiastica nihil ligaret, et quod esset institutum propter avaritiam clericorum ut supra. Item crediderunt quod sacerdos simplex tantam potestatem ha-

---

*) Dieſes Wort iſt im MS. undeutlich; der Zuſammenhang erfordert. „enthaltſam."

**) Ausgelöſcht.

beat in peccatis absolvendis, quantam habeat Papa vel Episcopus. Item audierunt praedicationem fratrum ipsorum, et alii praedicationi crediderunt. Item de confirmatione nil crediderunt. Item aliqui et ut plurimi nunquam confessi sunt errores praescriptos usque nunc, et tamen accesserunt ad corpus Christi ut alii. Item quidam crediderunt sectam eorum manere usque in futurum judicium, secrete tamen usque ad adventum Heliae et Enoch, et tunc manifeste, et esse generationem congregationum in eadem secta — —*) ad mortem. Item crediderunt quod nullus judex aliquem condemnare posset quantumcunque culpabilem sine peccato. Item crediderunt quod juramentum quantumcunque justum non possit praestari sine peccato. Item dicunt apostolos eorum quos habent posse consecrare corpus Christi.

Nota quod istorum fuerunt in civitate Augustana numero XLVJ, et omnes ad fidem rectam conversi sunt, et datum est eis pro emenda, primo quod crucem in vestimentis ipsorum portare deberent per annum integrum in plateis. Item quod deberent ire per octo dies de S. Udalrico usque ad S. Mariam, semper duo et duo, et quod deberent portare candelam ardentem, et in ecclesia b. M. V. deberent orare septem Ave Maria et Presbyter deberet ipsis dare aspersionem, et in cemeterio deberent orare IIJ Pater noster et Ave Maria pro defunctis.

---

*) Ausgelöscht.

XXXII.

Processus contra Valdenses a. 1506. (ex biblioth. J. Aug. Thuani.)

Processus cujusdam apostolicae et commissionalis causae coram venerandis P. P. Dominis Thoma Pascali, utriusque juris D., Domini nostri Regis in Curia Parliamenti Consiliario, et Gaufredo Lensart, S. Th. D. Canonico Cenomanensi, judicibus et Commissariis in hac parte authoritate apostolica delegatis — — inter manentes et habitantes locorum Freyssineriae vallis, Argenteriae Vallis Clusonis et alios suos consortes.

(Cod. reg. Paris.)

Tom. I. fol. 244. Interrogatus, si dabat aliquid eisdem Barbis pro sua confessione, dixit quod dabat unum quartum. — Interrogatus, quid dicebant eidem dicti Barbae de ecclesia et Dominis sacerdotibus, dixit, quod dicebant ei, quod Domini ecclesiastici tenebant vitam nimis largam et quod ipsi Barbae tenebant vitam justam et sanctam.

F. 246. Interrogatus, si dum confitebatur ab eisdem Barbis si stabat sedens vel aliter, dixit, quod stabat coram dictis barbis genibus flexis, et interrogabant eundem Thomam de suis peccatis et eidem dicebant, quod custodiret ad male faciendum, et quod erat peccatum mortale depredare proximum. Interrogatus, quam poenitentiam dabant eidem pro peccatis suis, dixit quod Pater noster et Credo tantummodo, de Ave Maria nihil dicebant nec praecipiebant sibi.

Interrogatus, quid Barbae dicebant de ecclesia, dixit, quod erat bene factum ire ad ecclesiam. Item dixit, quod quidquid comedant et bibant dicti Barbae, benedicunt. — Interrogatus super peccato carnis, noluit respondere. Interrogatus, si fuerit confessus omni anno a suo curato et si in confessione detegerit dictam sectam, dixit quod confessus fuit omni anno a suo curato, tamen non detegit nec confessus fuit, quod fuisset Valdensis. Interrogatus, si omni anno

in festo paschae se communicaverit et receperit corpus Christi, dixit, quod sic. Et ulterius dixit, quod praedicti Barbae eidem dicebant, antequam perciperet corpus Christi, quod erat necesse, esse bene confessus.

Dixit, quod Barbae dicebant, quod tenebant sanctam vitam s. Petri et habebant potestatem absolvendi a peccatis et ita credidit. Et ulterius dicebant dicti Barbae, quod nisi Papa teneret sanctam vitam, non habebat potestatem absolvendi a peccatis. — Interrogatus, quam doctrinam docent et praedicant Barbae, dixit, quod dicunt, docent et praedicant, quod habeant sanctificare s. diem dominicam, de ceteris festis non. Et ulterius dixit, quod Barbae non praecipiunt, quod sit abstinendum a comestione carnium diebus Vigiliis sanctorum et sabbati aut quatuor temporum, tamen praecipiunt Barbae, quod diebus Veneris est semper jejunandum. Interrogatus, si summus pontifex habet potestatem absolvendi a peccatis et presbyteri ab eo deputati, dixit, quod dicti Barbae dicunt, docent et praedicant, quod Papa et sacerdotes habent potestatem absolvendi peccata, et quidquid absolvunt in terris, est absolutum et in coelis, dum tamen teneant vitam sanctam, aliter non. —

F. 255. Barbae docebant, quod ecclesiastici viri non habeant potestatem absolvendi a peccatis, nisi teneant vitam sanctam. — Dixit quod Barbae eidem dicebant, quod quando recipiebat corpus Christi quod debebat bene confiteri et absolvi a dictis Barbis sive a capellanis. — Interrogatus, si credit in sacramento altaris, dixit quod sic, et quod Barbae docent et praedicant, quod quando capellanus in sacris constitutus profert verba in consecratione altaris, quod consecrat corpus Christi, et quod est vera conversio panis in verum corpus Christi, et ulterius dixit, quod tantum valet oratio facta in domo vel in via quantum in ecclesia. — Dixit, quod vanum est orare pro mortuis, quia cum quis moritur, est damnatus vel salvatus.

F. 276. Barbae dicebant, in hoc mundo esse purgatorium, in futuro vero nullum.

Dixerunt Barbae, quod ipsi sunt pauperes Christi eun-

tes per mundum tamquam imitatores apostolorum et quod habent majorem potestatem quam non habent presbyteri Romanae ecclesiae, qui tenent vitam nimis largam; et quod contrahere matrimonium postquam contrahentes erant in quarto gradu consanguinitatis, non erat peccatum. — Barbae dixerunt, quod debent manere in secta sua, et quod ipsi habebunt victoriam. — Barbae dicebant, quod quadragesima incipi deberet in die lunae post dominicam primam quadragesimae. Item quod omnes aquae sint benedictae a Deo; ideo tantum dicunt ipsi Barbae valere aquam pluvialem quantum benedictam a sacerdotibus.

XXXIII.

Anno Domini m° ccc lxxxxi mensis Septembris infra scripti comperti sunt rectores pro nunc sectae Waldensium: primo Nicolaus de Polonia; item Johannes de Polonia filius cujusdam rustici; item Conradus de Saxonia de villa dicta Derbrim prope Wittenberg filius cujusdam rustici; item Ulricus de Hardeck ex artificio sutor; item Symon de Galitz de Ungaria ex artificio sartor; item lanifex quidam Johannes de Dickhartz villa sita circa Chrems in Austria qui fuit Radispone et portavit crucem de heresi convictus nec vero deficit. Item Conradus de Gemed in Suevia filius cujusdam rustici. Item Hermannus de Mistelguo in Bavaria faber; item Nicolaus de Plauwe terre advocatorum filius cujusdam molendinatoris; item Gotfridus de Ungaria sutor. Item Zohes dictus de Arena in Bavaria faber. Item Nicolaus de Soloteriis Delsacie circa Veronam in Switz rasor pannorum. Praedicti nominantur inter eos apostoli, magistri et fratres. Habent autem talem vitam et conversationem: primo jejunant tres vel quatuor dies in hebdomada una in aqua et pane, nisi sint in gravi itinere vel labore constituti, et hoc faciunt inter suos subditos ut coram eis appareant sanctiores. Item septies in die orant; Senior incipit orationem et facit eam prolixam vel brevem secundum quod videbitur expedire et alii sequuntur ipsum

in oratione. Item vestimentis vilibus induuntur et duo et duo incedunt senior cum juniore quocunque pergunt. Item in verbis sunt cauti, mendacia et juramenta et quaelibet verba turpia devitant. Item subditos suos eadem ad servandum diligenter informant. Item pro majori parte sunt illiterati et ydiotae. Sic autem eliguntur et proficiuntur: Quando seniores eorum considerant aliquem juvenem sive in secta natum sive seductum bene tamen morigeratum et castum, cujus tamen filius sit vel quam artem novit seu sequatur non advertunt; illum eligunt pro futuro. Tunc applicant ipsum alicui de magistris a quo ducitur de terra in terram et de loco ad locum per annum unum vel duos. Deinde ducitur ad concilium seu capitulum ipsorum, quod solet celebrari in nundinis magnarum civitatum ubi solet multitudo populi convenire ut et ipsi ibidem interim possint latitare. Ibique ducitur ad praesentiam magistrorum et ibi quaeritur ab eo, utrum placeat sibi vita et velit esse unus de fratribus eorum, quo respondente quod sic, ex tunc intrant secum ad unam cameram vel ad alium locum ubi sunt conclusi omnes magistri et socii ejusdem sectae. Et confessione facta de omnibus peccatis suis uni eorum tunc scientior ex ipsis proponit sibi aliquid de sacramentis et de septem articulis fidei quos tantum credunt. Hoc facto quaerit ab eo utrum sic credat. Respondit quod sic; deinde mandat sibi quod devotis eorum voveat castitatem tenendum usque ad mortem. Et ipse respondit: hoc ego proposui facere in quantum possum gratia Dei adjuvante et in quantum fragilitas humana permittit. Item promittit quod amplius nolit vivere de laboribus manuum suarum, sed vivere de eleemosinis usque ad mortem et praecipue ire prope vel procul in quamcunque terram missus fuerit omni conditione remota. Item promittit quod nolit habere majorem confidentiam de parentibus suis et omnibus consanguineis quam de aliis hominibus quibuscunque. Item quod non debeat se in quocunque mortis articulo sive periculo constitutus redimere falso jurando. Et postquam consentit et obligat se ad praedicta, extunc flectit genua super terram et ma-

gistri seniores imponunt sibi manus super caput, et per hoc videntur sibi conferre autoritatem audiendi confessiones subditorum suorum et alia quae circa hoc sunt facienda. Postremo elevans se et surgens videt magistros stantes secundum ordinem et accedit quemlibet illorum singulariter amplectendum, et quilibet eorum dicit ad eum: bene venisti bone frater, nunc es ordinatus in fide nostra major apostolorum. Retrahitur tamen interdum sex octo ad ix annos ex causis ab auditione confessionum sequendo de terra ad terram, tamen medio tempore urgente necessitate audit confessiones suorum magistrorum. Item quasi singulis annis in conventiculis suis solet mutare personas cum terminis suis ne cognoscantur a cristianis, et nunquam permanet aliquis eorum in magisterio suo quoad unum locum sive terminum plurimorum locorum nisi ad unum vel duos annos.

Sunt autem articuli quibus fidei catholicae waldenses contrariantur primo quod audiunt confessiones non missi ab ecclesia nec ordinati. Item praedicant in locis occultis et privatis. Item negant purgatorium dicentes tantummodo esse duas vias post mortem cujuslibet hominis vel quod statim evolet in coelum vel descendit ad infernum. Item pulsus campanarum, vigilias, missas, elemosinas et quaelibet alia suffragia ecclesiastica pro defunctis.

XXXIV.

Cod. S. Galli. Nr. 974. am Ende.

Manichaei cujusdam confessio

cujusdam de alta secta. Burchardus juratus dicit, quod fere circa viginti quatuor annos audivit a patre suo de secta eorum qui vocarentur boni homines et dicebantur haeretici et credidit. Item quod nunquam vidit aliquem de bonis hominibus praeter patrem et matrem et Henricum quendam rasorem. Item quod nunquam receperit benedictionem vel coram aliquo bono viro fecerit veniam. Item credidit quod bene fuisset viginti quatuor annorum quando primo

audivit. Item quod infra duodecim annos nunquam contulit de aliquo de secta vel doctrina sectae. Item quod nunquam docuit aliquem. Item dicit, quod credidit secundum doctrinam illorum, quod dyabolus omnia visibilia creaverit. Item dicit, quod Jesus Christus fuerit homo et non Deus et hoc credidit. Item dicit, quod Christus conceptus fuerit de semine virili et hoc credidit. Item de passione dicit quod nesciat. Item de baptismo dicit, quod non sciat. Item de confirmatione et oleo dicit, quod nullius sit virtutis. Item dicit quod diu non vult vitare peccatum, quin peccet, quantum velit, et dum vult desistere a peccato, omnia per magistrum eorum sive sit sutor sive textor omnia ei remittuntur. Item Corpus Christi nihil esse dicunt, et ipse ita credidit. Item quod communicavit propter palliationem. Item quod clerici cantarent alte tantum propter quaestum et quod nulli salvarentur praeter eos. Item dicit, quod de ecclesia nihil est aliud nisi tanquam de alia domo. Item quod suffragia mortuorum negant. Item negant purgatorium. Item resurrectionem carnis negant. Item nescit quare jejunent. Item dicit, quod credidit patrocinia sanctorum. Item matrimonium non credidit. Item ad suggestionem patris et matris deseruit sectam et hoc fuit in Lovanio et ibi pater suus et mater fuerunt confessi, sed ipse nunquam fuit confessus nisi Deo. Item dicit, quod nunquam aliquem de secta vidit in terra ista praeter patrem et matrem et fratrem unum uterinum Willehelmum. Item quod nunquam fuit infamatus ipse nec pater nec mater. Item dicit, quod pater suus dixerit ei quod cum aliquis infirmatur si vult fieri martyr, ponitur ei cussinus super os et suffocatur, sed nunquam vidit. Item dicit, quod panem benedictum a patre totiens comedit, quot vices computare non potest.

Error Katerorum de alta vita, quem prodidit Lepzet haereticus in facie burgensium et populi Colon. Cum quis sectam Katerorum ingredi desiderat, primo omnium — — cum natibus suis tribus vicibus osculatur, renuntiando ecclesiasticis sacramentis, demum ingressus domum magistri

erroris illius jubetur oculari, quicunque occurrerit ei primum. Et statim occurrit ei statura horribilis facie pallidus homo niger, quem osculans praecedit et tunc occurrit ei bufo maximus admodum urne grossus hyanti ore, quem similiter oculatur et sic factus frater sectae regreditur in domum magistri sui. Quando autem ritus sui erroris volunt exercere descendunt in speluncam suam sub cellarium occulte: ubi episcopus eorum magister primo omnium suas nates denudat et infigitur natibus ejus argenteum cochlear et facta oblatione sua cum illo omnes osculantur eum in posteriora adorantes, postea stantibus vel consedentibus eis circa columnam subito venit cattus maximus ascendendo columnam ad lumen ibidem fixum, ubi aliquandiu haerens caudam suam quasi ad tergum retorquet et accedunt omnes et osculantur eum in posteriora, quo peracto cattus lumen extinguit et statim singuli se abutuntur invicem masculi in masculos et, feminae in feminam turpitudinem operantes et ita consummatum mysterium iniquitatis. Credunt autem praedicti Katari, quod Deus coeli, quem sancta colit ecclesia, sit Deus injustus, eo quod per violentiam injustam de coelo expulerit Luciferum Deum suum, quem vocant supremum patrem sum, qui omnia visibilia creavit, ut dicunt, et corpora humana, quem putant, in fine saeculi per violentiam debere regnum suum recuperare, ita quod sol et luna simul unum puerum procreabunt, qui erit antichristus, cujus adjutorio vincet Michahel et Deus coeli et angeli ejus et firmabit regnum Luciferi. Quidam etiam de praedictis haereticis magnas agunt poenitentias et asperas in auxilium Dei sui, ut suum contra Deum nostrum obtineat regnum, sicut praedictus Lepzet haereticus de se fuit in judicio publice confessus, quod videlicet quinque annis portaverat cilicium ad carnem propter Lucifernm. Nulle (a) ecclesiae sanctae credunt sacramenta. Baptismum talem dicunt habere effectum in baptizato ac si asinus tinguatur in aqua et asinus, qualis ante fuerat, extrahatur. Corpus autem Christi omnino nihil aliud esse credunt quam sicut

alium panem; si tamen aliquis eorum aliquando simulationis vel fictionis causa a sacerdote catholico acceperit corpus Christi, nequaquam comedit illud, sed domum rediens comburit illud; prohibitum est enim in secta, ne quis audeat corpus Christi manducare, sicut praedictus Lepzet de se confitebatur, quod septuaginta (?) annis ter in anno a sacerdote corpus Christi acceperat simulate et domum rediens igne cremavit. Homicidium non dicunt esse peccatum, imo occidendo homines credunt se obsequium praestare supremo patri suo Lucifero, unde saepe dictus Lepzet confessus est, quod triginta homines occiderat; furta, rapinas, sacrilegia non damnant imo dicunt hujusmodi licere. Matrimonium damnant, dicentes hoc esse juratoriam fornicationem, sed incestum naturalem cum matre propria vel sorore (aut cum matre) dicunt esse mundam fornicationem, dummodo fiat secundum ritum sectae, qui talis est: Si quis praedictorum vult abuti propria matre, dabit ei decem et octo denarios, sex pro eo, quod concepit eum, sex pro eo, quod peperit eum, sex pro eo quod nutrivit eum, et sic soluta lege (naturae) licenter abutitur ea, quia nihil ei attinere putatur et omnino liber efficitur ab omni reverentia matris naturalis, sicut saccus liber efficitur a frumento, quando fuerit excussum. Quod si sorore voluerit abuti, dabit ei sex denarios, si cum matre (?) (filia?), dabit ei novem denarios. Sodomiam esse licitam dicunt sine omni peccato. Aquam benedictam tanquam venenum execrantur, dicentes quod si quis hominum de secta ea fuerit aspersus, debeat excavari de carne ejus vel subulis. Peregrinationes ultra mare vel ad limina sanctorum nihil aliud esse dicunt quam quod homines inaniter corpora sua currendo fatigant. Ecclesiam Romanam dicunt, esse magnam meretricem, unde Domino Papae et omnibus episcopis ac sacerdotibus et clericis catholicis contradicunt dicentes se esse ecclesiam Dei et illos mundi seductores. Episcopus autem sectae eorum si dedicatur, pueruluum ab utero matris egressum antequam gustet lac maternum, accipiunt, nutrientes eum lacte amigdalino, penidis et demum esu piscium, cavent

autem ne unquam gustet carnes neque lacticinia nec aliud quod de coitu nascitur. Demum cum ad annum discretionis pervenerit, ipso jure episcopus est sectae. Porro quum ad locum secretum credentes conveniunt, ante praefatum episcopum procidunt super genua sua, adorantes eum, et dicunt singuli: Parce nobis, Domine, et subjungit unusquisque dicens hujusmodi verba teutonice: Niemer ne müze ich ersterben, ich ne müze umb üch erwerben, das min ende gut werde, unde miner armen sel rat werde. At ille singulis manus imponens dicit haec verba ter super unumquemque adorantium: Du werdest ein gut man. Du werdest ein gut man. Du werdest ein gut man. Credentibus ipsorum nullam dat spem salutis nisi ad ipsorum sectam relictis omnibus convertantur ex toto vel saltem in extremo vitae articulo manus impositionem ab ipsis recipiant. Dicunt enim omnia peccata per manus impositionem ab ipsis factam relaxari et spiritum sanctum infundi; et hoc volunt probare per illam auctoritatem in actibus apost.: Cum audissent apostoli etc. et infra: imponebant manus super illos et accipiebant spiritum sanctum. Quando autem in extremo vitae periculo aliquem recipere volunt, dant ei optionem, utrum velit in regno coelorum esse consors martyrum, vel confessorum. Si eligerit statum martyrum, tunc manutergio ad hoc specialiter deputato, quod teutonice vocatur Vordherdoch, strangulant ipsum hostio super se clauso. Si statum confessorum elegerit, tunc post manus impositionem nihil dant ei ad usum vel ad esum, nisi puram aquam ad bibendum et ita fame ipsum perimunt.

Quaeratur ab haeretico examinando, si aliqua sacra verba didicerit de epistolis vel evangelio, quae retinuerit.

XXXV.

Auszüge aus polemischen Tractaten gegen die Häretiker.

(Collectio Rer. Occitan. in Biblioth. reg. Paris.)

Incipit Summa contra Catharos G. Bergomensis:

Inani quidem et perniciosa scholasticarum quaestionum subtilitate postposita, eas potius quaestiones et sentêntias, quae de rebus saluti necessariis fuerint, quanta possumus, diligentia pertractemus. Primo de fide, contra quam ponit haereticus sententiam falsitatis et iniquitatis dicens, Dominum omnipotentem sola invisibilia et incorporalia creasse, quibus praedictis addit haereticus, duo esse principia, unum bonum, sive Dominum omnipotentem, alterum malum, i. e. diabolum. Addit etiam, duas esse naturas, unam bonam incorporalium a Deo omnipotenti creatam, alteram malam corporalium a diabolo creatam. Haereticus ergo, qui hoc dicit antiquitus Manichaeus, nunc vero Catharus appellatur; hanc suam opinionem nititur confirmare authoritate Genesis: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis; hoc dictum est post peccatum, sicuti nihil factus erat nisi peccator, ergo in quantum peccator similis illi, qui dixit, factus erat, sed qui hoc dixit, creaverat coelum et terram; non ergo Deus omnipotens creaverat coelum et terram, restat ergo, quod diabolus etc.

Dicunt, diabolum creasse hylen, sive primum ordinem mundi, materiam, quam Plato ctiston vocat, unde et ipsi eundem diabolum Caput ctisios appellant; de hac materia dicunt fecisse eum omnia elementa et corpora tam coelestia quam terrestria. Docent etiam eum quotidie facere, quidquid in mundo isto naturaliter et corporaliter fieri videtur; dicunt etiam, quod lucere facit solem et lunam et stellas, pluere quoque et alia, quae in aëre fiunt, herbas et arbores de terra fructificare et alia hujusmodi. Qui quum nullam scripturam praeter novum testamentum recipiant, de ipso novo testamento authores coram eis in medium proponamus.

Praedictae opinioni addunt iidem haeretici dicentes,

nec legem Moysis, nec vetus testamentum hominibus tradidisse Deum omnipotentem sed potius Deum tenebrarum et nullum ante Christum salvatum fuisse.

Von Johannes dem Täufer wird gesagt: Ecce hic habetur, quod Johannes dubitavit de Christo, ergo non credebat in eum, ergo non habebat fidem ejus, ergo non placebat Deo, quia sine fide impossibile est placere Deo, sic ergo erat malus, ergo damnandus. Addunt haeretici, quod Christus nec veram carnem habuit, nec vere mortuus fuit, nec veraciter resurrexit, et quod nulla omnino futura sit resurrectio carnis.

Von der Verklärung: Ecce hic dicitur altera species vultus ejus; cum ergo alterum de duobus tantum dicatur, patet, quod duas habebat species vultus ejus, unam scilicet fantasticam, quam populis monstrabat, alteram veram, per quam dicitur in alteram speciem vultus ejus — —, nam vera, quae latebat, est facta demonstrata.

Cathari dicunt, Christum nec animam habuisse, in quo quidam alii concordant haeretici, dicentes, Christum licet carnem habuerit, animam tamen non habuisse, sed pro anima divinitatem. Haeretici addunt, neminem in conjugio posse salvari exercendo opera conjugalia.

Dicto de secta Catharorum restat de secta Pasaginorum dicere, dicunt enim, Christum esse primam et puram creaturam, vetus testamentum esse (observandum in) solennitatibus, in circumcisione et in ciborum perceptione et in aliis fere omnibus exceptis sacrificiis.

Vetus testamentum esse observandum ad literam sicut et novum — circumcisionem ad literam esse servandam etc. Et dicunt, quod nullus bonus ante adventum Christi descendit ad infernum — et quod nullus est in inferno vel paradiso adhuc, nec erunt usque ad diem judicii data sententia.

Tractatus de haeresi Catharorum. (Coll. Rer. Occitan. Vol. XXXVI.)

Quoniam haeretici, qui Cathari vocantur, Deum Veteris Testamenti reprobare nituntur, hunc profanum errorem prius

elidere intendamus — hoc modo etc. — Objectiones haereticorum in hoc capite ex quatuor radicibus procedunt: prima est ex contrarietate, quae videtur inter Vetus et Novum Testamentum; secunda est ex mutabilitate ipsius Dei; tertia est ex crudelitate, quae in scripturis apparet; quarta est ex mendacio, de quo Deus arguendus videtur. — F. 134. Illa (corpora) appellat (apostolus) membra Christi, ergo ejus sunt creaturae; nec potest (haereticus) hoc intelligere de corporibus quae in coelo jaceant mortua secundum suam pravam sententiam. — Dicunt (Cathari), Filium non esse aeternum nec aeternaliter a Patre genitum.

F. 147. Quod Johannes B. sit salvus, et quod bonus Angelus annunciavit eum — quod beata V. Maria non fuit Angelus, sed mulier — quod D. Jesus fuit verus homo ex corpore et anima constans, et omnia fecit, excepto peccato, sicut verus homo — quod Spiritus S. vel remissio peccatorum sive alia gratia salutis non datur ab homine, sed a Deo tantum — quod homo non sit adorandus — nec dicat Patarinus, hominem esse adorandum, quia Spiritum Dei habet in se — quod omnis homo peccator est et solus Deus bonus. — Male faciunt Patarini, qui se dicunt bonos homines et sine peccato. — Quod culpae et gratiae non sunt aequales, nec poenae nec praemia, et quod aliqui sunt nunc in paradiso. —

Ex. Cod. reg. Paris. Nr. 3371.

Discedens a vestra decenti praesentia usque deveni, ubi maximum certamen cum haeretico haeresiarcha habui, cujus disputationis seriem vestrae prudentiae scribere curavi, quatenus si forte ad partes vestras illa bestia descenderit, multis rationibus et argumentis de haeresi convictum sciatis, et a liminibus vestrae ecclesiae constanter arceatis. Primo interrogatus cuinam obediat et qualem praedicandi missionem habuit, respondit: Si de obedientia quaeris, Deo non homini me obedire confiteor, obediendum enim est magis Deo quam hominibus; si de missione quaeris, ille me misit, qui dicit: ite docete omnes gentes; ille item injunxit

officium, qui dixit: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Scripturas autem Novi Testamenti recipio, ex quibus praemissa capitula probo et defendo.

Positiones haeretici: I. Infantes si ante discretionis annos moriantur (sine baptismo), salvos esse contendis, — — dicis namque iniquum esse hominem alieno peccato damnari, juxta illud: Anima quae peccaverit, ipsa morietur etc. Dicis: Si originale peccatum in baptismo ablnitur, cur baptizati moriuntur, cum mors sit poena originalis peccati? Qua ratione baptizantur qui non credunt? — II. Dicis quod non est praeceptum Evangelii, cum chrismate et oleo (baptizare). — III. Dicis: potest missa cantari et corpus Christi fieri, si sit, qui hoc facere dignus inveniatur. IV. Dicis: solus consensus quarumlibet personarum facit conjugium sine omni celebritate et ecclesiastica institutione, quod sic conjunctum non potest dissolvi nisi causa fornicationis. V. Sacerdotes hujus temporis, sicut tu fingis, non habent potestatem ligandi et solvendi; peccando enim criminaliter hac potestate privantur. — VI. Dicis non esse praeceptum Evangelii ire ad sacerdotem propter poenitentiam, ait namque Jacobus Ap.: Confitemini alterutri peccata vestra; non dixit: confitemini sacerdotibus, sed: confitemini alterutri. — VII. Dicis: Episcopi et sacerdotes non debent habere honores et pecunias. — VIII. De indumentis autem sacerdotalibus et annulo et virga pastorali, quae omnia ad sanctificationem et conformitatem morum christiana sanxit authoritas, quid significet illa varietas vestium, quid nitor gemmarum, quid fulgor auri, aut unde sumsit exordium, non est necesse admonere, nec modo volo tecum disputare, cum certum sit, quod omnia sint ad honorem et statum et honestatem Ecclesiae. IX. De ecclesiis vero dicis quod non sint ligneae vel lapideae faciendae.

Veteris ac novae legis testimoniis et probatissimis rationibus aggrediamur falsitatis errorisque assertores et fidei catholicae perversores. — Inter ceteros suae perversitatis errores dicit haereticus de conjugio, conjugalem copulam non esse bonam nec a Deo. — De nuptiis in Cana Gali-

laeae factis tu dicis, haeretice, has esse nuptias Christi et Ecclesiae et non alias. Objicis, haeretice, quod non invenitur nomen sponsi in Evangelio, et quod non ibi fit mentio de sponsa, et ideireo non esse nuptias carnales. — II. De veteri lege et dictis Prophetarum, quibus praeparat se haereticus, agamus, et quod verus Deus dedit legem Mosaicam, authenticc ostendamus. — III. De juramento. — Audi haeretice: proximum tuum debes diligere sicut te ipsum, et ait Joh.: qui non diligit fratrem suum etc. Sed tu solummodo dicis fratres tuos haereticae pravitati tuae consentientes, quod nequaquam est ita etc.

XXXVI.

Beghardeu.

Cod. Ratisb. S. Emmerami C. 35. (Münchner St.-Bibliothek.)

F. 169—80. Quod mendicatio est inhibita etc. enthält die päpstlichen Constitutionen, die in Moshemii Comment. de Beghardis p. 653. 623 u. 409 stehen — darauf heißt es:

His aliisque constitutionibus apostolicis dominus Martinus Presbyter ex Bohemia animatus*) cum esset authoritate apost. in quibusdam Alemanniae partibus Inquisitor haereticae pravitatis constitutus, et per dominum Lampertum Argentin. Ep. ad hujusmodi officium exercendum Argentinam accersitus, ibidemque invenisset plurimos haereticos sub illis qui gloriantur se esse sub tertia regula S. Francisci, latitare, vel suas nequitias palliare, impetravit praesens privilegium per dictam dioecesin publicari et ab omnibus firmiter observari.

Lampertus Dei et apost. sedis gratia Ep. Argentinensis dilectis nobis in Christo Archipresbyteris, Camerariis, Ecclesiarum rectoribus, Vicariis perpetuis, Plebanis et Viceplebanis, ceterisque ecclesiarum vel monasteriorum praelatis et personis eccl. verbum Dei praedicantibus, universis et singulis religiosis et secularibus, exemtis et non exemtis,

*) Orimndus?

per civitatem et dioecesim nostram Argentinensem constitutis, salutem in Domino et diligentiam fidelem executionis subscriptorum. Quamvis sacris canonibus sit interdictum, ne quis novum ordinem aut religionem inveniat, vel habitum novae religionis assumat, sed quicunque ad religionem venire voluerit, ingrediatur unam de religionibus per sedem apost. approbatis. Et ob hoc etiam et alia de Beginarum, quae, cum nullam promittant obedientiam regularem, nec propriis renuncient, nec profiteantur aliquam regulam approbatam, religiosae nequaquam existunt, opinione sinistra frequenter audita, quarum status tanquam merito suspectarum in s. Concilio Viennensi sub excommunicatione jam latae sententiae prohibitus esse dinoscitur: nonnullae tamen profanae multitudinis mulieres, quae vulgariter etiam Beginae, quaedam ex eis sorores seu Swestriones, vel aliis nominibus appellantur, per civitatem et dioecesim nostram Argent. constitutae, ut ad nostrum non sine displicentia grandi fide digna relatione pervenit auditum, dictum statum reprobum, sectam etiam ipsam ac habitum novae religionis assumere, se a communi habitu aliarum mulierum Christi fidelium in palliis, tunicis et peplis segregando, et in singulari forma, scissura et colore hujusmodi habitum deferendo, nec non congregationes et conventicula facere, et superiores sub ipsis multotiens eligere, quas Magistras aut aliis appellant nominibus, et quasdam ex eis in communi per modum colegii seu conventus habitare, quaedam validae ad laborem absque necessitate publice mendicare, saepiusque et praesertim diebus sabbathi superioribus aut magistris suis praedictis, et sibi ipsis mutuo delicta sua confiteri, et a dictis magistris et superioribus in orationibus et plagis, quas disciplinas nominant, poenitentias recipere, claves ecclesiae sibi fallaciter usurpantes, illas quoque, quae ritus hujusmodi ad unguem non observant, ab eorum consortio et hospitiis ejicere seu repellere, nec non a Religiosis eucharistiae sacramentum non habita super hoc Presbyteri parochialis licentia speciali, nulloque super hoc munitae privilegio recipere damnabili temeritate praesumserunt contra dictos et alios

super hoc editos canones, et praesumunt incessanter, poenas et sententias excommunicationis et alias in dictis canonibus ob hoc latas et damnabiliter incurrentes et pertinaciter sustinentes. Nonnulla etiam alia sub simulata quadam sanctitatis specie faciunt et committunt quae oculos divinae majestatis offendunt, et grave continent in se periculum animarum. Cum itaque talium damnata temeritas in fidei cath. detrimentum, fidelium scandalum, et suarum et aliarum multarum animarum perniciem redundare noscatur, nos hujusmodi periculis et scandalis ex debito pastoralis officii cupientes possetenus obviare, dictasque mulieres ab erroris semita revocare, vobis universis et singulis nobis subjectis, quibus praesens noster processus dirigitur, in virtute s. obedientiae et sub poena suspensionis — quam trium dierum monitione praemissa ferimus in rebelles, districte praecipiendo mandamus, non subditos autem requirimus et hortamur in Domino, quatenus proximis tribus diebus dominicis et festivis, quibus populis vos praedicare et verbum Dei proponere contingit, quilibet vestrum hunc nostrum processum eisdem populis vulgarizando et fideliter exponendo, requiratis publice et moneatis attentius omnes et singulas mulieres vestrarum civitatis et dioecesis praedictarum vobis subjectas, in praemissis vel aliquo praemissorum culpabiles, quas et quarum quamlibet nos tenore praesentium requirimus etiam et monemus, ut infra VI dies publicationem seu notificationem praesentium proxime sequentes, a praemissis earum detestandis actibus et erroribus desistant, ipsosque nullatenus de cetero sectentur aut perpetrent, sed vel habitum assumtum deponant realiter cum effectu, vel aliquam profiteantur regulam de religionibus per sedem apost. approbatis, sese a sententiis excommunicationis et poenis quas occasione praemissorum incurrerunt, infra XV dies monitionis hujus immediate sequentes juxta formam ecclesiae a nobis, vel superiore aut vicario nostro absolvi procurent, alioquin ipsas et ipsarum quamlibet, quas et quarum quamlibet, si hujusmodi monitioni non pareant seu quidquam in contrarium fecerint propter hoc in Dei nomine excommuni-

camus, et sic per nos excommunicatas publice denuncietis et evitetis et faciatis ab aliis arctius evitari. Intimamus insuper mulieribus eisdem, quod nisi praemissis monitionibus effectualiter pareant, nos contra ipsas ad arctiores poenas, in quantum de jure poterimus, procedemus, et ad inquisitionem de conversatione et vita ipsarum, qualiter sentiant de articulis fidei et sacramentis, procedemus et per Inquisitores haeret. pravitatis et alios ad quos id pertinet, faciemus. Datum Bennfeld. Sabb. post fest. assumt. B. M. V. a. D. 1374.

Constitutio cujusdam Papae cujus nomen haud exprimitur. (Bonifacii IX.)

Ad perpetuam rei memoriam. Ad ea quae ad animarum salutem ac Christi fidelium devotionem tendere, nec non pauperum et devotorum quietem respicere dinoscuntur, libenter intendimus, illaque favoribus prosequimur opportunis. Dudum siquidem pro parte dilectorum filiorum universorum Inquisitorum haereticae pravitatis authoritate apost. per Alemanniam deputatorum, coram nobis proposito, quod in partibus illis erant nonnullae sectae, vulgo Beghardi seu Lolhardi et Swestriones, a se ipsis vero pauperes Fratricelli, sive pauperes pueruli nominati, qui in contemtum clavium contra prohibitiones s. canonum et sententias, praesertim contra constitutionem fel. rec. Joannis XXII. P. Praedecessoris nostri, quae incipit: S. Romana Ecclesia, novam religionem seu conformem habitum assumere, congregationes et conventicula facere, in communi simul habitare, Superiores, quos Procuratores vel servos Fratrum, aut Marthas sororum nuncupant, sub ipsis eligere et publice gregatim mendicare praesumebant, sub quorum etiam habitu et ritu vivendi ante centum annos usque nunc semper haereses et haeretici latitarant, et ob hoc in diversis civitatibus partium praedictarum fere singulis annis de hujusmodi sectis plures pertinaces judicialiter concremabantur, et quod praeterea piae memoriae Urbanus V. et Gregorius XI. et plures alii R. Pontifices praedecessores nostri hujusmodi perversarum

congregationum vepres de agro dominico penitus exstirpare cupientes, ac etiam clarae memoriae Carolus IV. R. I. multa statuta pro officio inquisitionis et commissionis cum diversis munimentis Inquisitoribus ipsis contra hujusmodi haereticos ediderunt, quodque hujusmodi Beghardi seu Lolhardi et Swestriones diversis exemtionibus et concessionibus a sede praefata ipsis factis jactabant se fulcitos, quae in praejudicium fidei et S. Rom. Ecclesiae vergere dinoscebantur, nos omnes et singulas exemtiones et concessiones hujusmodi eisdem Beghardis seu Lolhardis et Swestrionibus, seu earum alicui vel aliquibus in praejudicium fidei orthodoxae et dictae Rom. Ecclesiae per nos vel quoscunque R. Pontifices praedecessores nostros in genere vel in specie sub quacunque forma vel expressione verborum forsan factas, ex certa scientia authoritate apost. per alias nostras literas penitus revocavimus, ac voluimus quod hujusmodi Beghardi seu Lolhardi et Swestriones, quocunque etiam alio nomine nuncuparentur, in et super haeresi et quibuscunque aliis erroribus fidei et ecclesiae supradictae conveniri, et per Inquisitiores hujusmodi praesentes et posteros juxta formam per praedecessores nostros et Karolum eis traditum puniri possent et deberent, prout in praedictis literis plenius continetur. Cum autem, sicut postmodum ad nostrum nonnullarum fidelium partium Alemanniae pia relatione pervenit auditum, in diversis partibus Alemanniae et praecipue in civitatibus et dioecesibus Maguntinensi et Magdeburgensi diversi utriusque sexus pauperes, qui, ut praefertur, a nonnullis vulgariter Begharden, Beginen, willigen Armen nuncupantur, vitam abjectam eligentes, in domibus eis ad hoc a Christi fidelibus largitis seu concessis, masculi videlicet separati a mulieribus, habitent, ac devotionibus et orationibus insistant, in fidei aedificationem et populi non modicam devotionem, de hujusmodi in dictis literis nostris expressis, aut de eis, quae contra fidem vergerent, se nullatenus intromittentes, ac hujusmodi pauperes praetextu literarum praedictarum, et propter vulgo impositum, ut praemittitur, eis nomen, et alias diversimode mole-

stentur et perturbentur: nos divinum cultum augere et populum christ. ad devotionis exercitium excitare intensis desideriis affectantes, dictisque pauperibus, ut eorum devotionibus eo quietius insistere valeant, super his providere volentes, motu proprio, non ad alicujus super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate volumus, eisdemque pauperibus authoritate apost. tenore praesentium concedimus, quod ipsi insimul habitare et vestimenta longa ad talum et grisea seu alterius cujuscunque coloris, et calceos consuetos non tamen alicui ex ordinibus approbatis conformia, victum duo, tres vel plures ex eis conjunctim mendicando quaerere ac eis sponte oblata recipere, in communi vivere et devotionibus eorum, prout hactenus consueverunt, laudabiliter insistere licite et libere valeant, dummodo contra fidem, vel alias contra ea, quae in dictis literis exprimuntur, nequaquam operentur, hujusmodi Inquisitoribus et locorum ordinariis, aut aliis quibuscunque personis sub excommunicationis sententia, quam quemlibet eorum, qui contra tenorem praesentium, postquam sibi de praemissis constiterit, venire praesumserit, incurrere volumus ipso facto, districtius inhibentes, ne pauperibus hujusmodi Beghardis, seu Lollhardis et Swestrionibus, Beginis, seu willigen Armen vel alias qualitercunque nuncupatis contra praesentium tenorem, nisi coram Ordinariis primitus fuerint de contrario convicti, et tunc convictis tantum injurias vel jacturas inferre, vel eos quomodolibet inquietare, molestare seu etiam perturbare, aut contra eos inquirere vel procedere quoquomodo praesumant, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus omnibus supradictis ac constitutionibus apost. et aliis contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum etc.

XXXVII.

Begharden.

Cod. Aug. S. Ulrici 86. (Münchner St.-Bibliothek.)

Anno D. mccclxvij, indictione VIta, die iijvicesima mensis Decembris ab hora nona vel quasi usque ad horam completorii Pontif. SS. in Christo patris et Dom. nostri Urbani V. anno VIto in Erdfordia Magunt. dioec. quidam Beghardus nomine Johannes Hartmanni de Villa Astmanstetten dictae dioec. Magunt., vel dictus Johannes Spinner inter Beghardos, qui prius juraverat ad SS. Dei evangelia de dicenda veritate pro tunc et semper in forma debita et consueta, interrogatus a Walthero Inquisitore, in quo consistat libertas spiritualis, respondit quod in hoc quod totaliter cessat remorsus conscientiae et quod homo redditur impeccabilis. Et sic interrogatus a praedicto Inquisitore de primo articulo in Clementina de haereticis „ad nostram“ qui incipit, quod homo in vita praesenti, scilicet, quando steterit in tali contemplatione de qua prius dictum est, videlicet in summo gradu perfectionis quem ipse in principio habuit, quando in abysso divinitatis fuerit, an sit aliqua differentia inter Deum et se. Respondit quod in tali perfectione et summo gradu unus est cum Deo et Deus cum eo unus absque omni distinctione, et dixit quod in hoc consistat vera libertas spiritus, sic quod cessat omnis remorsus conscientiae et homo talis redditur impeccabilis. Interrogatus an homo in vita praesenti, qui stat in tali contemplatione, amplius possit proficere, respondit, quod sic stans in libertate amplius proficere non potest, et quod talis homo tantum et talem perfectionis gradum acquirit, quod redditur penitus impeccabilis. Interrogatus de secundo articulo in Clementina qui incipit: Secundo jejunare etc., dixit, quod hominem non oportet jejunare vel orare, postquam gradum perfectionis hujus fuerit assecutus, et quod sensualitas est ita recte spiritui et rationi subjecta, quod talis homo licite potest concedere corpori quidquid sibi placet.

Interrogatus de tertio articulo, qui incipit: tertio quod illi qui sunt etc., respondit quod illi qui sunt in praedicto gradu perfectionis et spiritu libertatis, non sunt humanae subjecti obedientiae nec ad aliqua statuta vel praecepta ecclesiae obligantur, quia veri liberi sunt, et talis liber est dominus et rex omnium creaturarum, et omnia sunt sua, et potest licite accipere pro usu suo quaecunque sibi placent, et (si) aliquis vellet eum impedire, talem impedientem posset libere occidere et ab eo auferre bona sua, quia occidendo ipsum remitteret eum ad suum originale principium, et omnia quae delectant eum potest licite facere, et antequam non perficeret actum ad quem natura sua ipsum inclinaret, potius deberet una tota terra interfici et perire, et hoc quod dixit de una terra, dixit de omnibus aliis. Interrogatus an talis liber spiritu licite possit auferre pro usu suo calicem aureum, respondit quod sic, dixit quod melius esset huic quod reciperet calicem aureum quam pannum grossum. Interrogatus an imperatorem vellet interficere si prohiberet ipsum aliquam rem recipere pro sua voluntate sibi convenientem, si posset, respondit sub distinctione, quod si Imperator non esset liber spiritu, quod tunc vellet eum interficere, sed si Imperator esset perfectior in libertate spiritus, tunc esset dubium, quod dubium dixit se pro tunc nolle revelare. Interrogatus de IVto articulo, qui incipit: Quarto quod homo potest etc., dixit quod stans in tali gradu perfectionis sicut ipse primo fuit, talis potest finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis pro tunc assequi, sicut eam obtinebit in vita beata, si solummodo mortalitas non esset corporis, et quod talis liber spiritu ita beatus esset sicut Petrus vel beata virgo Maria in regno coelorum vel in vita beata. Interrogatus quando est in tali summo gradu perfectionis et quando taliter est unum cum Deo sicut dictum est, an hoc sit sine medio quocunque, respondit, quod sit sine medio, et dixit consequenter quod nec Angeli nec Maria possent discernere inter Deum et ipsum propter perfectam unionem ipsorum in tali perfectione. Et dixit quod in tali contemplatione sua transformatus in Deitatem ita cum Deo unum

efficitur, et Deus cum eo, quod nec Angeli nec Maria possent discernere inter Deum et ipsum propter perfectam unionem eorum, et quod in unitate divinae essentiae et trinitate personarum liber in spiritu stans in tali summo gradu, in quo ipse primo stetit, quidquid vult esse in Deitate, hoc est, quia si vult esse Pater, est Pater, si Filius, est Filius, si Spiritus sanctus, est Spiritus sanctus in Deitate, et ex hoc dixit quod Filius in divinis esset frater suus et sibi attineret. Interrogatus de Vto art., qui incipit: Quinto quod quaelibet intellectualis etc. dixit quod nobilitas spiritus ex efluxu divinitatis et refluxu in Deitatem est unum cum Deo et ibi est propria et vera beatitudo, et talis liber spiritu non indiget lumine gloriae elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum, quia ibi nulla est distinctio. Item dixit: ubi est tale bonum lumen essentiale quod etiam est Deus, ibi omne lumen creatum tenebrae sunt et obfuscatio et nulla multiplicatio est ibi ponenda in divinis et inter talem liberum spiritu. Item de VIto art. qui incipit: Sexto quod in actibus etc. dixit, quod talis homo liber redditur impeccabilis et potest agere quidquid vult et sibi placet, et si natura inclinaret ad actum venereum, potest licite ipsum perficere cum sorore sua vel matre et in quocunque loco sicut in altari, et dixit quod magis naturale est talem actum venereum exercere cum uxore sua carnali quam cum alia muliere propter affinitatem naturae; et subjunxit quod perfectus liber a se licentiat virtutes sub tali distinctione, quod homo liber non est sub lege quacunque, nec tenetur ad statuta ecclesiae nec praecepta qualiacunque, quod talis est liber spiritu id est ein fry Geist, quod idem est quam homo liber, et statuta et praecepta ecclesiae debent saltem tenere grossi homines, id est homines sub lege existentes quos ipse grossos homines appellat. Item dixit quod per hoc quod cognosceret carnaliter sororem carnalem, ipsa non est minus virgo nec perdit castitatem, sed magis casta redditur per concubitum carnalem. Item dixit quod si cum aliqua puella se permiscuerit, nec ipsa nec puella amitterent virginitatem, imo si per alios esset violata et amisisset vir-

ginitatem, per hoc quod cum homine libero qui staret in tali gradu perfectionis qui cum ipsa coicrit, virginitatem amissam recuperabit. Et posuit exemplum de decem viris unam puellam carnaliter cognoscentibus, sic quod unus est grossior alio in proportione corporum et etiam naturalium, sic quod grossior eam primo haberet, et alii consequenter usque ad ultimum, qui est minor vel minimus inter omnes, si talis est liber spiritu, et habuit ipsam ultimus liber spiritu, talis corrupta virginitatem amissam per alios per ipsum liberum spiritu recuperabit, et subjunxit quod sic est de mulieribus sicut de vitulis vel bobus qui creati sunt ad usum hominum quod possunt comedi, sic et mulieres creatae sunt ut sint ad usum illorum qui sunt in libertate spiritus. Et interrogatus a praedicto Inquisitore, si essent duo in libertate spiritus, qui ambo vellent unam puellam cognoscere, quis eorum deberet alium praecedere, tunc sicut prius, quod iste qui esset major liber in spiritu deberet cum ea prius coire et tunc alius. Sed si essent aeque liberi tunc deberent cum taxillis sortem mittere, et cui sors daret, ille primo cognoscere deberet eam. Interrogatus an Christus fuisset liber spiritu, respondit quod non, quod probavit per evangelium, quia Christus in passione sua dixit: Pater, si possibile est, transeat etc. Non tamen sicut ego volo sed sicut tu, et addit quod Christus in die Parascheves postquam mortuus fuit in cruce, tunc primo veram libertatem fuerit assecutus, propter quod et feria sexta a volgaribus appellatur Frytag. Interrogatus an Christus post resurrectionem suam Mariam Magdalenam cognoverit carnaliter, respondit quod ista esset alta et profunda sententia, quam non vellet dicere quamvis bene sciret, subridendo subjungens quod Inquisitor libenter — sibi benefacere quod hoc vellet sibi indicare quia aliqui hoc tenerent quod in futura vita fiat permixtio maris et feminae sicut in praesenti, quod si non esset, tunc homines vellent libentius in ista vita cum uxoribus suis manere, quam ad futuram vitam anhelare. Item dixit Mariam non esse liberam spiritu, quia aliter totiens non suspirasset de absentia filii sui dicens:

eya bone fili! eya bone fili! oh quando te videbo? Item de VIIto art. qui incipit: Septimo, quod mulieris osculum etc. dixit quod actus carnalis ad quem natura hominem inclinat tali in spiritu libero non est peccatum, sed aliqui amplexantur et osculantur mulieres propter hoc solum quod conversatio eorum sit communis cum hominibus aliis, et ne dicatur de eis proprie, quod ipsi sunt Götzen et nesciunt conversari cum hominibus. Item de VIIIto art. qui incipit: Octavo, quod in elevatione etc. dixit quod talis liber in spiritu licite potest dimittere omnia statuta ecclesiae, et non tenetur ad alia quaecunque statuta, et si est in tali contemplatione interiori, non deberet assurgere ad elevationem corporis ne impediatur in puritate et altitudine suae contemplationis, quando se cum exterioribus quovis modo occuparet, nec oportet quod talis perfectus liber recipiat quaecunque sacramenta, nisi in quantum talis homo extravagaretur, et vellet se verlustigen, et etiam in tali extravagatione ita bene inveniret Deum in ludo scaccorum sicut in sacramento eucharistiae, si in tali ludo inveniret majorem delectationem. Item dixit si non esset baptizatus et si nasceretur, non curaret nisi in quantum vellet se verlustigen; et dixit, si paganus esset in tali libertate spiritus, non indigeret de baptismo. Item dixit quod liber in spiritu non teneatur confiteri, quia talis est impeccabilis, nec indigeret de quibuscunque aliis sacramentis. Et dixit quod nullus potest exprimere talem veritatem et illuminationem, nisi qui vere liber est et in se ipso invenit. Et quod multum Inquisitor deberet sibi regratiari quod sibi talia revelavit et eum sic illuminavit, quod plus valeret sibi talis illuminatio quam tota pecunia Consulum Erfordens. quae est in turri eorum. Interrogatus an talia dixerit ex dementia cordis vel debilitate capitis, seu ex aliqua infirmitate corporis, respondit quod nullo istorum morborum sed ex fundo suo talia dixit, quia sic in se invenit, et iste solus talia exprimere potest ex vero fundamento qui est expertus talia in se ipso, at quod praedicatores praedicant et docent ex libris, et studio pellium obliviscuntur eorum, sed qui in intima profunditate

divini abyssus talia perspiciunt, illi verissime talia dicere possunt, et quod a novem annis postquam in tali libertate fuit constitutus, nunquam habuit temporalem corporis passionem, nec fuit minutus nec infirmus, nec medicinam unquam recepit. Interrogatus de pali te*) an sit ex infirmitate aliqua et qua de causa, respondit quod sit ex infirmitate sed jam non vellet dicere pro praesenti. Interrogatus an talia negare posset spiritus existens in tali libertate, respondit quod sic, si esset constitutus in periculo corporis et ad conservandum corpus suum licite posset negare et totiens quotiens oporteret abjurare sine omni peccato, nec jurando nec negando talia mentiretur, sed verum diceret. Et ponit exemplum si cognovisset sororem suam carnalem, et de hoc accusaretur, licite posset negare et jurare quod non fecit: quia in hoc non dicit falsum in spiritu libero, quia intendit, non fecit in aeternitate, et non oportet eum dicere de tempore. Et licite potest decipere quaerentem etiam non accusantem, quia loquitur veritatem ex fundamento libertatis in quo nullum est falsum nec esse potest.

Lecta sunt haec Erfordiae Magunt. dioeces. praedicto anno indictione, pontificatu, die, mense, hora et loco quibus supra, praesentibus honorabilibus et religiosis viris fratre Johanne Ducilsten Ord. Praed. et dicto de Stalberg procuratore monasterii S. Petri in monte Erford. ord. S. Bened. Domino Heinrico advocati provisore dicti Albodij et Domino Heinrico Apothecario perpetuo vicario ecclesiae b. Mariae Virg. Erford.: at Bartholomeo de Vochersteten et Johanne Helmici notariis publicis et aliis fide dignis testibus ad praemissa rogatis et requisitis.

XXXVIII.

Isti articuli et errores inventi sunt in inquisitione facta per D. Johannem Argentinensem Episcopum esse inter illos qui sunt de secta Beghardorum, et inter eos qui eis adhaerent et eos fovent. Primus est quod aliqui dicunt, se esse vel aliquos ex istis perfectos et sic unitos Deo, quod sint rea-

*) Sic; an palliditate?

liter et veraciter ipse Deus, quia dicunt se esse illud idem et unum Esse quod est ipse Deus absque omni distinctione. Ex hoc articulo sequuntur multi alii articuli qui item apud dictos etiam inventi sunt. Dicunt enim quod in praedictis sic viventes sunt perfectiores animae eo modo quo dicuntur in solo Deo esse, dicunt enim quod Esse eorum est aeternum et quod sunt in aeternitate. Dicunt etiam quod creaverint omnia sicut Deus, imo, ut dicunt aliqui, plus quam Deus. Dicunt etiam quod nullo indigent nec Deo nec Deitate, et breviter quod sint perfecti sicut Deus in omnibus. — Item dicunt se ipsos esse regnum coelorum, et hoc idem dicunt de Deo. Item dicunt quod carent omni mutabilitate, quia de nullis, quae eis de quibuscunque aliis propinquis vel extraneis possent accidere, perturbentur; si enim deberent suspendi personaliter vel qualitercunque tribulari corporaliter, nollent se per unum verbum minimum ut dicunt liberare. — Item dicunt aliqui ulterius, quod post mortem hominis nihil remanebit, nec corpus nec anima, quia sunt quaedam accidentia, sed id solum remanebit, quod fuit homo vel hominis ab aeterno, et sic negant veram resurrectionem eo modo quo a fidelibus debet credi. Item dicunt aliqui quod Deus sic est in omnibus, quod omnia sunt Deus, et sic quod non est Deus nihil est.*) Et ex hoc nituntur concludere, quod nec malum nec daemones nec infernus nec purgatorium sit in rebus. — Ulterius ex hac perfectione unionis aliquorum cum Deo dicunt aliqui quod sint impeccabiles, quia adeo sint liberi quoad spiritum quod quidquid faciunt cum corpore nunquam peccant; unde quamvis exerceant actum incontinentiae vel cujuscunque vitii alterius, non reputant hoc peccatum. Item ratione dictae perfectionis aut libertatis dicunt se nihil facere propter praemium quodcunque obtinendum a Deo, etiam pro praemio vitae aeternae, sed solum faciunt quod faciunt ut laudetur Deus. Item nomine hujus libertatis dicunt aliqui non obligari se

*) Vgl. Mosheim de Beghardis p. 256. Ich gebe dieses Stück aus einer Münchner H.-S. der St.-Bibl. in vollständigerer und mehrfach eigenthümlicher Gestalt.

ad servandum praecepta Dei, praecipue de honoratione parentum etiam necessitate occurrente. Idcirco eadem ratione dicunt aliqui quod non debent obedire praelatis ecclesiae nec statutis eorundem, unde de proposito frangunt etiam jejunia ecclesiae libere, et aliqui comedunt carnes sextis feriis non infirmi sed facientes omnia sicut sunt sani. Item dicunt quod per praedictam libertatem mulier existens in matrimonio non tenetur ad obedientiam viri sui quantum ad actus ad matrimonium pertinentes. Item ex eadem ratione dicunt quod quamvis sint sani et fortes non debent laborare corporaliter, quamvis per receptionem eleemosynarum quas recipiunt veri pauperes defraudarentur. Item dicunt quod quidam eorum non tenentur quocunque tempore confiteri. Item dicunt se per talem statum amodo omnino esse liberatos, et liberos a conditione cujuscunque servitutis etiam si prius cujuscunque regis vel alterius proprii extitissent. Errant etiam — circa Christum; dicunt enim aliqui quod sunt realiter et naturaliter ipse Christus; dicunt etiam quod ipsi meritum Christi et gloriosae virginis et per consequens cujuscunque sancti alterius transcendunt. Item dicunt quod Christus non pro nobis sed pro se ipso et sibi soli passus fuit sicut quilibet homo alius, quando patitur solet pati. Item dicunt quod unus bonus homo laicus aeque bene vel melius potest conficere corpus Domini sicut malus sacerdos, et hoc intelligitur de malitia peccatorum. Item quidam non reverentur sacramentum in ecclesia vel alibi sicut deberent. Item dicunt aliqui quod christianitas est fatua. Item dicunt communiter orationes non esse necessarias et quidam ex ipsis vocaliter nihil orant. Item habent conventicula et congregationes et modos singulares loquendi, vivendi et conversandi, quos et quas et quae prohibuit s. mater ecclesia tam Romana in generali quam Maguntina de consilio ejus Suffraganeorum in speciali, exprimendo et signando singulariter istam sectam.

Haec sunt novae haereses de novo Spiritu.

Primus articulus hic est quod quilibet homo quantum peccaverit, possit in uno anno praecellere dignitatem S. Pauli

et meritum ejus et b. Mariae Magdalenae, s. Johannis Baptistae et cujuslibet sancti. — 2°. Quod etiam homo praecellat Filium Dei. — 3°. Quod non sit credendum Christum in passione fuisse laceratum nec quicquam doluisse. — 4°. Quod homo possit ita uniri Deo, quod quidquid de cetero facit, non peccat. — 5°. Quod angeli nihil sunt nisi virtutes hominum. — 6°. Quod non sit infernus. 7°. Quod omnis creatura plene sit Deus. — 8°. Quod angeli non cecidissent, si debito modo (in) conspiratione cum Lucifero perstitissent. — 9°. Quod homo unitus Deo non deferat Sanctis venerationem. — 10°. Quod diem diei non praeferunt in jejunio. — 11°. Quod unitus Deo possit explere libidinem carnis per quemcunque modum licite. — 12°. Quod non sit no̅ *) — 13°. Quod bonum hominem non oportet peccata quantumcunque (gravia) nisi alteri bono confiteri, sed dicat in corde: ego peccavi. — 14°. Item dicunt se elevari cum corpore Domini in missa, nec surgunt nec flectunt genua quando elevatur vel portatur, nisi tantum propter homines, ne scandalizentur. — 15°. Quod homines impediunt bonitatem suam per orationes suas, jejunia et flagella et alia quaecunque opera. — 16°. Quod boni homines non debent insistere laboribus sed vacare et videre quam bonus et suavis est Dominus. — 17°. Quod orationes non valent quae fiunt infra opera hominum. — 18°. Quod sine peccato possit retinere rem alienam invito Domino. — 19°. Quod sine peccato comedunt in secreto quotiescunque volunt et quidquid volunt si habent. — 20°. Quod non sit necesse narrare in confessione circumstantias peccatorum, sed sufficit dicere: Ego peccavi. — 21°. Quod boni non debent literatis revelare bonitatem suam et gratiam quam habent quia nesciunt quid sit per pellem vitulinam, ipsi vero sugunt ex deitate. — 22°. Quod de malo sicut de bono sit gaudendum, quia Deus sic praeordinavit. — 23°. Quod boni homines non doleant si incidant in peccata qualiacunque, quia Dominus sic praeordinavit, nec talis prae-

*) Unleserlich. Wahrscheinlich: incarnatio.

ordinatio debebat impediri. — 24°. Quod qui volunt adipisci veram bonitatem, non debent cogitare de passione Domini. — 25°. Quod peccata cum dolore non recogitentur, quia per hoc gratia retardatur. — 26°. Quod sanguis boni hominis vel superfluitas sicut sanguis Christi sit tractandus. — 27°. Quod libertas et commodum faciunt locum spiritui sancto. — 28°. Quod dicunt se carnaliter cognosci a Christo. — 29°. Quod saepe vellent esse in inferno, quia de bonitate Domini tantum possent facere sicut est pupilla oculi. — 30°. Quod sunt in apice divinitatis. — 31°. Quod cadere non possunt. — 32°. Quod ita Deo sunt uniti, quod sanguis eorum sit totum sicut sanguis Christi, quod falsum est. — 33°. Quod perfecti non indigent verbo Dei. — 34°. Quod ita possunt esse aliqui, quod si diutius viverent, amplius proficere non possent, et ita mali aliqui quod pejores fieri non possent. — 35°. Quod non sit orandum pro serenitate vel aliis quae Deus sic praeordinavit. — 36°. Quod non sit assurgendum corpori Domini quia Deus ubique est. Item non reputant ecclesias ex eadem ratione quia Deus ubique est.

Dieſelben Artikel in etwas verſchiedener Geſtalt im Cod. Aug. S. Ulrici 86.

Nota XXIX. articulos de haeresi novi Spiritus.

Primus, quod quilibet homo quantumcunque peccaverit possit uno anno praecellere dignitatem S. Pauli et meritum ejus, et Mariae Magdalenae, Johannis Baptistae, Genitricis Dei vel etiam cujuslibet Sancti. — 2°. Quod etiam homo praecellat ipsum Filium Dei. 3°. Quod nullo modo est credendum, Christum in passione fuisse dilaceratum, nec doluisse quidquam. 4°. Quod homo posset ita Deo uniri quod de cetero quidquid faciat non peccet. 5°. Quod non sint angeli nisi virtutes hominum. 6°. Quod non sint Daemones nisi vitia et peccata hominum. 7°. Quod infernus nullatenus sit. 8°. Quod omnis creatura plene sit Deus. 9°. Quod angeli non cecidissent si debito modo cum Lucifero in conspiratione processissent. 10°. Quod homo unitus Deo non deferat honorem vel reverentiam sanctis. 11°. Quod diem diei non praeferat in jejuniorum observantiis, quia

unus dies sicut alter. 12°. Quod unitus Deo audacter explere possit libidinem carnis per quemcunque modum, et religiosus in utroque sexu sine omni peccato. 13°. Quod non sit (incarnatio?) credenda. 14°. Quod bonum hominem non opporteat confiteri peccata sua quantumcunque gravia, sed tantum narrare alicui homini bono, vel dicat in corde suo: ego peccavi. 15°. Quod dicunt se in elevatione hostiae corporis Christi infra missam ibidem levari, nec surgunt nec genua flectunt ob reverentiam Dei, quando portatur vel levatur, sed tantum propter homines ne scandalizentur. 16°. Quod homines impediunt et retardent bonitatem suam per orationes et jejunia, flagella et vigilias et alia quaecunque bona opera. 17°. Quod homines boni non debent insistere laboribus sed vacare et videre quam suavis est Dominus. 18°. Quod orationes non valent quae fiunt infra opera hominum. 19°. Quod licite et absque timore hominum et peccato possint retinere rem alienam etiam invito domino. 20°. Quod absque pavore vel peccato in secreto comedunt quodcunque volunt et quidquid habent. 21°. Quod non sit necesse narrare in confessione circumstantias peccatorum, sed sufficit dicere ego peccavi. 22°. Quod boni homines (non) debent revelare viris literatis bonitatem suam et gratiam quam habent, quia nesciunt quid sit nec cognoverunt nisi per pellem vituli, ipsi vero suxerunt ex divinitate. 23°. Quod boni homines non timeant nec doleant si cadant in peccata qualiacunque, quia Deus ita praeordinavit et quia praedestinationem nullus debet impedire. 24°. Quod homo de malo tantum gaudeat quantum de bono et de omni quod acciderit ei, quia Deus sic ordinavit. 25°. Quod boni homines vel qui volunt adipisci veram bonitatem, nunquam debent cogitare de passione Christi. 26°. Quod peccata commissa nunquam debent cum dolore cogitari nec dies elapsi in vanitate, quia per hanc amaritudinem gratia magis retardatur. 27°. Quod sanguis boni hominis vel alia superfluitas corporis sui ita reverenter sit tractanda sicut corpus Christi. 28°. Quod libertas, quies et commodum faciunt locum spiritui sancto in homine. 29°. Quod polluunt se corpore Christi.

XXXIX.

Cod. Manac. 311. fol. 91.

Compilatio de novo Spiritu hos continet 100 errores minus tribus.

Conventicula facere et in secreto docere contra fidem non est sed contra modum evangelicum. — — Quod dicitur quod bonus homo dicere vere potest gratiam se habere et non habere, contra principium primum omnis veritatis, de quolibet vel negationem vel affirmationem esse veram et de nullo simul. Quod dicitur quod XX Pater Noster praevaleant missae sacerdotis contra dignitatem est sacramenti. Dicere promissas orationes non debere solvi est dicere mendacium licite posse fieri. Quod dicitur quod alicui responderit omni spiritu veritas praesumpcionis magis et fatuitatis verbum est quam haeresis. Dicere quod homo faciat mortalis peccati actum sine peccato, praesumpcio Machumeti, qui hoc dixit ut dicit Eustachius; praeterea sermo sibi repugnat, facere enim mortalis peccati actum (est) peccare et sic contingeret hominem peccare sine peccato. Dicere quod anima sit sumpta de substantia Dei Manichaeorum haeresis est ut dicit Aug. Manichaeus enim Deum lucis immortalia fecisse de se ipso, haec haeresis tamen ante Manichaeum fuit quorundam philosophorum. Dicere non debere suffragia fieri pro animabus determinatarum personarum nisi illis quibus Deus cupit, contra approbacionem ecclesiae est et canones sanctorum. — Quod dicit confessionem venialium non esse necessariam, verum est sed non dicendum, quia licet non sit necessaria tamen pernutilis est, cum de talibus dicatur quod bonarum mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est sed dispositio ad culpam. Quod dicitur (quod) familiaris fuerit suspectis et haeresi infectis suspicionem generat quod haereticus est pro certo excommunicatus. Dicere quod animus veniat ad hoc quod Deo (non) indigebat, blasphemia est in Deum quo omnis creatura indiget quae aliter in nihilum decideret,

Dicere quod animus super caritatem ascendat cum caritas summum sit et in via et in patria, de haeresi Pelagii est qui in illa perfeccione se posuit, quae haeresis in Nicaena synodo condempnata est. Dicere quod mulier facta sit Deus et haeresis est et blasphemia et est de haeresi Pelagii sicut et antecedens; Pelagius enim dixit: non invideo filio Dei, quia et ego quando volo possum esse filius Dei et Deus; et hoc dicit Aug. de Pelagio. Idem est quod dicitur quod homo possit fieri Deus. Ad idem reducitur quod dicitur quod homo ad talem statum potest pervenire quod Deus in ipso omnia operetur, aliquid enim operis datur naturae et aliquid concupiscentiae sine qua nemo est — — quod autem Deus operetur peccatum blasphemia est. In idem redit quod dicitur quod homo tantum proficiat quod sacerdote non indigeat: solius enim filii Dei est clavibus non indigere, quae sacerdotali officio commissae sunt, et hanc similitudinem Dei praesumpsit. Ad idem redit dicere non debere quaeri consilium a viris litteratis sive de devocione sive de aliis. De eadem praesumpcione Pelagii est qui suum sensum consilio scripturae praeposuit, dicere aliquem quod videat in alio conscientiae secretum contra virtutem evangelii, unde (ubi) dicitur quod nemo novit cogitationes nisi solus Deus. De futuro fine qualis sit, nemo potest scire, dicit Aug. Quod dicitur quod homo non est bonus nisi dimittat Deum propter Deum, similiter de Pelagii stultitia est. Dicere haereticum esse in via recta, de eadem haeresi est quae in hoc omnibus aliis haeresibus convenit. Dicere quod aliquis pervenerit ad hoc quod non possit peccare, similiter est de Pelagii praesumpcione. Dicere aliquem ad hoc devenire posse quod Sanctos non oporteat revereri, Pelagii est. Item quod anima alicujus etiam facientis eadem cum Christo aequetur animae Christi, haeresis Pelagii est, cum gratia Christi sit unionis ad esse quo vere dicetur: hic est homo Deus; gratiae autem aliorum sunt gratiae adoptionis, ut scilicet adoptentur, non ut sit (sint) Deus. Dicere quod homo unitus Deo peccare non possit, tollere est liberum arbitrium ab homine, quod

dicit Aug. esse haeresin. Quod anima Deo unita deificetur, etiam Pelagii est, qui putabat se in Deum transformari. Ad idem redit dicere, quod homo jejuniis et orationibus serviens Deo die ac nocte possit fieri aequalis Deo vel anima fieri divina. Dicere quod homo unitus Deo sit venerandus ut Christi corpus, et blasphemum est et Pelagii haeresis, gratia enim unionis praefertur gratiis adoptionis; unio enim divinitatis ad corpus est immediate sicut et ad animam. In idem redit quod aliquis dicat se Deum in Deum recipere quando recipit sacramentum altaris, non enim ipse est Deus per gratiam adoptionis sicut qui adoptatur vere non est filius. Ad idem est quod aliquis praeferatur et Deo aequetur, Pelagius enim hoc dixit. Dicere quod homo possit in devocione praecellere beatam virginem Pelagii haeresis est eo quod b. Virgo sola excepta sit, quae nunquam motum peccati senserit qui devocionem suam impedire potuerit. Ejusdem haeresis est dicere ad se non pertinere cogitare de parasceve vel de aliis feriis quas celebrat ecclesia. Ejusdem praesumpcionis est dicere: hoc non loquor ego sed spiritus in spiritu. Quod dicitur quod orationes promissas non licet solvere, est mendacium in doctrina veritatis, quod Aug. lib. de mendacio dicit esse perjuriosissimum et est etiam homines ab oratione retrahere. — — Quod dicitur ne secreta verba aliis publicentur suspectum est. Quod dicitur quod homo secundum voluntatem fiat Deus, de haeresi Pelagii est expresse. Quod dicitur quod cum corpore fiat bonus homo (Deus oder Christus) si intelligitur per aequalitatem sanctitatis haeresis Pelagii est; si intelligitur localiter est fatuitas et mendacium. Qui dicit se non comedisse cum comedit, mentitur. Quod dicitur quod homo unitus Deo non habet sanctos revereri, de errore Pelagii est. Quod dicitur: resurrectio non est futura, error est Manichei quem destruit Aug. Quod dicitur quod homo unitus Deo non debet confiteri etiam peccatum mortale de errore Manichei est. Quod dicitur quod homo elevetur cum corpore divino in altari, non posset esse nisi translatus quod fatuum est et error et sapit haeresin Pelagii. Quod

dicitur quod homo unitus Deo licite possit tollere rem alterius, mendacium est in doctrina veritatis. Quod dicitur quod homo unitus Deo non debet jejunare vel orare Pelagii error est. Quod dicitur quod nec angelus sit nec Daemon de antiqua haeresi est Essaeorum. Quod autem dicitur purgatorium et infernus non esse — quod dicit divinitatem separatam esse a corpore Christi, de haeresi est Nestorii et Eutychis et Pauli cujusdam Samothei. Dicere quod homine comedente Deus comedit blasphemia est et haeresis Pelagiana. Dicere quod orationes jejunia confessiones peccatorum impediant bonum hominem, mendacium est in doctrina veritatis. Dicere quod sanguis boni hominis venerandus est ut sanguis Christi, haeresis Pelagii est. Dicere quod licite comedantur tempore jejunii prohibita ab ecclesia ut sunt caseus et ova, haeresis Pelagii et est contra claves ecclesiae. Dicere quod soluta concumbendo cum soluto non plus peccat quam admittendo matrimonialiter convinctum, haeresis est Joviniani, cujus haeresis est a Manichaeis propagata ut dicit Hieron. c. Jovin. Dicere quod puerum ex licito concubitu pariens sine macula sit, est praedicare concupiscentiam maculam non esse, haeresis est cujusdam Juliani qui fuit discipulus Pelagii ut dicit Aug. c. Jul. Pelag. Dicere peccatum non esse peccatum error Pelagii est et mendacium in doctrina veritatis. — Dicere quod ad hoc perveniat homo quod Deus per eum omnia operetur, Pelagii haeresis est.*) In filio Dei et Arrianum est et Pelagianum quia etiam Pelagius Arrianus fuit, ut dicit Aug. Dicere vero spiritum s. esse negociatorem et dicere spiritum s. esse servum vel ministrum Nestorii est haeresis. Dicere quod homo aequetur Patri et transcendat Filium non tantum haeresis Pelagii est sed etiam dyabolicum. — Dicere Christum non doluisse in passione est dicere quod Christus non fuerit homo nisi phantasma et hoc est haeresis Nestorii et Eutychis. Dicere quod angeli non sunt lapsi de coelo contra veritatem evang.

*) Lücke.

est. — Est autem de haeresi Essaeorum. Dicere quod nihil sit peccatum nisi quod reputatur peccatum haeresis Pelagii est. Dicere angelos non esse nisi virtutes haeresis est Essaeorum. Dicere quod hoc quod fit sub*) cingulo a bonis non sit peccatum haeresis est Elyonistae qui fuit discipulus Juliani et Pelagiani. Dicere peccare bonum confitendo sacerdoti, contra veritatem evangelicam est. — Dicere non oportere inclinari corpori Christi eo quod homo Deus sit, Pelagii est. Dicere quod quidquid faciunt homines ex Dei ordinatione faciunt, haeresis est eorum qui dicunt omnia provenire ex necessitate et nihil ex permissione divina, et est error cujusdam Alexandri. Dicere non esse memorandam passionem Christi Domini, et impiissimum est et haereticum, cum nihil ita sit memorandum. — — Quod de morte patris et matris non dolendum nec pro animabus eorum orandum, et inhumanum est et errorem continet Manichaei qui dixit suffragia animabus non prodesse. Dicere bono homini non esse peccatum pejerare et mentiri, cum illi plus peccatum sit quam alii, Pelagii est insania qui impeccabilem dicit hominem. Dicere quod parvum sit beatae Virginis meritum eo quod homo super Deum possit ascendere, blasphemia est et Pelagiana haeresis et dyabolica praesumtio. Non audere dicere id quod reputas apud haereticos, latebras est quaerere propter doctrinae turpitudinem. Dicere quod (homo) admittatur ad amplexum divinitatis et tunc detur potestas faciendi quod vult Pelagianum est. Dicere quod melius est hominem unum ad talem perfectionem (pervenire) quam centum claustra constituere fatuum est et Pelagianum. Dicere quod homo possit transcendere beatae virginis meritum et fieri Deus et Deo non indigere, Pelagii insania est, et quod opus peccati peccatum non sit bono homini, doctrina Pelagii est. Quod angelus vero non cecidisset si bona intentione fecisset id quod fecit haeresis Manichaei est. Dicere quod omnis creatura sit Deus haeresis Alexandri est qui dixit materiam primam et Deum et

*) Gretser: sub angelo.

noym (νοῦν) hoc est mentem esse in substantia; quem postea quidam David de Dynanto secutus est qui temporibus nostris pro hac haeresi de Francia fugatus est et punitus fuisset, si fuisset deprehensus. Dicere hominem Deum esse et ideo non esse tangendum, Pelagiana vesania est. Dicere hominem debere abstinere ab exterioribus et sequi responsa spiritus intra se haeresis est cujusdam, qui fuit de Argentina*), quam Innoc. III. condemnavit. Dicere quod confessio impedit perfectionem est contradicere clavibus ecclesiae, quod de errore Manichaeorum propagatum est. Dicere quod homo translatus in Deum et peccans mortaliter ex peccato adminiculum ad Deum (habet). si per se intelligatur, absurdum est, si per accidens, quia scilicet fortior resurgat, dubium est et simplicibus dicendum non est qui intus per se et per accidens distinguere nesciunt; peccans enim mortaliter per se habet causam cadendi et a Deo recedendi, adminiculum autem ad Deum redeundi non habet nisi per accidens non peccati sed poenitentis, quia scilicet habet materiam majoris doloris. Dicere oscula virorum et mulierum solutorum non esse peccatum, mentiri est in doctrina veritatis. — Dicere quod dyabolus non afficit animam dulcedine, mentiri est in doctrina veritatis. — Dicere hominem liberum esse a X praeceptis, mendacium est in doctrina veritatis. — Dicere quod communicans quando ab homine**) vadit, Deum ad Deum portat, est Pelagii haeresis. Dicere sanguinem hominis aequandum esse sanguini Christi et virtutibus non provehi nec peccatis impediri, Pelagianum est. Dicere quod recepit gratiam majorem quam homo habuit vel habiturus sit, Pelagii insania est et fatuitas. Dicere non esse cogitandum de peccatis commissis, mendacium contra doctrinam veritatis est. — Dicere in Recia (Rhaetia) esse veritatem, haeresis Donati est, qui dixit Deum esse in Africa et non alibi. Dicere quod orationes cedant bonis et non peccatoribus mendacium est contra doctrinae veritatem, cum

*) Gretser: cujusdam Orileni (i. e. Ortliebi).

**) Gretser: ft. ab homine: ad communionem.

Stephanus Paulo primam gratiam impetravit ut dicit Ambr. Dicere quod aliqua latet puerum Jesum cum matre usque ad lassitudinem et defectum*), fatuitas est verberibus potius quam (verbis) corrigenda. Dicere Dominum non laniatum fuisse in passione Manichaei haeresis est. Dicere ancillam vel servum posse dare res Domini sui sine licentia, mendacium est contra doctrinam veritatis et est haeresis Nicolaitarum qui dicebant omnia esse communia. Dicere Beatam (Virginem) digne inclinari homini, blasphemia est et Pelagii haeresis. Dicere quod homo in via sic proficere possit ut impeccabilis (fiat), mendacium in doctrina veritatis. Item quod ita deificetur de salute aliquis quod peccata ei nocere non possint, mendacium est in doctrina veritatis. — Dicere animam esse aeternam cum Deo haeresis Socratis est. Dicere animam esse de substantia Dei haeresis est Manichaei. Dicere quod quinque puerorum (mater) virgo possit esse, Joviniani est haeresis.

Primo dicunt quod quilibet homo quantumcunque peccaverit, possit uno anno praecellere dignitatem et meritum S. Pauli, S. Mariae Magdalenae, S. Joh. Baptistae vel cujuslibet alterius sancti et etiam genitricem Dei vel ipsum Jesum Christum. Item quod nullo modo sit Jesum Christum vulneratum fuisse vel etiam in passione doluisse. Item quod tantum uniri possit Deo, quod de cetero quidquid faciat homo (non) peccet. Item quod non sint angeli nisi tantum virtutes hominum, etiam quod non sint daemones nisi vicia et peccata hominum. Item quod non sit infernus. Item omnis creatura plene sit Deus. Item quod angeli non cecidissent si debito modo cum Lucifero in conspiracione processissent. Item quod homo unitus sicut ipsi uniuntur non teneatur deferre honorem vel reverenciam sanctis vel Dei diem peragere in jejuniorum observanciis et similibus. Item quod unitus Deo audacter possit explere libidinem carnis per qualemcunque modum etiam retrorsum mutuoque sexu. Item quod non sit resurrectio credenda. Item bonum

*) Hier iſt etwas ausgefallen.

hominem non oporteat confiteri peccata sua quamvis magna, sed tantum recitare alteri bono homini, vel coram Deo in secreto cordis sui dicat: ego peccavi. Item quod dicunt se in elevacione Christi vere ibidem levari et quod stando vel surgendo reverentiam exhibeant sibi, hoc faciunt ne scandalizentur homines. Item quod homines impediant et retardent perfeccionem et bonitatem per jejunia, flagellationem, disciplinas, vigilias et alia similia. Item quod homines non debent insistere laboribus sed videre et vacare quam suavis sit Dominus. Item quod orationes non valeant quae fiunt infra opera manualia hominis. Item quod licite et absque peccato et timore possint removere rem alienam invito Domino. Item quod absque peccato in secreto comedant quoties volunt et quidquid habent. Item quod non sit necesse in confessione gesta dicere peccatorum sed sufficere dicunt sic dicere: peccavi. Item quod non debeant revelare viris literatis gratiam quam habent, quia nesciant quid scit non recognoscentes nisi per pellem vitulinam, ipsi vero per experientiam divinam quam sugere se dicunt de dulcedine divina. Item quod non timeant nec doleant, si labantur in peccata qualiacunque, quia Deus praeordinaverit et quod praeordinationem divinam nullus debeat impedire, et quod de malo tantum gaudeant quantum de bono, et quidquid homini evenerit quod Deo praeordinante fiat et sit. Item quod nunquam cogitare debent de passione Christi qui volunt perfecti apud eos fieri. Item quod peccata commissa non debent recogitare cum amaritudine et dolore, similiter dies elapsos in vanitate, quia per talem dolorem gratia ipsorum plenior retardatur. Item quod sanguis boni hominis sicut sunt ipsi vel superfluitates suae si posset etiam credi, ita reverenter deberent venerari sicut in altari corpus et sanguis Jesu Christi. Item quod libertas, mala et quies et commodum corporale faciant locum et inhabitacionem in homine spiritui sancto.

XL.

De Beghardis. Cod. 4201 der Wiener Hofbibliothek.

Nefandi, qui se ipsos nominant fratres de altissima paupertate, dicunt et affirmant se imitari vestigia Christi et tenere evangelium. Item dicunt se nihil habere nec in proprio nec in communi. Et in hoc vitam suam et modum vivendi praeferunt statui apostolorum. Item dicunt quod in vestimentis suis et in rebus aliis, quibus utuntur, non habent proprietatis aut dominii nec aliquis est dominus suarum rerum nisi solus Deus. Item ubi habent domos, reguntur per unum, quem non vocant praelatum vel magistrum seu doctorem neque rectorem, sed servum. Et ille servus de eleemosyna, quae datur eis, ordinat et distribuit inter eos, sicut sibi placet. Item singulis annis pluries et in pluribus locis sub praetextu peregrinationis vel sub pallio capitulorum praedictorum minorum de heremitoriis congregantur et in congregationibus suis per aliquos pancorum clericorum, decem duntaxat vel circa, qui prudentiores inter eos reputantur, regulant, quantum ad victualia et hujusmodi magis convenit servare et viginti circiter faciunt ordinationes secrete ad partem, quas non revelant omnibus, sed aliquibus, quos reputant in secta sua magis confirmatos seu ut verius dicamus obstinatos. Item specialiter faciunt ordinationem, qualiter procedendo per terram se ipsos gerere debeant et qualiter domos suas seu diverticula relinquant et ad aliorum. domus sub specie simulatae sanctitatis vadant et illis . . verba exquisitae seductionis praedicent et proponant. Item quis in eorum latibulis aut conventiculis debeat onera domestica gerere aut praesidere. Et ut illorum vocatur verbis, quis debeat aliorum servus esse. Item in praedictis congregationibus est ut aliquis qui magister reputatur inter eos dicat eis haec verba vel similia: Quis congregavit nos in loco isto? Nam aliae congregationes religiosorum quae sunt in mundo fiunt per Romanam ecclesiam et papam. Sed nec papa nec Romana nunc degens ecclesia nos congregavit.

Nos enim videmus quod clerus ecclesiae Romanae nos persequitur, dispergit pro posse et non congregat. Quare spiritus Dei nos congregat et sumus a spiritu sancto congregati. Item dicunt contra religiosos. quod religiosi non sunt veri imitatores J. Christi et observatores evangelicae paupertatis sicut ipsi. Item notorium est, quod ipsi Begardi sunt a communi conversatione hominum, vita, moribus, sermone ac laboribus districti seu differentes. Item quando primo assumunt habitum wegardicum, modus eorum talis est, quod iste, qui vult assumere habitum venit ad praesentiam aliorum et genu flexo petit admitti ad societatem ipsorum, dicens quod desideret esse pauper et ut de manu illius, qui major reputatur inter eos, recipiat mantellum seu caphardum vel alium habitum, qui ei datur. Et ipse qui habitum recipit si aliquid habet quod suum sit, voluptati illius et aliorum exponit. Talis est communiter modus eorum, licet aliqui motu proprio ipsum habitum per se ipsos assumant, qui societati eorum postea conjunguntur. Item dicunt et affirmant, quod ipsi non tenentur (nec) debent alicui credere contra conscientiam suam nec homini*) mortali nec sanctis paradisi. Item quod ipsi non possunt excommunicari a papa seu a quocunque alio praelato contra conscientiam suam. Item quod ipsi non tenentur obedire alicui praelato ecclesiae constra statum illum, quem assumserunt et secundum quem vivunt, dicentes quod contra evangelium nec papae nec alii debent obedire. Item dicunt, si excommunicationis sententia feratur in ipsos, nisi statum suum dimittant, talis excommunicatio nec tenenda nec timenda est. In praedictis et pluribus aliis eorum verbis de facto apparet, quod ipsi Beghardi claves ecclesiae et ecclesiae jurisdictionem contemnunt. Item dicunt quod judici ecclesiae clericali vel saeculari (non) est revelandum illud de quo aliquis sacramentaliter est confessus, etiamsi sit publicum et notorium. Nec est intelligendum quod ipsi dicunt, quod confessor non debet illud quod audit in con-

*) Undeutlich.

fessione revelare, quantumcunque sit notorium, etiamsi fuerit in judicio super hoc requisitus. Item dicunt et affirmant quod nullus judex saecularis vel ecclesiasticus potest aliquem compellere (ad) recognoscendum tale factum, quantumcunque sit publicum et notorium, et quod si ad hoc recognoscendum compellerent aliquem, peccarent mortaliter. Item plures ipsorum dicunt quod non est occidendum in quocunque casu etiam pro justitia contra latrones, homicidas, haereticos et alios maleficos exequenda . . Item quidam dicunt decretum, quod haereticus est qui aliter sacram scripturam exponit, quam Spiritus sanctus efflagitat. Ipsi exponunt verba evangelii de juramento contra glossas ordinarias et expositiones sanctorum doctorum, quorum dicta ab ecclesia sunt approbata. Item quando ipsi examinantur, nullo modo volunt complices revelare, dicentes quod ipsi crederent se peccare mortaliter, si ipsi dicerent aliquid, unde alius aliquid mali postea pateretur. Item ex ista mala radice affirmant, quod pro quacunque veritate affirmanda non debent jurare supra sancta Dei evangelia manu tacta allegantes illud evangelii. Item si excommunicationis sententia contra eos proferatur in scriptis, nisi jurent super evangelia de veritate dicenda, unde non reputant se excommunicatos nec obediunt, sed obedire contemnunt. Item si contingat eos jurare, aut ipsi ficte jurant sub aliqua intentione decipiendi judicem, qui ipsos jurare compellit, aut si ipsi veraciter jurant, praestituunt sibi certum numerum juramentorum puta tria vel quatuor et tunc ad interrogationes respondent cum mendaciis, nec de talibus mendaciis conscientiam faciunt, sed ultra illum numerum praestitutum nullo modo jurant nisi ficte vel simulate. Item licet ipsi videantur pluries sacramentaliter confiteri (unſeferlich) de praedictis omnibus non confitentur, quum in his non credunt se peccare, sicut apparuit manifeste in Beghardis nuper in Metis combustis. Item si contingat quod cum aliqua instantia in judicio ut jurent super evangelia de veritate dicenda, respondent quod non jurabunt nisi sicut Christus juravit: Amen, amen dico vobis, vel: vere, vere dico, vel: in veri-

tate dico. Item licet isti praeviderint se in articulo mortis . . . nunquam confiteri voluerunt dato quod ad hoc . . . . et oblata eis copia confessionis. Item in articulo mortis non fuit aliquis inter ipsos, qui beatam Virginem vel Sanctos aliquos precibus invocaret aut qui circumstantes ut pro ipsis orarent aliquatenus imploraret, per quod probaverunt manifeste se in sua malitia obstinatos.

Isti articuli inventi fuerunt in examinatione Beghardorum haereticorum combustorum in Metis per D. Episcopum Metensem et fratrem Garinum inquisitorem haereticae pravitatis. Anno 1334.

XLI.

Aus einer Handschrift der Frankfurter Stadtbibliothek. (15tes Jahrh.)

Ex hoc sequitur tales haereticos errare qui nec missi nec in sacerdotes consecrati dicunt se habere potestatem consecrandi et absolvendi, sacramenta conferendi propter eorum jactantiam et fictam sanctitatem, sicut aliqui haeretici in Pigwia damnati et judicio seculari traditi dixerunt, quemque hominem sanctum sive virum sive mulierem talem habere potestatem et quandocunque dicerent ad hominem: tu es absolutus a peccatis, tunc ille in veritate deberet se tenere pro absoluto nec esse necessarium currere ad sacerdotem pro absolutione.

Nunc igitur dubio hoc discusso ulterius ad clariorem volpium notitiam procedamus et eas in foveis astutiae comprehendamus, et ne ignorantia taedium generet, ipsas nominatim describamus. Testante Clementina „Ad nostrum“ de haereticis et Clementina: „Cum. de quibusdam,“ sunt in Alemanniae partibus utriusque sexus homines natura sed volpes vel partes volpium astutia qui Beckardi et Beginae volgariter appellantur quorum errores et articuli non solum ab ecclesia reprobati et tanquam haeretici reputati, sed etiam sectae perpetuo anathemate condemnatae sectae

s. sequelae vel sectae divisiones quibus ut haereticos insectantur vel se a communi hominum fidelium observatione per speciales ritus et vivendi modos sequestrant et segregant, tenentes modum vivendi singularem in convivendo, cohabitando, incedendo, loquendo, vestiendo, quasi novum ordinem adinvenientes et contra suam antiquam religionem novam non approbatam sed potius sectam reprobatam sibi pertinaciter in contemtum S. M. ecclesiae assumentes et multos simplices eidem sectae suis fraudulentis deceptionibus incorporantes. Hos ut dicit Bonif. P. IX. in quadam constitutione nova contra tales emissa, quae incipit: „Ad perpet. rei memoriam," populus vulgariter Beckardos vel Lulhardos et Beginas appellat, ipsi autem seipsos pauperes Fratricellos vel pauperes puerulos seu Swestriones vocant, habentes Superiores quos procuratores vel Martas vocant, sub quorum habitu et ritu vivendi ante centum annos usque in praesentiarum, ut idem Papa dicit, semper haereses et haeretici latitaverunt, et in diversis civitatibus pertinaces reperti judicio seculari traditi sunt et concremati; contra quos plures canones et constitutiones tam a R. Pontificibus quam a Karolo clarae memoriae IVto R. Imp. editae sunt, qui pro officio Inquisitorum commissiones multas cum diversis munimentis ediderunt et inquisitoribus exterminare commiserunt, quibus omnibus non obstantibus zizania haec de die in diem crescit nec exstirpatur, forte figurati per Jebuseos quos filii Israel exterminare non potuerunt. Sed tamen sciendum est quod in Alemanniae partibus etiam in domibus paternis habitantes de paterna haereditate et manuum laboribus viventes nullam singularitatem nec ritum vel modum vivendi praetendentes, nisi quod solum peplatae quasi similiter praedictis incedunt, nec in conventibus habitantes nec statutis ecclesiae in aliquo rebellizantes, plebanis per omnia obedientes et in castitate mentis et corporis viventes Beginae vocantur. Similiter et viri aliqui devoti griseas vestes portantes Beckhardi nominantur. Sunt et alii utriusque sexus certam regulam sicut tertiam vel aliam S. Francisci assumentes, nullum praedictorum in se haben-

tes nec condemnatis Beckardis et Beginis se conformantes de quibus ad praesens non loquor, quia non credo tales in Clementinis praedictis comprehensas. Loquor ergo de his utriusque sexus hominibus, qui licet nullam approbatam religionem assumant vel assumere velint, ut magis suae vacent propriae voluntati et minus ad obedientiam et disciplinam astringantur, uniformitatem tenent in vestitu, congregationem conventualem in convictu faciunt, superioribus votum in introitu, a quibus et raduntur, vestibus unicoloribus vestiuntur, peplis singularibus velantur, crucibus signantur, cingulis latentibus subtus stringuntur ad continentiam et paupertatem in manus superioris ejusdem sectae promissam compelluntur, habentes singularem incessum ut bini, terni, ut grues vel gregatim, ut semper alii praecedant, alii linealiter insequantur; et idem similiter observant mendicando ante fores ecclesiarum vel intus genua flectendo vel alias in sedibus stando. Habent etiam quasi linguagium speciale, utentes aliquibus terminis et signis ut magis cognoscantur, utpote quia ubi alii dicunt se peccasse, illi dicunt, mea culpa; ubi alii dicunt honor Deo, ipsi dicunt: Deo sit laus; ubi alii dicunt: ego sum pauper homo, dicunt: ego sum pauper puer; ubi alii dicunt: habemus temptationes, ipsi dicunt: habemus pressuram; ubi alii dicunt, se scandalizari, ipsi dicunt, se imaginem rei suscipere. Aliqui etiam illorum nonnisi impersonaliter loquuntur, ut ubi nos dicimus: dico tibi, ipsi dicunt: dicitur tibi, ubi nos dicimus: habeo notitiam illius, illi dicunt: noscitur imago ejus, et ita de multis aliis, figurati per filios Judaeorum transgredientes legem Domini in receptione mulierum alienigenarum, qui ex media parte loquebantur exotice et nesciebant loqui judaice, imo maledicti, (Nehem. ult.). Dicunt se sequi vitam Christi et apostolorum et se esse ecclesiam, nullos sanctos tenent nisi suae sectae homines. Duodecim fuerunt apostoli et omnes peccaverunt et a Domino fugierunt, inter quos etiam unus dyabolus repertus est; duodecim filii Jacob et solum unus probus, et illi in tanto numero se sanctos pronunciant, alios vel judicant, vel ipsis detrahunt, vel grossam creatu-

ram dicunt, vel immundam vitam gerere fatentur. Magistros s. theologiae et literatos viros et maxime praedicatores veritatis sectam eorum non laudantes persequuntur et odiunt et, quantumcunque literati sint, eis plenarie vitam suam revelare nolunt, et si bene informati, doctrinam non sequuntur. Dicunt se pauperes bonos pueros, fratres vel fratricellos, Sorores vel Swestriones, castos et crucis Christi imitatores et per consequens vitam eorum omni statui ecclesiae praeferendam; mendicitatem requirunt ad statum perfectionis, et, licet rusticani, labores corporales subterfugiunt, dicentes se volatilia coeli qui neque laborant neque nent, et si non coarctarentur aliqualiter per praedicatores ad laborandum inducentes, nihil corporaliter laborarent. Nunc autem laborare incipiunt in his quae non multum gravant, et sibi solis vel fautoribus vel fautricibus eorum, a quibus magis emolumentum sperant, buttas faciunt et tunicas aliquas consuunt, prohibentes stricte ne aliquis simpliciter de artificio vivat utpote ne sutor aliquis calceos faciat vel sartor sarciat, et ita de aliis. Et quia ut dixi se sanctos fatentur mandatorum Dei observatores, excommunicationes quascunque non curant, dicentes sanctos homines non posse excommunicari et ad hoc astruendum dicunt: Judaei Christum etiam extra synagogas fecerunt, non autem excommunicare potuerunt. Ex eodem fundamento habitacula sua domos Dei nominant, nec sufficit eis una crux Christi, sed pluribus crucibus ad visum hominum signant, ut magis crucis Christi imitatores judicentur. Ex eodem fundamento pluries communicant et ad communionem omnes dispositos vel indispositos in diebus dominicis arctant. Et si essent volentes eis ministrare, aliqui et aliquae dignos se reputarent omni die ad communicandum. Et licet pluries communicent, tamen in deportatione corporis Christi ad domus infirmorum, licet subsequentibus ecclesia Rom. plures indulgentias ad hoc dederit, minime cum aliis fidelibus sacerdotem associant, sed medio tempore meliora facere affirmant, et nec corpori Christi reverentiam faciunt nec indulgentias curant. Certum est quod aliqui in elevatione corporis

Christi capucia non totaliter sed solum detectis frontibus deponunt, aliqui sola labia moventes nec se inclinant, nec corpus Christi adorant. Cognovi aliquos ejusdem sectae homines qui post consecrationem a sacerdote secundum formam ecclesiae factam dixerunt, se non credere esse verum corpus Christi sub speciebus panis, sed quandam occultam satanitatem.*) Alii sacerdotem in mortali constitutum posse consecrare negabant. Indulgentias non visitant nisi ad concilia congreganda vel eleemosynas congregandas vel ad sectam dilatandam. In mendicando similiter tenent singularitatem, ut grues incedunt, voces altiores et bassiores, grossiores et graciliores secundum sub et supra formant, et aliqui non ad domos sed in plateis mendicant, per medium platearum incedentes panem propter Deum petunt, nec modum aliorum pauperum sequuntur. Nunquam in honorem b. Virginis et aliorum sanctorum vel s. crucis etiam in festivitatibus eorundem eleemosynas petunt. Alios pauperes quos elvange (sic) pauperes vocant, utpote coecos, claudos, leprosos, surdos, incarceratos et confractos penitus abhominantur, nec cum eis eleemosynas dividunt, nec hospitantur pauperes, at suae sectae quos sanctos reputant advenientes cum gaudio suscipiunt, pedes lavant, hospitantur, et ante eos geniculantur. Sacerdotes suae sectae, quos raro vidi sapientes, sed simplicitatem asininam habentes, stolidos et excerebratos, hebetes et quasi semifuriosos, minus sanctos ceteris fratribus reputant, et si qui ex eis sacerdotes fiunt, dicunt, conditionem eorum multum deterioratam. Et quia volpes in absconditis latent quia volpes foveas habent, licet aliquando in publicum egrediantur, ut simulantes se mortuos oves capiant vel aliquando lepores et cuniculos, timidos et simplices homines commendant ut suae sectae incorporent, ideo de aliquibus occultis latibulis eorum nunc aliqua in medium deducam, ut cognitis vestigiis volpes magis confundantur, capiantur et convincantur. Testante namque beato Bernardo sermone 67. super Cantica, cum proditur dolus,

*) Undeutlich.

cum fraus aperitur, cum falsitas convincitur, rectissime volpis dicitur capta, quae vineam Domini demoliebatur. Sufficit ergo si capiantur, si prodas et deducas in medium, quippe quibus apparere perire est secundum Bernardum. Experto ergo crede Ruperto. Assumentes fratricellos aut sorores ut verbis earum utar, ut gyrovagi mare et aridam circumeuntes promissionibus et muneribus et blanditiis pueros parvulos utriusque sexus pejores spoliatoribus rerum sibi attrahunt, et parentibus sine scitu et voluntate ut fures qui odiunt lucem secreto abstrahunt et secum per longa terrarum spatia ad suas domos, quas conventuales vocant vel unionem, inducunt et sectae suae incorporant et illud maxime celant. Item qualiter sectam ingredi volentes tempora probationis habere secundum canones non admittunt, radunt, induunt, et quibus promissionibus astringunt, secretum tenent; qualiter excedens in secta coram procuratore vel Martha flexis genibus, astantibus aliis de secta, excessus confitetur et pro angustia quasi sudat, et postea ab omnibus contemnitur, et aliquando sine spe reconciliationis expellitur vel celatur. Item qualiter prima eorum doctrina, ut si quis ingredientem haereticum vocet, quod patiatur et non advertet. Item qualiter voluntatem frangere doceant, de novo ingredientes tam gravi jugo onerent sicut diu in secta conversatos, et abominabilia humano victui praebeant ad comedendum vel potandum, ut discant frangere voluntatem, verbi gratia ut aquam etiam vermiculosam bibat, carnem putridam comedat, ex quibus homo de facili intoxicaretur et per consequens ipsi homicidae efficerentur. In eadem etiam secta multi uxorati dimissis uxoribus, multi moniales dimissis disciplinis claustralibus, multae corruptae reputatae pro virginibus, multi homicidae, fures et latrones proscripti annuatim pauperibus conf. . . *); multi etiam et multae ab inquisitoribus in articulis hereticalibus inventi qui hanc sectam exierunt et abjuraverant, denuo ibidem admittuntur et sectam reingrediuntur, ut ventrem sine labore

*) Unleserlich.

repleant et pauperum eleemosynas tollant. Scio quod in aliquibus eorum conventibus neminem uti pane et aqua jejunando etiam in 6ta feria permittunt, cogentes etiam ad ova et lacticinia comedenda. Comperi etiam quod allegantes Pauli apostoli: „et omnia quae vobis apponunt manducate, nolite interrogare propter conscientiam“, etiam carnibus eis datis in diebus, quibus ecclesia et consuetudo terrarum communiter a talibus abstinet, comedere non verentur. Scio quia secrete confiteri docent, nunquam apponentes: Confiteor Deo omnipotenti, b. V. Mariae et omnibus sanctis et vobis, quasi nihil de auctoritate sacerdotum et sanctorum suffragio tenentes, sed simpliciter dicunt: audite culpam meam propter Deum, do me reum Deo. Nunquam observantias singulares et secreta praedicta etiam confessori dicunt, qui si observantias praedictas inhiberet, nullatenus consentirent, sed deriderent. Ubicunque noscunt praedicatorem veritatis, omnibus sectae sodalibus inhibent, ne tali confiteantur, maxime si eos errare asserit, ut tanquam volpes non veniant ad lucem, ut manifestentur opera eorum. In anhelitu defectuosum non sustinent. Capitula habent, superiores se habere abnegant, etiam juramento astricti, credentes se non male facere quod ecclesiam decipiant et ipsi perjurent. Nudi quandoque orant aliqui, etiam nudo capite nudis pedibus barbati incedunt. Agitati per Romanas et apostolicas constitutiones et excommunicationes se Beckardos vel Beginas non esse affirmant, nec aliquibus erroribus implicati, et ne eleemosynas perdant, se in omnibus obedientes pronunciant. Secreto etiam collectas capiunt, superiores a singulis eorum conventibus et a fautoribus et fautricibus mutuantur, ut seculares potestates corrumpant, et bullas in sui defensionem procurant. Inquisitores et accusatores et verae fidei zelatores semper eos persequi fatentes, ut Christum Judaei persequebantur, quos vitam suam sanctam ignorare protestantur, nec tamen eis manifestare conantur. Nunc etiam more religiosorum terminos habere incipiunt; in singulis villis vel civitatibus parvulis decimatorem*) vel

*) Unsicher.

agapetham ponunt quem postea populus inclusum vel inclusam vocat, licet provinciam circumeat, ut eleemosynas religiosorum clericorum, peregrinorum morte decedentium et aliorum pauperum tollat et conventui beckardito apportet.

Aliqui etiam in tali habitu quem apparatum vocant mulieribus commorantur, Beginis familiares efficiuntur. Quae per tales in occulto fiunt turpe est dicere et quidem proch pudor dicam. Repertum est quod inter eos viri et mulieres delicatis cibariis in domibus divitum ingurgitati, et vino, in quo luxuria est, contra dictum apostoli inebriati (in) passiones ignominiae incidunt, immutantes cursum naturalem in eum qui est contra naturam, in desideriis carnis invicem exardescentes masculi in masculos, feminae in feminas turpitudinem operantur, et quia se sapientes dicunt, stulti fiunt, justa Dei permissione qui castitatem foverunt sodomiticis peccatis obruuntur. Haec et his similia operantur, pleraque alia observant singularia, et suis propriis observantiis utuntur. Non sufficit eis doctrina, vita et exempla sanctorum, nec disciplina ordinum, quin observantias singulares inter se habeant, ut Judaei observantiis legalibus utuntur, propter quod merito ab ecclesia sancta quasi caudatae volpes de vinea domini expelluntur, anathematizantur, excommunicantur et reprobantur, et pertinaces in suo spiritu post primam et secundam monitionem devitantur, et quia subversi sunt, et corrigi et emendari nolunt, etiam judicio seculari traduntur et tanquam partes volpium in manus gladii temporalis traduntur.

Et quia ut praemisimus nunc aliqua quae in publico per tales fiunt et aliqua quae in occulto in latebris suis peragunt enunciamus, quod ut attente perspicienti patere potest et subtiliter indaganti vel religionem et sanctitatem fictam simulant, vel rete eleemosynarum dationi et captioni texunt vel haeretica et venenosa, falsa vel erronea vel alias abominacione digna existunt, sicut etiam volpes has conditiones in se habere quod se mortuos simulant, ut aves simplices homines capiant, foveas avaritiae habent, quia

volpes foveas habent ad quas rapta et abstracta aliis pauperibus important, eleemosynas miserabilium personarum rapiendo et suis conventibus apportando, quod etiam ore et ano quasi foetorem abominabilem emittunt, et semper a veris viis per devia currere nituntur. Ideo restat nunc aliqua talium scriptura sancta refellere etc.

Semel examinando Beginas fatebantur, se nocturno tempore, ubi multa earum in conventu fuerant, pluries nude orasse, credentes se Deo servitium exhibuisse.

Nunc ad finem operis accelerando, quia tales de quibus locuti sumus, nullis erroribus condemnatis Beckardorum et Beginarum se involutos dicunt, et per consequens injuriose et quasi propter justitiam se talibus nominibus suspectos nominari, reputantes se ex hoc beatiores, juxta id: beati qui persec. patiuntur, ideo aliquos errores damnatos ab ecclesia tangam et eos haereticos aliqualiter in his imitari ostendam, ut appareat eos esse partes volpium, i. e. imitatores haereticorum, quasi caudis volpibus alligati et per consequens cum volpibus de vinea Domini expellendi, ad quod ostendendum Clementinam „ad nostrum“ inspiciamus, in qua aliqui articuli Beckardorum et Beginarum cum tota secta illa ab ecclesia condemnantur et hereticales reputantur. — — Nunc caudas volpium considera et si non volpes tamen partes volpium habere comprobabis, i. e. si haeretici comprobari propter astutiam et vestigiorum absconsionem non possunt, tamen haeresim sapere et vestigia sequi non abhorrent, et per consequens partes volpium erunt. Dic quaeso, cur se perfectissimum statum in ecclesia habere fatentur et multos inter eos reperiri qui mundum non caperent ut mortaliter peccarent et unicum praeceptum Domini non adimplerent, nisi quia tales in tanta sunt perfectione, quod quasi impeccabiles reddantur, et per consequens postremo primo haereticorum articulo quasi caudatim adhaerere comprobantur? Dic mihi, quomodo scire poteris, aliquem unum praeceptum non transgredi, cum nullum praeceptum absque caritate possit adimpleri? ubi caritatem quae in corde latitat, vides, cum solus Deus cor intueatur: cum tu

de te nescias an amore vel odio dignus sis, quomodo de alio tibi constare affirmas? Compertum est quod aliquae Beginae unam inter se Mariam nominabant, ante quam in gradu geniculabantur, quam in gradu perfecto constitutam dicebant; sic et in silvis aliquando in tali apparencia latitant, qui se quasi adorare et coram eis geniculari ceteros tanquam imperfectos permittunt. Dic iterum 2do: cur in conventibus aliquibus aliqui in sexta feria ex devotione quam ad passionem Christi specialiter habent, etiam fortes existentes in pane et aqua jejunare non permittuntur, sed a superioribus quos provisores vel Martas vocant, prohibentur, et interdum ad ea, quae populus fidelis ob honorem sanctorum jejunando vitat, edere compelluntur, ut ova vel carnes, ova in sexta feria, carnes in sabbato, et quod pejus est aliis diebus jejunabant. Omnia quae dantur et apponuntur dicunt manducanda, nec propter conscientiam aliquid interrogandum. Nonne hoc est dicere quod ad talem statum perfectionis venerint, quod sensualitas ita perfecte sit rationi et spiritui subjecta, quod corpori possint concedere quidquid placet, ut dicit Clementina „ad nostrum.“ Aliqui etiam non ore sed corde orandum pronunciant et ideo sola ora aperiunt aliis in ecclesiis orantibus. Ecce quia iterum secundo articulo aliqualiter sunt alligati.

Dic 3° quare toties ab ecclesia correcti excommunicati damnati et reprobati sicut patet in Clem. productis et aliis pluribus constitutionibus contra talem sectam emissis et piis praedicationibus moniti et aliquoties judicialiter condemnati et concremati et tamen adhuc ecclesiam non audiunt, inobedientes existunt, statuta, decreta et praecepta ecclesiae pertinaciter contemnunt et a praedicta secta non recedunt, nisi quia se spiritu liberatos ab obedientia et praeceptis ecclesiae dicunt, et se nec constitutionibus nec excommunicationibus alligari, quia perfecti et sancti sunt, qui excommunicari non possunt, et per consequens etiam 3° articulo sunt infecti.

Dic 4° cur laboratores, artifices et conjugatos grossos et imperfectos reputant, qui cum laboribus suis se et pueros

et pauperes nutriunt, ecclesiae et membris subveniunt, onera aliorum portant.

XLII.

Bibl. Casanat. A. IV. 49. Saec. XIV. (Handbuch eines Inquisitors.)

Isti sunt errores illorum, qui sunt de secta spiritus libertatis.

Quod damnatio aeterna non est, sed quod animae purgantur in vita ista per diversas poenalitates, et quod aliquae non bene purgatae hic purgantur in alia vita, sicut divina sapientia disponit.

Quod nullum est peccatum seu vitium, sed quod ea quae dicuntur peccata vel culpae sunt purgationes animarum datae a Deo. Et quod Deus non offenditur ab aliqua creatura, sed omnia eveniunt, sicut Deus disponit.

Quod omnia vitia et peccata sunt necessaria pro animarum utilitate, sicut gratiae et virtutes et bonae operationes, et quod etiam bene animae proficiunt per peccata sicut per virtutes, imo aliquando plus. Quod ideo anima non debet dolere de aliqua re vel culpa sua vel alterius.

Quod omnia fiunt a Deo. Item quod liberum arbitrium nihil potest vel agit, nec in bono nec in malo, nisi sicut ducitur a Deo. Item quod opera poenitentiae non sunt necessaria nec utilia nisi in perfectis, similiter etiam sacramenta ecclesiae praeter sacramentum corporis Domini. Item daemones appellant quascunque passiones et vitia sive corporalia sive spiritualia, quibus affliguntur. Item quod anima purgata in quibuscunque delectationibus spiritualibus (vel) corporalibus sive carnalibus ita Deum praesentem habet, sicut in virtutibus et operibus bonis, et illa quae magis delectant sensus corporales, videntur magis Deum repraesentare. Item passio Christi non fuit necessaria ad damnationem aeternam vitandam, sed ad provocandum in bono. Item quod homines

in hac via vel secta perfecti sunt pares Christo, nec Deus assumpsit plus illum hominem, quam alios perfectos, sed tamen Christus verus Deus.

XLIII.

Spiritualen und Fraticellen.

Chronicon de persecutionibus Fratrum minorum. (Codex der Laurentian. Bibliothek in Florenz. pl. XX. c. 7.)

De legenda antiqua Beati Francisci.

Vitam pauperis et humilis viri Dei Francisci trium ordinum fundatoris quatuor solemnes personae scripserunt, fratres videlicet scientia et sanctitate praeclari, Johannes et Thomas de Celano, frater Bonaventura unus post Beatum Franciscum Generalis Minister et vir mirae simplicitatis et sanctitatis, frater Leo, ejusdem sancti Francisci socius. Has IV descriptiones seu historias qui legerit et perspexerit diligenter, ex his quae in eis narrantur ipsius seraphici viri vocationem, conversationem, sanctitatem, innocentiam, vitam et intentionem ejus primam et ultimam poterit ex parte cognoscere. Et quomodo Christus singulariter dilexerit eum et eidem benignus et familiaris exstiterit, mandans, illuminans et informans eum, et post se trahens ad suae perfectionis sequenda vestigia, apparensque ei veluti cruci confixus eum in se ipsum taliter transformavit, quod ex tunc non sibi sed totus Christo crucifixus vixit. Erat enim ei Christus substantia, motus, sensus, lumen et vita et memoriae ipsius, intellectui et affectui igneo impressus, cruciformiter unitus et arcane invisceratus et totum, quod erat, totum quod desiderabat, cogitabat, loquebatur et faciebat, accipiebat a Christo, et secundum ipsum et propter ipsum vigilanter, humiliter sancteque disponebat et perseveranter implebat. Invenit eum Christus Jesus fidelem, obedientem, gratum, simplicem, rectum, humilem juxta cor suum et perfectionem primam et ultimam viae suae evangelicae et ma-

tris suae et apostolorum suorum et evangelistarum revelavit ei.

Et aperuit aurem ejus et erudivit eum in manu forti operum coelestium incorruptibilium et perfectorum, et posuit se ipsum in corde, in ore et brachio suo. Et dixit ei: accipe volumen de manu mea, legem gratiae et humilitatis, paupertatis, pietatis, caritatis et pacis, formam vivendi, quam tenui cum discipulis meis, regulam vivificam ad vitam immaculatam et gratiae plenitudinem et gloriae animae acquisitionem certam et passionem active et intellectualiter dirigentem et sursum ad coelestia et divina ferentem. Hanc substantialiter creavi in sanctis ab initio et exhibui ut perfectionis formam, et nudus ineffabiliter de virgine nascens pannis involutus paupertatis et reclinatus in praesepio humilitatis eo, quod habere noluerim locum in diversorio, ut paupertatem regni coelorum viam certam esse in mysterio ostenderem et humiles paupertatis amatores et servatores haeredes et reges ejusdem regni institutos a patre meo ab aeterno operibus et sermonibus confirmarem. Angelum fortem Heliam in spiritu et virtute prophetam et ostensorem adventus et incarnationis meae, Johannem Baptistam ante faciem meam misi parare vias meas et rectas facere semitas, praedicare poenitentiam et scientiam salutis dare in remissionem peccatorum operibus et sermone, ut omnes per ipsum in me crederent et ad credendum, amandum et servandum pauperis, mitis et humilis meae conversationis et vitae meae divinissimae perfectionem omnes post me venire volentes directorem, introductorem et patronum ex tunc usque in finem saeculi pium (primum) ac certissimum haberent. Hujus rei gratia tribuens post me venire eligentibus exitum de tenebris erroris et damnatione aeternae confusionis et mortis et introitum in regnum Dei, renatus ex aqua et spiritu Sancto, ductus sum in desertum; jejunio, vigiliis et oratione tempus XL dierum exemplariter consecravi, per hoc docens tempus, vitam baptizatorum integre et perfecte divino cultui debere consecrari. Et sic me sequentes virtute meae mortis principem, rectorem mundi et tenebrarum

harum vincerent, et mortui mundo et omnibus quae sunt mundi viverent soli Deo, quae sursum sunt quaerentes et sapientes, non quae super terram. Praedicavi poenitentiam et regnum coelorum quasi cursor levis tunica una et vili opertus pallio, reserans vias vitae discipulis meis una cum ipsis absque pecunia, calceamentis et sacculo et pera incedens, tecto carens, qui fabricavi coelos, ubi caput reclinarem non habui, ut mundum et omnia, quae sunt mundi quasi detrimentum et stercora arbitranda et spernenda ostenderem imitatoribus meis. Pernoctabam vigil in oratione Dei, diebus docens in synagogis et in templo cupiditatis, avaritiae, hypocrisis et mendacii et superbiae et malignitatis mundi odium, et ut me Messiam patribus promissum, Deum humanatum, Hemanuel cognoscerent et susciperent in salutem. Virtute propria languores cunctos et infirmitates curans, pellebam daemones, mundabam leprosos, suscitabam mortuos, peccata laxabam; quos elegi de mundo gratia et sermone meo et exemplo pauperis et humilis sanctae vitae meae, supermundanos feci, et non perdidi ex eis quemquam, sed manserunt mecum in tentationibus meis et ego sanctificavi eos, et de mundo exiens commendavi Patri, quod mei erant et non de mundo, sed ad exemplum meum supermundane victuri erant, et in omnem terram Judaeis et gentibus mundi odium et contemptum propter nomen meum et fidei meae confessionem praedicaturi et regni mei aeternam gloriam et honorem, qui non est de hoc mundo. Confirmavi praedicationem meam in sanguine meo per mortem crucis, nudus extra portam in medio latronum pendens, derelictus in opprobriis et doloribus amarissimis innumeris et immensis, ut superbiis, vanitatibus et carnalitatibus depravatos et duplicis mortis debito damnatos sanguinis mei pretio et mortis meae virtute redemptos suscitarem et dolorum amatores se ipsos mundum et diabolum superantes ut, quemadmodum ego ad honorem et gloriam patris mei animam meam posui pro hominum salute, ita per me redempti ad gloriam et honorem mei nominis animam suam ponerent crucis et mortis meae medium tenentes, quo mundus cum

principe mortis vincitur et in praesenti gratia et in futuro gloria possidetur; configurari morti meae et meis doloribus et passionibus consociari intelligerent, et initium apertionis libri vitae et in eodem inscriptionem et infinitae caritatis meae communicationem ostium introducens ad claritatem sapientiae meae et clavem aperientem arcanos fulgores operum, sermonum, praeceptorum, consiliorum et sacramentorum meorum et promissionum et beatitudinis gloriae meae certam revelationem, per quam filii lucis et gratiae meae segregantur a filiis tenebrarum et peccati, et cives regni a civibus Babylonis et inferni.

Cognovit igitur et accepit hic — — Franciscus cum maximo sanctorum omnium Paulo non ab hominibus neque per hominem, sed per revelationem Jesu Christi sibi apparentis et in eo seraphice habitantis et cruciformiter loquentis omnia quasi regula et testamento et suis epistolis ad admonitionem scripsit, et apertis, brevibus et fidelibus operibus praedicavit et perfecte implevit. Tantus enim fuit Sancti Spiritus igne succensus, quum Christus Jesus apparuit ei veluti crucifixus quod ad exemplum Jesu Christi redemptoris, qui nudus in latronum medio in cruce pependit et mortuus est, fixe proposuit, ut nudus et a saeculo segregatus ab hominibus cunctis ignotus, secundum quod de Maria Magdalena et de pluribus aliis loquitur sanctis, usque ad mortem Christo servire, vel pro fidei praedicatione et Christi Jesu testimonio contra Saracenos aut alios infideles duris quibuscunque suppliciis et martyriis se offerre, qui super sua directione devotus precibus et flammantibus desideriis ad Christum conversus postulabat illuminari et certificari ab eo, a quo omne bonum et omne donum gratiae omnibus datur et sine quo nihil Deo gratum potest impleri. Cui Christus Jesus, salvator noster apparens dixit: Francisce, sequere me et paupertatis et humilitatis meae adhaere vestigiis. Configurari enim et assimilari mihi sensibiliter, intellectualiter et effectualiter est omnibus meae promissionis et consummationis gratiae et gloriae finis. Nam si adhaerebis mihi ex toto corde tuo et ex tota

anima tua et ex tota mente tua et ex omnibus viribus tuis, ita ut omnis cogitatio tua in me et de me sit, et omnia verba tua ex me, pro me, et coram me sint, et omnia opera tua propter me et ad mei nominis honorem et gloriam semper fient, eris servus meus et ego ero tecum et loquar in ore tuo et qui te audierit, me audiet, et qui te receperit, me recipiet, et qui benedixerit tibi, erit benedictus et qui maledixerit tibi, maledictus erit.

Quomodo Fratres Minores debent Christo esse similes.

Tu vero et omnes fratres tui, quos ego dabo tibi ad similitudinem meam tanquam advenae et peregrini mundo mortui viventes, et in paupertate et in ruditate crucis meae funda te ipsum et regulam et vitam tuam, quia mea sub omnium divitiarum communicabilium gratia et gloria est in paupertate fundata et collocata et infinita omnium bonorum meorum beata fruitio in verae humilitatis meae tensione possidetur. Immensa enim est humilitatis altitudo et in veris paupertatis et humilitatis amatoribus et possessoribus aspectus jucunditatis meae et complacentiae meae requies et habitatio. Igitur Minorum Religio fraternitatis tuae congregatio vocabitur, ut ex nomine intelligant, se veraciter prae cunctis corde humiles debere esse, quia humilitas est pallium honoris et laudis meae et ipse est habitus cum quo quis ab hac vita transiens portas apertas invenit regni mei.

Quomodo Christus postulavit a Patre Religionem Minorum Fratrum.

Ego enim postulavi a Patre meo, quod daret mihi in hac hora novissima quendam populum pauperculum, humilem et mitem et mansuetum, qui esset per omnia similis mihi in paupertate et humilitate et habere me solum contentus esset. In quo populo ego quiescerem et manerem sicut in me quiescit et manet Pater meus, et ipse in me quiesceret et maneret, sicut ego in Patre maneo et in ejus spiritu requiesco. Et dedit te mihi Pater meus, cum his qui ex toto corde et fide non ficta et caritate perfecta per

te adhaerebunt mihi, et ego regam et pascam eos, et erunt mihi filii et ego ero eis pater. Et qui vos receperit, me recipiet, et qui vos persequetur, me persequetur et spernet, et super persequentes et spernentes judicium meum stabit, et super recipientes et benedicentes manebit benedictio mea.

Quomodo evangelium Christi est regula Beati Francisci.

Evangelium meum sit regula tua et vita mea, vita tua et crux mea, requies tua et caritas mea vita tua, mors mea spes et resurrectio tua; in pauperia blasfemiae et subsannationes meae honores et benedictiones et commendationes tuae, et pro me mortem et tormenta sustinere vita, gaudium et gloria tua; nihil sub coelo habere velle portio tua et divitiae tuae; sub omnibus humiliari et propter nomen meum gaudere affligi et vilipendi sublimitas tua, refrigerium et exultatio.

Quomodo loca Fratrum Minorum debent esse vilia et paupercula.

Loca, in quibus tanquam advenae et peregrini ad me colendum et me laudandum habitabunt Fratres, erunt vilia, paupercula, constructa de lignis et luto, a tumultibus seculi et vanitatibus segregata, et dominii et juris alieni, et de obedientia et licentia et beneplacito Episcoporum et Clericorum recipient ea ut advenae et peregrini, tantum in eis hospitantes, quantum dominis locorum erit gratum et Episcopis placebit; semper cum licentia et gratiarum actione, parati inde recedere, quum a suis receptoribus eis licentia daretur, quia tunc erunt mihi similes et conformes, quum meo cultui vacantes in locis habitabunt ut advenae et peregrini, licentiati libentius recedent, ibidem nihil habere et nihil habuisse velle opere lacto et humili perfectius demonstrantes.

Quomodo Christus revelavit Beato Francisco formam vivendi.

Verum in testamento suo, quod circa mortem suam fecit, dicit, quod „postquam Dominus dedit mihi fratres et

socios, nemo ostendebat mihi, quid deberem facere, sed ipse altissimus revelavit mihi, quod ego deberem vivere secundum formam Sancti Evangelii. Et ego paucis verbis et simpliciter feci scribi et Dominus Pontifex confirmavit mihi.“ Et propter hujus vitae puram et catholicam observantiam in fine testamentum suum fecit, in quo ostendit se suae conversionis primum progressum et finem a Christo Jesu per revelationem accepisse, et fidem et obedientiam sanctae Romanae Ecclesiae catholicae et omnium sacerdotum ab eadem Ecclesia ordinatorum in quantumcunque peccatorum in tantum revereri. Quodsi haberet tantam sapientiam quantam habuit Salomon, in parochiis, in quibus morantur, non praedicare sine voluntate ipsorum et obedientia, et sacramentorum Ecclesiae administratores sicut suos dominos timere, amare et honorare, et super omnia ipsa sacramenta et verba divina et omnes magistros et doctores sanctae Theologiae debere venerari et honorari, illuminatus a Christo docet, „quia per hoc, inquit, communicamus ipsorum ministerio spiritum et vitam,“ et quod officium secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae facerent. Et quod contenti essent fratres tunica una intus et foris resecata, et propter paupertatis veram observantiam, et nollent plus habere, sed essent ex corde subditi omnibus, minoritatem humilitatis conversatione et opere ostendentes, operantes manibus propter exemplum et amorem virtutis et otiositatem repellendam et corporis sui necessitatem et suorum fratrum evangelice procurandam, magnae humilitatis et ineffabilis dignitatis, et ipsi mensae regis gloriae participationem esse ostendens, quum pretium laboris non daretur, recurrere ad mensam domini et petere elemosynam ostiatim. Nam Beatus Franciscus didicerat a Christo, quod magna dignitas et honor incomparabilis est secundum Deum et secundum hominem evangelicis pauperibus, amore Domini Dei elemosynam petere, quia amori Dei omnia et quae in coelis et quae in terris creata sunt, comparari non possunt. Quum omnia, quae pater coelestis pro utilitate hominis creavit propter amorem dilecti filii sui dignis et in-

dignis gratis pro elemosyna concessa sunt post peccatum, propterea quod amore Domini Dei postulatur et amore Christi Jesu filii ejus datur, qui pro nobis egenus factus est, ut nos sua paupertate divites gratia in praesenti faeeret et beatos gloria in futuro sanctificaret, potius angelorum panis quam cibus corporis dici potest.

Dum secundum quod a Christo acceperat in regula sua dicit: fratres nihil sibi approprient nec domum nec loeum nec aliquam rem sed tanquam peregrini et advenae in hoe seculo in paupertate et humilitate Domino famulantes vadant pro elemosyna confidenter, nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se feeit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, carissimi fratres, meos haeredes et reges regni eoelorum instituit, pauperes rebus feeit, virtutibus sublimavit. Haee sit portio vestra, quae perdueit in terram viventium. Cui dilectissimi fratres totaliter inhaerentes nihil aliud pro nomine domini nostri Jesu Christi sub coelo habere velitis.

Hinc propter altissimae sibi a Christo revelatae angelicae paupertatis perfectionem integre et pure servandam universis fratribus in Christi Spiritus fortitudine, eertitudine firmiter mandat, quod ubicunque sunt non audeant aliquam literam a curia Romana per se vel interpositam personam petere neque pro Ecclesia neque pro loco neque sub specie praedieationis neque pro persequutione corporum suorum, sed ubicunque non fuerunt reeepti fratres, fugiant ad aliam terram ad faciendam poenitentiam eum benedictione Dei; addens in fine, quod testamentum suum non est alia regula sed exhortatio seu recordatio et suae primae et ultimae intentionis sibi a Christo revelatae testamentum, quod faciebat suis benedictis fratribns ut regulam quam Domino promiserant, melius eatholice observarent, eo quod eatholicae fidelis et purae regulae, quam a Christo acceperat, observantia in literali testamenti et regulae intellectu continebatur. Quare praecepit firmiter per obedientiam, quod in regula et testamento non mittant glossas, dicendo: ita volunt intelligi, sed sicut dominus dederat sibi simpliciter et

pure dicere et scribere regulam et testamentum, ita simpliciter et pure sine glossa intelligerent et cum sancta operatione servarent usque in finem. Verum quanta obsvervanda et quanta inconvenientia in suis dictis contra Christum et Apostolos et eorum discipulos et evangelistas et anachoretas et coenobitas et primos ecclesiarum et ordinum omnium perfectorum fundatores nec non et contra ipsam Romanam Ecclesiam includant consequenter illi, qui Sanctum Franciscum et regulam ejus et testamentum invacuare et evacuare conantur, nemo qui Christi fidei et caritatis possidet veritatem ignorat.

Quomodo Christus multum familiaris fuit Beato Francisco.

Fuit enim ei Christus familiaris tanquam pater carissimo filio et suae voluntatis beneplacita communicavit ei et tempori utilia et futurae et practeritae tribulationi congrua et expedientia reseravit plenissime disponentia ad perfectum contemplacionis in fine statum per ipsum et in ipso in coelo ecclesiae demonstravit. Sed sui eum non receperunt.

Quomodo Christus multa revelavit Beato Francisco.

Referebant enim socii sui, videlicet Berenaldus de Quintavalle, Egidius, Angelus, Masseus et Leo, quod S. Franciscus eis quinque aliquando in secreto dixisset: fratres, ego sum vilissimus homo et indignissima creatura Dei. Tamen ut crescatis in reverentia et fide vestrae vocationis et promissae ac mihi revelatae a Domino vitae et regulae, sciatis, quod tam benigne et familiariter suam praesentiam exhibet mihi Christus et specialiter quotiescunque ad ipsum pro utilitate religionis clamo et tam plene et clare de omnibus quae pro ipsis postulo satisfacit; quod sicut ipse Dominus quandoque dixit mihi, paucis valde sanctorum, imo rarissimis de sua praesentia tantam copiam tribuit. Qui sola sua benignitate et gratia me vocavit et revelavit se mihi et docuit, quod postularem suae immaculatae vitae ab Ecclesia et Domino Papa confirmationem. Et inclinavit Christus Dominus summum Pontificem et fratres ejus Do-

minos Cardinales et intellexerunt, quod ab ipso Domino Jesu Christo missus eram ad eos, et concessit mihi Dominus Papa omnia quae postulavi. Et felices illi qui fideliter et devote student vivere secundum vocationem suam, et ea quae Domino promiserunt pure et simpliciter usque in finem servant, quia ipsorum est omnis gloria singulari regnum coelorum. Et vae illis, qui evacuare conantur ex sua scientia ea quae ipse mihi revelare dignatus est ad suae gratiae gloriam pro utilitate praesenti et futura totius religionis et circa fratrum omnium animarum salutem, quia tales se ipsos gratia privant et alios a salute retrahunt et gehennae acerbioribus suppliciis debitores constituunt. Nec voluit Christus occultare ab eo quae bona et quae mala, qui defectus et qui perfectus, qui lapsus et casus, quae venationes et tribulationes in religione sequerentur et evenirent usque in finem. Nam post illam mirabilem visionem et visionis effectum in cordibus singulorum, quum absens corpore in curru igneo est fratribus praesentatus, et alterius alteri conscientia nuda fuit, sic sanctus vir frater Johannes de Celano in sua legenda scripsit: Ad fratres rediens confortavit eos primo de ostensa eis coelitus visione, secundo per ordinem ventura post eos in religione pronuncians ait: Non vos deterreat, fratres, quia pauci estis et simplices, quia ecce post modicum ad vitam istam et religionem venient plurimi non solum simplices, sed sapientes et nobiles, divites et pauperes, seculares et clerici, et non tantum Italici, sed Gallici, Hispani, Scoti, Hiberni, Theotonici, Slavi et Ungari et de nationibus caeteris et ecce sonitus pedum eorum in auribus meis est. Grati igitur estote Deo et operibus et affectibus sanctis, vocationem et electionem vestram firmam facere coram eo totis viribus studete, quia humilis et pauperis et primi et finalis status fundatores nos idiotas et contemtibiles et abjectos in hac hora novissima posuit Deus. Sed ex hoc oportet nos magis humiliari et cum timore et tremore nostram operari salutem et fructus dignos poenitentiae facere coram Deo, qui nos sua sola bonitate vocavit ad coelestem suae vitae sequelam. Et quia multi

erunt vocati et pauci electi, et jam in hac religione praesertim in fine dierum, quum tribulationis tempora appropinquabunt; ideo futurorum processuum intelligite veritatem. Nam vos nunc in principio religionis donis et gratiis praeventos benedictionis suae dulcedine et caritatis fructibus replebit altissimus et quasi ad mensam suam invitatos vitae et intellectus pane cibabit et gaudio et laetitia spirituali potabit, ac pacis et sapientiae suae gustu ineffabili quietabit. Sed inimicus homo zizania superseminare in religione conabitur, et intrabunt multi religionem, qui non Christo sed sibi vivere incipient, et carnis prudentiam plus quam fidei et regulae obedientiam sequentur, multum carni et spiritui parum dantes. Nam fragilitatibus acquiescentes et claudentes aures cordis gratiae, vim sibi ipsis inferre negligent, ut rapiant regnum Dei. Et ex hoc minorabitur a perfectione, declinabitur religio et tepescere incipiet a perfectae caritatis fervore. Erunt quoque post vos innocentes et fideliter gradientes in moerore et taedio in rememoratione priorum bonorum et a similibus affligentur et opprimentur.

Quomodo religio impugnabitur a malis spiritibus.

Tunc post istam tribulationem malorum et dolorum progressus erit ad pejora et magis amaricantia et impugnabunt religionem maligni spiritus, et contra eam insurgent plurimi et multiplicabuntur in religione vitia (et) irretientur et capientur.

Quomodo fratres se convertent ad pecuniam et testamenta et aedificia.

Et ad pecuniam recipiendam et testamenta et legata quoque et consequenter ad litigia se sine pudore dabunt et a sanctae paupertatis et humilitatis amore declinabunt, et eis resistentes in religione odio persequentur et affligent, eruntque ex hoc intus et extra eorum verba et opera amara valde. Nam intus a paupertate et humilitate et oratione elongabuntur et scientiae et lectioni ambitiosae sudabunt et praeponent verba virtutibus, et scientiam sanctitati et fastum

et arrogantiam humilitati, arguentes vero, et contradicentes confundere et opprimere fraudulenter praejudicent (?) et super eos bellum suscitare praedicabunt esse justitiam. Turbabunt clericos et contra humilitatem promissam ab eorum reverentia declinabunt et cupiditate rerum scandalizabunt saeculares, et locorum mutatione et sumptuosis et curiosis aedificiis levitatis et vanitatis exempla praebebunt et invicem se mordebunt et comedent, aspirabunt ad dignitates ecclesiasticas et infra se superiores esse et apparere contendent. Humilitati vero adhaerere studentes et ad coelestia per puram observantiam promissorum consurgere satagentes quasi insanos despicient et tanquam inutiles et nullius momenti homines vilipendent, alta vero quaerentes et sapientes admirabuntur et extollent et eorum prudentiam laudabunt.

Quomodo fratres malis exemplis odio habentur a saecularibus.

Hinc post ista conversatio eorum et vita amarissima et importabilis universis et invicem se confundent et persequentur et diffamabunt, et foetor conversationis eorum occultari non poterit; tunc dilecta Dei religio in tantum malis erit diffamata exemplis, quod bonos pudebit exire in publicum. Tunc omnis vir malus suae malitiae foetores revolvet ad fratres et sua scelera per respectum et operationem ad opera fratrum excusare et leviare incipiet dicens: Quia adhuc pejora facient fratres et faciunt. Pauci vero se ad Christum et observantiam suae vocationis cum multis tribulationibus et contradictionibus toto corde convertent.

Quomodo Novicii male aedificabuntur in religione.

Novicii vero qui tunc religionem intrabunt, absque exemplo et directione superiorum suorum existentes stupebunt super his, quae videbunt et arescent a vivificis desideriis et operibus gratiae et retro aspicient. Aliqui vero ex eis orationibus clamabunt ad Christum et absque magistrorum ductu praeclaris gratiae donis et benedictionibus praemientur a Domino et ad summae perfectionis clima perdu-

centur. Ultimo de ipsis eveniet quemadmodum piscatoribus solet contingere, qui sagenam in mare mittunt et concludunt magnam malorum piscium multitudinem et paucam bonorum, quam ad littus trahentes paucos bonos eligunt et ponunt in vasis suis, malos vero projiciunt et avibus vorandos in littore derelinquunt. Ita evenit huic religioni in fine dierum.

De confirmatione regulae.

Post paucos vero dies quum jam ad duodenarium numerum devenisset, apparuit ei iterum Christus et dixit: Vitam quam tibi revelavi scribe et cum meo vicario praesentatam tibi et tuis sociis et omnibus eam assumere volentibus postula in meo nomine confirmari. Quum qui ea reverenter et humiliter recipient et simpliciter et fideliter observabunt, spiritum vitae communicabunt et claritatis meae lumine induentur, contemnentes obscuritate et tenebris involventur et tanto pejores erunt caeteris hominibus quanto sublimiori statu et vocatione ceciderunt. Cum vero Summo Pontifici ea quae postulabat ardua valde et quasi impossibilia viderentur infirmitati hominum sui temporis, exhortabatur eum, quod aliquem ordinem vel regulam de approbatis assumeret, at ipse se a Christo missum ad talem vitam et non aliam postulandam constanter affirmans fixus in sua petitione permansit. Tunc Dominus Johannes de S. Paulo, Episcopus Sabinensis et Dominus Hugo Episcopus Hostiensis Dei spiritu moti astiterunt Sancto Francisco et pro his, quae petebat coram Summo Pontifice et Cardinalibus plura proposuerunt rationabilia et efficacia valde. Interea nocte sequenti vidit in somnis S. Pontifex quendam virum pauperem prae omnia Sancto Francisco simillimum submittentem humeros Lateranensi ecclesiae nimium inclinatae ut caderet et eam viriliter erigentem. In crastinum vero Sanctus Franciscus a Christi spiritu eruditus proposuit coram Papa similitudinem de muliere paupere et formosa, quae concepit et genuit filios regi simillimos et educavit in deserto, quos de se natos post tempus demo inde transiens rex agnovit et constituit ad mensam suam et haeredes et reges

constituit regni sui. Intellexit Summus Pontifex a Christo esse et non ab homine, quae petebat et Deo gratias agens postulata concessit et sua auctoritate praedicatores evangelii fecit et in posterum, si qua peterent liberaliter et benigne se facturum promisit.

Confirmata regula quum redirent et hora refectionis transiisset et fatigati ab itineris labore debiles essent et ab hominum habitatione longinqui, repente itineris graciosus se eis conjunxit in via et panes suos quos portabat, obtulit et plura eum ipsis de perfectione evangelicae vitae Christi conferens, suorum verborum virtute, ardore nimio caritatis inflammavit et ab eis quasi in stuporem mentis in admiratione verborum ejus conversis mox mire disparuit et vivifico amore Christi succensos dereliquit. Cognoverunt omnes pariter angelum Dei fuisse eum, qui eis panes obtulerat, et spiritualiter et corporaliter refecti gratias agunt Deo immensas super dono et beneficio suo in spiritus fervore omnes unanimiter genua flectentes et affectus et corda sursum erigentes ad eum promittunt et jurant nullius necessitatis aut tribulationis impulsu a sanctae panpertatis resilire promisso. Intellexerunt enim ex Dei providentia et angelicis sermonibus, quia curam habet Deus de corporibus et animabus suorum majorem, quam habeat mater de filio, imo principaliorem, quam habeat de coelo et terra. Et quia impossibile est, Deum de utilibus et necessariis suis famulis corporaliter non providere et vota pauperum non audire et desideria sancta, quae solus ipse inspirat non implere. Ipse enim Christus dixit: non te deseram, neque derelinquam. Et: nolite timere pusillus grex quia complacuit patri meo dare vobis regnum, quanto magis necessaria vitae. Dicebat enim ipse sanctus Franciscus, quia omnipotentia Dei in fide, et sine fide impossibile est placere Deo. Quia qui exstat de divina providentia secundum quod scriptum est, similis est fluctui maris qui a ventu movetur et circumfertur. Non enim existimet homo ille, quod accipiet aliquid a Deo, quia talis est duplex animo et inconstans in omnibus viis suis; credenti omnia possibilia sunt, et omnia quaecunque aspera

sunt, dulcia et levia diligenti. Nam apostoli et martyres et patres illi, qui nudi Deo ex . . . . fide et caritate Christo et non sibi vivebant. Exempla Christi et testimonium quasi nubem aeterni refrigerii ante oculos habentes qui circumierunt in melotis et in pellibus caprinis egentes, afflicti, angustiati, quibus dignus non erat mundus. Nam omnes sancti quanta passi sunt tormenta ut securi pervenirent ad regnum cum palma martyrii, communicare enim Christi passionibus et condemnationibus et infirmitatibus et necessitatibus et persequutionibus daemonum et hominum, derelinqui et probari et examinari in camino tribulationum quasi per ignem est per patientiam adunari sanctis regnantibus cum Christo in regno coelorum, quia tunc magnis et immensis spiritus donis et beneficiis a Domino ditamur, quum ad horam affligimur et tentamur, ut probati per patientiam cum palma martyrii perveniamus ad Christum. Quum enim propter obedientiae, paupertatis et castitatis observantiam sancte et juste viventes penuriam rerum, infirmitatem et mortem incurrimus, in ipsum adspicientes, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione concepta laetari convenit, sicut laetantur, qui de adversariis victoriam consequuntur et preciosa quamdiu quaesita et concupita inveniunt. Quia tunc unusquisque sanctorum decorem et pulchritudinem induit incorruptibilis et sempiternae gloriae et in statione et tensione bonorum immortalium collocatur, quum pro Christi vita imitatione et confessione viciis et concupiscentiis funditus moritur, dissolvi cupiens a corpore et per supplicia et cruciatus ad ipsum transire, qui pro nobis sustinuit passionem et mortem crucis, qui eramus inimici Dei et servi peccati aeterna morte dignissimi. Operabatur enim Christus Jesus in servo suo Francisco similia primis et ad odorem vitae suae et sociorum plurimi confluebant et ad coelestia amandum et operandum efficaciter virtutem Christi spiritu trahebantur.

Nam in spiritu ferventes Christi evangelium praedicabant opere et sermone, immutabantur videntium corda, et ad confirmationem vitae et praedicationis eorum Christus

per Franciscum quotidie signa et miracula innumera faciebat, et spiritu Dei concepto mundum cum suis concupiscentiis contemnebant. Et vendentes juxta consilium Christi omnia quae habebant, distribuentes ea pauperibus, corde et habitu jungebantur in paupertate Christi. Multiplicatur in brevi numerus fratrum et sub ministris et custodibus in singulis Christianorum provinciis ordinantur. Sed quia non est parum certamen assumere Christi vitae discipulatum et persequi ea quae tantae professioni expediunt, et bonum incipere est multorum, perseverantia autem usque in finem est paucorum et perfectorum; mortificare enim sensus, et lingua et corde tacere secundum consilium evangelii, et corpus et animam offerre continuo christiformiter Deo et opera extrinseca et intrinseca dirigere et perficere secundum voluntatem beneplacentiae Dei, et patientiam in his usque in finem habere, ex dono Dei est, sed non sine agone magno, et ut ita dicam sudore sanguineo et cruciferorum dolorum communicatione dirigitur et servatur. Multa est enim nostra fragilitas et faciliter ad sensualia revolvimur omnes, et carnis prudentia sub discretionis pallio quasi impetus spiritus vehementis ad ea valide nos impingit vincula ferrea et carcer aeneus primae consensus et secundae sequela. Non erit in sorte Sanctorum qui consequitur eas. Per hoc primus homo ruinae initium concepit, et in pessimis proprii amoris et complacentiae malis involutus est. Sub discretionis specie inceperunt oculos aperire et ab aliis religiosis conversationis exempla suscipere securum esse et utile (reputare). Quidam magis inter ipsos intelligentes simplicioribus suggerebant et non ponderantes suae praesumtionis, infidelitatis et inobedientiae culpam, post se trahentes alios verbo et opere, contraria Christo et fundatori et promissae regulae sapiebant. Ad aures patris eorum ista pervenerunt et increpationibus duris ista patrantes feriens, conversus ad Christi patrem pro ipsorum directione orabat.

Et ecce, angelus Domini apparuit ei oranti sub forma et aspectu mirabili. Erat enim caput ejus aureum, brachia et pectus argentea, venter aeneus, crura ferrea, pedes terrei

et fictiles, humeri ejus cooperti sacco vili et aspero. Et ostendebat angelus Beato Francisco quandam erubescentiam se habere de sacci illius operimento. Qui obstupuit videns, dixitque ei angelus: Quare stupes et miraris? forma ista in qua missus sum apparere tibi, initium, progressum et finem significat, quem habitura est tua religio usque ad tempus partus ejus et reformationem Christi vitae et ecclesiastici status. Tu enim cum omnibus sociis tuis, qui Christum et ejus mortem in corde portatis scriptam, et ex toto corde amatis ejus vestigiis adhaerere et nihil in proprium habere vultis sub coelo propter amorem ejus, estis caput aureum. Sed sicut Abrahae non in Ismael sed in Isaac fuit promissum seminis successio: ita non erit tibi in filiis carnis nominis successio, sed in filiis spiritus opere et veritate. Relinquent enim statum aureae vitae humilis et pauperis nihil habentis et nihil volentis et Christum solum quaerentis et amantis, et oratione et devotione postposita ad scientiam quae inflat et lectionem et studium et librorum multitudinem cumulandam sub specie aedificationis proximi et salutis animarum convertentur, et quia praeponent verba virtutibus et scientiam sanctitati, remanebunt intus frigidi et caritate vacui, facta commutatione auri in argentum frigidum et perosum, et quum multa loquentur et pauca facient et soliditatem humilis vitae et fundamentalis eorum substantiae vid. paupertatis veritatem incipient conculcare, dacias et occupationes dissipantes assumendo, argentum in aes convertent nec curabunt ad priora bona seu ad fervorem coelestis desiderii redire, sed mores religiosos et humiles ac magnae sanctitatis simulabunt, intus vero hypocrisim induent et ad laudes et honores inhiabunt, omnibus aliis excellentiores et sanctiores non esse sed reputari et apparere volentes, sicque ad pejora corruent, et cum multo suo detrimento quasi mali mercatores argentum eloquentiae et scientiae factum in simulatione aenea et hypocritate transferentes, ad capiendam humanam laudem opera sua facient. Sed quia eorum simulatio et hypocrisis diu latere nequibit, quum denudata apparuerit sentientes se vilescere in oculis

laudatorum et de die in diem magis sordescere propter hoc illis irasci et indignari incipient et eos persequi, quibus multum placere studuerunt, et occasiones affligendi eos exquirent, qui ab eorum reverentia et commendatione cessabunt, sicque aes sonosum et rufum commutabunt in ferrum durum et asperum. . Et in ferream naturam conversi erunt promti et audaces non tantum ad se vindicandum, sed de illatis injuriis ad mala veloces et fragiles et pusilanimes et super modum impatientes ad toleranda illata. Et sicut ferrum cum testa in meis pedibus mixtum, ita finaliter erunt fratres veloces et crudeles ad mala inferenda ut ferrum, et impatientes et fragiles ad toleranda ut testa. Et ita qui fuerunt a principio auro purissimo Christi caritatis amicti, reputabuntur ut vasa testea in fine dierum quum ad partum venerit per te fundata religio. Saccus autem iste, quo operior et de quo erubescere me ostendo, est vilitas et austeritas paupertatis, quam glorianter et laete portare fratres Domino promiserunt. Sed prima caritate relieta, qua Deo uniti humilitatis et paupertatis subjectionem habere in omnibus et servare arrham coelestis honoris esse et pignus aeternae gloriae sentiebant, labores et defectus paupertatis intrinsecus portare refugient, extrinseeus vero eam apparenter tantum et verbaliter cum rubore portabunt.

Post hoc angelus ab eo reeessit, et moerore completus eordali de visis et auditis cepit eoram Domino anxie lamentari, apparuitque ei Christus et dixit: Quare turbaris tantum et tristaris Francisce? Ego te vocavi de saeculo; idiotam, infirmum, et simplicem, ut in te manifestarem meam sapientiam et virtutem et meo nomini totum imputaretur bonum, quod per te in ecclesia et in religione initiaretur et fieret. Ego te voeavi a saeculo, quum esses in peccatis et illuminavi te et docui suave jugum vitae meae tollere super te et humiliter portare et ego tibi ea, quae per te fundavi et plantavi, custodiam et servabo, erigam cadentia et destructa reparabo, et aliis cadentibus alios surrogabo, ita ut si nati non fuerint faciam vos nasci et si ad numerum trium devenerit religio tua, inconcussa tamen

nsque ad finem saeculi meo munere permanebit. Et sicut non excidit verbum Dei, quia non receperunt me Judaei sed persequuti sunt me et meos discipulos occiderunt, quia electionis meae reliquiae et salvae factae sunt et salvae fient et magnificatum est nomen meum in gentibus: ita effectus principalis et fructus promissionis et intentionis meae, quam per te facere decrevi, in hora novissima non aliqua humana vel satanica contrarietate impediri vel destrui valebunt. Et consolatus est spiritus ejus in sermonibus Christi. Et ut fratres essent inexcusabiles apud Deum, complebat in se quod fratribus praedicabat et exemplo operum confirmabat, quod sermonibus docebat; inflammabat enim eos ad puram sibi a Domino regulae revelatae observantiam et in eorum oculis per eum Christus virtutes et signa multiplicabat, ut in eis vitae suae et regulae promissae fidem et dilectionem augeret et in odio contrariorum solidaret. In idipsum Christus Jesus misit ad eum angelum suum in specie praefulgida, dum esset in conspectu Sancti Urbani, et privilegia seu singulares gratias regulam amantibus et pure servantibus usque in finem factas, concessas a Deo in coelis revelavit ei et intimavit ei ad nunciandum fratribus singularitatem gloriae, quam praeparavit Christus in coelis vitam et regulam fideliter et devote implentibus et felicem absque impedimento .. poenarum purgatorii et elevatione ad regnum et cum Christi discipulis praeclaras et lucidas mansiones et in peregrinationis hujus exilio defensionem et protectionem singularem ab insidiis daemonum et lapsu peccati mortalis, jocundam et christiformem inhabitationem Christi et spiritus ejus in animabus et corporibus pure et fideliter servantium eam morientibus in religione cum habitu humilitatis et paupertatis indulgentiam de commissis et omissis propter signum et veritatem rei, in qua finaliter sunt inventi et finem misericorditer recepernt. Devotionem ad nostrae regulae servatores et religionem habentibus et ipsos pie recipientibus et eis benigne subvenientibus augmentum bonorum gratiae et protectionem ab adversis et liberationem a peccatis et in fine misericordiam et refrigerium aeternae qui-

etis, si audierint eos et perseveraverint in incoepta reverentia et dilectione usque in finem. Persequentibus autem et impugnantibus et odientibus ipsos et eorum religionem et vitam in praesenti privatione gratiae coecitas mentis, involutio in peccatis, amaritudo cordis et impietas et si non poeniteant et resipiscant, cum morte Christi maledictio et aeterna damnatio veniet super eos. Igitur eruditus a Christo et ipsius coelesti nuncio in spiritus saneti virtute Franciscus annuntiabat fratribus imitationis humilis et pauperis Christi vitae dignitatem incomparabilem et arcanam gloriam et sublimitatem singulis et excessivis operibus et vivo et effieaci sermone inflammabantur recti corde ad puram operationem suseeptae vitae et in reverentia praemissae regulae firmabantur. Ipse autem his, quos in Christi amore perfectos sentiebat sui cordis secreta et a Christo immediate suscepta pandens amorem et observantiam fidelem et plenam Christi paupertatis et humilitatis dicebat esse fundamentum, substantiam et radicem evangelicae vitae et regulae sibi a Christo revelatae, quam conseeravit Jesus filius Dei natus in spelunea de paupercula matre reclinatus in praesepio, pannis involutus, quia non habebat loeum in diversorio, circumcisus, oblatus, in Egyptum fugiens et ipse rediens in Nazareth habitans in triduo, mendicans, jejunans, praedicans, moriens, sepultus in alieno sepulcro, de morte resurgens, hanc dicebat radicem obedientiae matrem abrenuneiationis, mortem complacentiae propriae et cupiditatis et amaritiae, fidei obedientiam et operationem, spei ostensionem, humilitatis argumentum, genitricem pacis Dei, quae exsuperat omnem sensum.

Et dicebat fratribus: subtracto fundamento paupertatis a religione certificatus sum a Christo, quod viliter et miserabiliter prosterneret, est enim propter humilis paupertatis continentiam et vinculum mandatorum Christi caritatis et erueis cultui singulariter consecrata tota religio, quae electa est ad spiritualiter suscipiendum et pariendum Christum Jesum in diversorio ecclesiae in fine dierum tanquam altera in spiritu virgo Maria et ad promittendum, amandum

et servandum super terram nihil habere, quam amantes et servantes Christum Jesum et ejus spiritum reverenter et humiliter portant et perseverant usque in finem (et) de hac vita securi exeunt certi de regni coelorum. Propter quod regulam volebat haberi ab omnibus, sciri ab omnibus et quod plus est mori debere cum ipsa. Hujus amotionis non immemor sanctus ille frater minor, qui semper loricam portabat ad carnem, cum propter fidei praedicationem et constantiae confessionem et a Saracenis capitalem finaliter accepisset sententiam, accipiens regulam quam semper portabat occulte in manibus, et cum regula elevatis in coelum dixit: In manus tuas, Domine Jesu Christe commendo spiritum meum. Etsi quidem contra regulam hanc ut homo peccavi, tu amator omnium propitiatus indulge! Et his dictis capitis cruciatione cum palma martyrii migravit ad Christum. Hanc dicebat Beatus Franciscus regulam esse lignum vitae, sapientiae fructum, paradisi fontem, archam salutis, scalam ascendentem in coelum, pactum aeterni foederis, evangelium regni et verbum abbreviatum, quod fecit Dominus super terram cum discipulis suis. Per hanc docebat fratres suos posse veram requiem animarum et corporum invenire et suavitatis et levitatis Christi honoris et jugi experiri beatam dulcedinem et sursum ferens ad coelestia pondus. Ordinatis itaque et plene informatis jam fratribus, in quantum in se erat, divinis sermonibus et exemplis ad reverendam et pure et fideliter servandam promissae perfectionis vitam solidatis et confirmatis, caritatis seraphicae, qua totus succensus ferebatur in Christum actus sermone se hostiam vivam pro martyrii flamma Deo offerre tribus vicibus ad partes infidelium iter aggressus est, sed bis ad sui fervoris flammam plenius comprobandam dispositione prohibitus.

Quomodo Beatus Franciscus ivit ad Soldanum.

Tertio post multa opprobria, vincula, verbera et labores ad Soldanum Babyloniae, Christo ordinante, perductus est. Stansque in conspectu ejus igne spiritus sancti totus

ardens in tanta virtute, et viva et efficaci praedicatione Christum Jesum et ejus fidem evangelii praedicavit eidem, ut admiraretur Soldanus et omnes pariter qui adstabant. Nam ad virtutem verborum, quae Christus loquebatur in eo, Soldanus in mansuetudine conversus auditum verbis ejus contra suae nefandae legis decretum libenter praebebat et ad moram contrahendam in terra sua instanter invitavit ipsum et omnes fratres suos libere ad sepulcrum et absque tributi solutione accedere posse mandavit.

Prima tribulatio ordinis Beati Francisci. — Quomodo absente pastore i. e. Beato Francisco grex divisus est.

Interea, pastore absente, tentat lupus rapax suum rapere et dispergere gregem et ab illis ei ostium aperitur, qui ejus insultui se opponere et ejus insidias praecavere plus caeteris tenebantur. Nam illi praecipue, qui aliis praeerant et prudentiores et magis intelligentes esse videbantur, ad sui sensus complacentiam conversi sub discretionis specie summam tepiditatem et infidelitatem palliantes modum diversum vivendi, at a docto eis et coelitus dato pastore et scripturae sententiis et aliorum religiosorum exemplis astute verbis et operibus praedicabant intelligentes, quod per humanam prudentiam, quae mors ab Apostolis nominatur, sibi ipsis fodiebant praecipitii lacum et idololatriae vinculum et recessum a perfectionis promissae culmine fabricabant. Indicabat enim impossibile quasi et periculosum et stultum simpliciter et obedienter Christum, qui eis in Francisco et per Franciscum locutus fuerat, et manifestaverat vias vitae imitari et sequi et sicut filii Israel post exitum de Aegypto et maris rubri transitum ad incredulitatem et propriae sufficientiae complacentiam sunt conversi nihil existimantes quaecunque experti fuerant et viderant et audierant Deo operante et loquente eis per Moysen, ita hi post egressum de saeculo et abnegationem propriae voluntatis et crucis evangelicae vitae assumtionem Christum in viro coelitus eis misso Francisco loquentem et operantem humiliter et obedienter sequi sibi ipsis et aliis minus utile ac per hoc

expediens arbitrati sunt, et justum post se trahere simpliciter et fideliter gradientes ac meritorium putaverunt. Et in tantum eorum praesumtio et audientia crevit, quod post sancti Francisci peregrinationem ad ultramarinas partes ad visitandum loca sancta et Christi fidem infidelibus praedicandam et promerendam martyrii coronam, ut dictum est, in pluribus provinciis ita dure et crudeliter inhaerentes tractaverunt, quod non solum poenitentiis injustis affligebant eos, sed tanquam male sentientes ab eorum consortio et communione pellebant. Ex hoc plurimi et praesertim ferventes spiritu non recipiebantur ab eis quasi inobedientes prae caeteris, qui cedentes furori hinc inde dispersi peregrinabantur, sancti pastoris eorum et directoris plorantes absentiam cum multis lacrimis et orationibus continuis suum reditum postulantes. Quorum obsecrationes et vota ex alto prospiciens et eorum afflictionibus, Sancto Francisco post illam praedicationem quam Soldano et ejus principibus fecerat, apparuit dicens: Francisce, revertere, quia grex pauperum fratrum tuorum, quem et meo nomine congregasti, jam dispersus incedit per devia et eget tuo ducatu, ut uniatur, roboretur et crescat. Jam enim a via perfectionis, quam tradidisti eis, declinare coeperunt et in caritatis, humilitatis et paupertatis sanctae amore et operatione et innocentia simplicitatis, in quibus plantasti eos et fundasti, non permanent. Post quam apparitionem sepulcro Domini visitato festinans ad Christianorum terram reversus est et gregem suum juxta Domini verbum dispersum inveniens, quem unitum dereliquerat, cum multo labore requirens et lacrimis congregavit. Cujus reditum, ut senserunt afflicti, cum festinantia et multo desiderio et immenso cordis gaudio accedebant ad eum et gratias agentes Deo provoluti ad pedes ejus, pastoris diu desiderati amplectuntur vestigia. Excitat pusillanimes, consolatur moestos, corripit inquietos, increpat dispergentium culpam, dispersos caritate dispergentibus injungit et utrosque exhortationibus et admonitionibus animat et inflammat non solum ad levia sed ad aspera quaeque et mortem laetanter sustinendam pro Christo et observantia

regulari. Admirabantur quidem omnes in verbis gratiae, quae procedebant de ore ejus et vitae ipsius perfectionem considerantes et virtutum exercitia et signa et mirabilia innumera quae Dominus faciebat per ipsum, quotidie stupebant et non poterant hi, qui sui sensus prudentiam ejus monitis et exhortationibus praeferebant palam resistere aut sermonibus rationabiliter contrarie respondere. Tacebant igitur et apparenter cum reverentia sequebantur et obediebant ei omnes. Sed alii ex puro corde et conscientia bona et fide non ficta, alii ex humana prudentia et ex necessitate voti et non sponte, sed infamiae notam in oculis hominum et praecipue praelatorum incurrere formidantes sinum intra se tenentes suos et alios cum suis honoris et fastum sanctitatis, integritatis cum prudentia divertere ab intentione et beneplacito fundatoris.*) Timebant enim eum et humiliabant se ei, familiaritatem nimiam et devotionem ad eum verbo et opere exterius ostendentes et tali modo sub sanctitatis ipsius pallio suarum intentionum consilia palliabant. Sciebant enim, quod Christianorum pater Dominus Summus Pontifex et fratres ejus Domini Cardinales ipsum reverebantur et singulariter diligebant et propter suae sanctitatis merita benevolis consequebantur favoribus et sincero venerabantur affectu et in amore et reverentia et fideli et obedienti adhaerentia ad eum ipsorum se sentiebant complacentiam promereri et fiducialem accessum et de contrario displicentiam et exclusionem ab eorum familiaritate. Et hoc illi ministri et custodes nec non et ipse frater Elyas et sui sequaces, quibus astute et sagaciter incredulitatis et irreverentiae, et inobedientiae ad fundatorem fomenta praebebant, conati sunt Domino Cardinali, qui ex devotione interesse volebat capitulo provinciali, quod singulis annis tunc fiebat apud Sanctam Mariam de Portiuncula vel de Angelis caute suggerere, quod Sanctus Franciscus ex sua magna puritate et innocentia non curabat cum fratribus tractare et disponere religioni expedientia et congruentia, cum ipse solus tantae multitu-

*) Hier scheinen ein paar Worte zu fehlen.

dini fratrum satisfacere et providere sufficienter non valeret, praesertim quum sit illiteratus respectu multorum sapientium fratrum et valde perfectorum in sanctitate et honestate morum et scientia, quos habet sub suo regimine, qui in multis eum dirigere possent et adjuvare, quum sit corpore infirmus et debilis. Admonentes ergo eum ita quod non videatur, quod a nobis verba procedant, quod cum suis fratribus ad hoc idoneis religionis disponat negotio et eorum consiliis et auxiliis utatur ad solidiorem et magis certam directionem totius religionis. Et placuerunt verba Domino Cardinali et rationalia visa sunt ei et expedientia valde. Secundum autem quod volebat Dominus Cardinalis de spiritualibus cum Sancto Francisco frequenter habere colloquium, familiariter post haec cum eo loquens congratulatus ei dicens: Laetari debes multum et Deo magnas gratias referre, frater Francisce, quia Deus dilatavit religionem et multos et sapientes et sanctos fratres dedit tibi, qui sufficientes essent, non solum religionem tuam regere, sed totam Ecclesiam Dei regere et gubernare, quare teneris super hoc Deum laudare et eorum debes requirere consilia ac tantorum virorum prudentia et discretione uti ad bonam gubernationem et permanentiam et soliditatem totius religionis.

Intellexit Sanctus Franciscus per spiritum Dei verborum Domini Cardinalis pondus et fontem, unde manabant et dixit ad eum: venite Domine et loquar fratribus coram praesentia vestra. Quibus ipso adstante dixit Beatus Franciscus: Christus vocavit me idiotam et simplicem, ut sequerer stultitiam crucis suae et dixit mihi, ego volo quod tu sis novus stultus in mundo et quod opere et sermone praedices stultitiam crucis meae, et quod in me adspicias, et mihi sine exemplo regulari Augustini et Benedicti et Bernardi jungeris et tu et omnes fratres tui. Sed vos vultis ire et me trahere post sensum et scientiam vestram et scientia vestra finaliter vos confundet. Et conversus dixit ad Dominum Cardinalem: putant fratres mei sapientes isti, quos laudatis cum sua humana prudentia et vos et Deum posse decipere, sicut se ipsos decipiunt et seducunt irritantes et

conculcantes ea, quae Christus eis pro ipsarum salute animarum et quoque totius religionis utilitate per me loquitur et loquutus est. Quia ego ex me ipso nihil eis dixi vel dico, nisi quantum ab ipso in spiritu certitudinis sua sola gratia et benignitate suscepi. Sed ipsi cum magno animarum periculo sensum suum proponunt sensui Christi et voluntates suas voluntati Dei et male se ipsos regunt et male regunt alios credentes eis, et non aedificant, sed evertere et destruere conantur ea, quae Christus plantare et aedificare sua mera bonitate et caritate disposuit in me et in eis pro animarum nostrarum salute recta et totius Ecclesiae aedificatione. Et immutatum est cor Domini Cardinalis in virtute et efficacia verborum ejus et cognovit esse verissima quae dicebat. Convocatis quoque fratribus qui eum induxerant ad proponendum verba illa Sancto Francisco, dixit eis: fratres, audite me et vobis ipsis attendite et vos ipsos non decipiatis et non sitis ingrati beneficio Dei; quia Deus veraciter est in homine isto et Christus et spiritus ejus loquitur in eo. Et qui audit eum, non hominem audit, sed Deum; qui vero spernit eum, Deum non hominem spernit. Humiliate corda vestra et obedite ei, si vultis Deo placere et quae Christo placita sunt facere: quia offendentes eum et contraria ejus mandatis et consiliis sapientes et facientes vos ipsi salutis et vestrae vocationis fructu privabitis et religionis vestrae statum minorabitis et obscuratis vestrum cor offendentes etiam multis vestris defectibus et tenebris involutum. Vivus enim sermo Dei egreditur de ore ejus et penetrabilis omni gladio ancipiti juxta verbum, nec ignorat astutias Sathanae, sed pertingit usque ad secreta intentionum et cogitationum sathanicarum humanarumque; nec potest humanis adinventionibus percipi, quia spiritum Dei habet in se, qui scrutatur renes et corda et etiam profunda Dei. Posuit autem D. Cardinalis ante suum inde recessum verbum Dei in communi tam fratribus, qui convenerant ad capitulum in magna multitudine, quam personis doctis et populo civitatis Assisii. Erat enim vir sapiens et honestae conversationis et vitae. Qui multa

eum sapienter ad aedificationem animarum et correctionem morum efficaciter et facunde perorasset ad fratrum praeconia, commendationem et laudem, suum in fine sermonem convertit et plurimis laudibus vitam et perfectionem eorum extollens ad reverentiam et devotionem fratrum et sanctae religionis eorum populum omnem, qui adstabat, attrahere et inflammare multis exhortationibus est conatus. Genuflexit coram D. Cardinali sermone finito Sanctus Franciscus et cum sua benedictione gratam postulabat licentiam, aliqua verba coram ipso breviter fratribus et populo dicere. Et benedictione accepta omnibus hoc modo loquutus est:

Reverendissimus pater et Dominus noster Cardinalis ex multa bona voluntate et caritate, quam habet ad omnes et specialiter ad fratres meos et religionem, multum decipitur, quia credit et supponit, quod in nobis sit magna sanctitas et singularis perfectio et perfectionis amor. Sed non est bonum, quod falsitati et mendacio locum demus; quia tam ipse quam vos, si credideritis illas perfectiones et ex eis quae vobis de nobis praedicat, essetis decepti et vobis et nobis essetis occasio damni et magni periculi, quia nos sumus ingrati Deo de nostra vocatione et opera et effectus verborum pauperum, humilium istorum verborum fratrum minorum non habemus, habere sicut promisimus non studemus. Unum ego volo, quod tam D. Cardinalis, quam vos omnes sciatis opera et eloquia et desideria, quae debent habere fratres minores non decipientia in eis, ne ipsi se ipsos et vos decipiant et seducant. Cum videritis, quod fratres minores non inducent novicios, quos recipiunt ad dandum sua omnia pauperibus mundi secundum formam sancti Evangelii, sicut promissa sunt, sed suggerent eis vel pro libris vel pro ecclesia vel pro aliqua alia occasione pro se ipsis vel pro necessitatibus fratrum aliqua reservare, ac cum videritis fratres ultra quotidianam necessitatem sui corporis temporalia procurare et pro se et suis locis vel ecclesiis constituendis pecuniam vel denarios quaerere et legata et testamenta ex vobis recipere sub quocunque modo vel specie sanctitatis, (sciatis) quia decepti et seducti sunt. Quia

fratres minores missi sunt a Christo summa humilitate et paupertate ostendentes plus opere quam sermone. Verum quando videritis eos loca paupercula, vilia et parva et extra saecula posita relinquere et sub specie praedicationis et vestrae utilitatis in villis et castris loca mutare et emere et pulchra et sumtuosa construere, orationem sanctam et devotionem dimittere, lectioni et acquisitioni librorum sedare, sepulturas habere et usum rerum omnium affluenter velle et procurare et his omnibus habendis et procurandis privilegia a Curia Romana impetrare et litigia ex jure privilegiorum facere: tunc aperite oculos et attendite vobis et non sequamini eos neque audiatis, quia tales solo nomine se fratres minores praedicabunt et paupertatem et humilitatem, quam Domino promiserunt verbis et operibus in se et in aliis destruent et impugnabunt et mala multa fient per eos in religione et in Ecclesia, quum ante tempus ea vobis pronuncio, et tam ipsi quam vos praecaveatis daemonum laqueos et nequitias hominum perversorum et a malis furtis et non incidatis in eis, quia tempora multarum tribulationum et seductionum appropinquant. Quarum omnium primum judiciorumque proximum erit discessio fratrum ab amore et ab observantia Christi vitae et evangelii, quia nec sapientia, nec scientia nec eloquentia mundum ad Christum trahunt, sed pura et sancta conversatio et perfecta observantia mandatorum et consiliorum Christi.

Et dixit ad eum postea D. Cardinalis: quare, frater Francisce, praedicationem meam evacuasti et tantas persequutiones de tuis fratribus in tua religione futuras esse praenuntias? Et dixit ad eum Sanctus Franciscus: ego praedicationem vestram honoravi, vera de me et meis fratribus temperate dicendo, et peperci mihi et eis obstaculum verbi veritatis opponendo ruinae laudis vestrae praeconium in humilitate, et fratres meos nondum plene fundatos occasionabiliter impellere volens salubriter et necessarie admonendo. Communiter enim videbantur gravia et intolerabilia sapientibus secundum carnem ea quae Sanctus Franciscus sibi a Christo tradita fratribus proponebat.

Et fecerunt de regula prima ministri removeri capitulum illud de prohibitionibus sancti evangelii, sicut frater Leo scribit. Et licet ea, quae Dominus sibi revelabat, fratribus ferventer annunciaret et in se ipso exemplo operum quae praedicabat perfecto ostenderet, claudebant aures sermonibus sanctis et ab operibus oculos avertebant, quaerentes ea potius ad se trahere vel in vitium, quam salutaribus et divinis ejus obtemperaturi consiliis et mandatis et exemplis perfecto-operum ipsius salubriter confirmari.

Nam cum rediisset de partibus ultramarinis, minister quidam loquebatur cum eo, ut frater Leo refert, de capitulo paupertatis ut Beati Francisci voluntatem et intellectum inde plene agnosceret. Et dixit ad eum Beatus Franciscus: ego paupertatis capitulum ita intelligo sicut sancti evangelii et regulae verba ad literam sonant, quod fratres nihil habeant nec habere debeant nisi vestimentum cum corda et femoralibus, et calceamenta, qui necessitate coguntur, portare possunt sicut in regula continetur. Et dixit ad eum minister: Quid faciam ego, proh, qui habeo tot libros, qui valent bene XIV libras. Hoc autem dixit, quia volebat eos habere de sua conscientia, eo quod cum remorsu conscientiae tot libros haberet, quum sciret eum ita districte intelligere capitulum paupertatis. Dixit vero ad eum Beatus Franciscus: nec possum facere nec debeo facere nec venire contra conscientiam meam et professionem sancti Evangelii, quam promisimus, propter tuos libros. Audiens hoc minister effectus est tristis. Videns autem Beatus Franciscus illum esse ita turbatum, dixit ad eum magno cum fervore spiritus in praesentia omnium fratrum: Vos fratres minores ab hominibus vultis videri et vocari observatores sancti Evangelii, et operibus vultis habere loculos.

Vidi ego fratrem, qui audivit eum Bononiae praedicantem, et qui hoc videbant, referebant, quod intrans civitatem quum voluisset ad suorum fratrum declinare locum audit ibi domum aedificasse promissae paupertatis terminos excedentem, et retrocedens ivit ad domum fratrum praedicatorum, qui cum magno gaudio receperunt eum. Erat

autem quidam frater praedicator sanctitate et scientia singularis, qui Sancti Francisci verba devote audiebat et sciens rationem, quare Sanctus Franciscus noluerat cum fratribus suis remanere, desolationi fratrum compatiens, conabatur eum inducere ad eos, quod iret et iis precaret, si in aliquo offendissent. Et dixit ad eum Beatus Franciscus: Non esset bona indulgentia eorum tam notoriam promissae paupertatis transgressionem, magnopere cum Dei offensione hospitando se cum ipsis in peccato permanentibus approbare. Et quum vidisset, quod eum ad hoc inclinare non posset, dixit ad eum: propter alios fratres duos, ne porro tali modo tuae adversionis incurrant infamiam, eamus ad eos et corripies cum caritate de offensa et implebis officium tuum, et si propter conscientiam non vis remanere in tali domo revertemur et tali modo reservabitur fratrum fama et emendabunt offensam. Et consentit Beatus Franciscus consilio illius fratris et invenit eos promtos ad implendam quam vellet eis imponere poenitentiam et pepercit eis.

Cum autem didicisset constantiam seu obduratam mentem cujusdam fratris sui, qui fuerat in saeculo doctor legum, nomine frater Petrus Stacia, et per spiritum cognovisset contrariam puritati regulae conscientiam ejus operationum pariter et doctrinam, maledixit ei. Et quum magnus fuerat in saeculo et propter scientiam a ministris non modicum amabatur, circa vitae Sancti Francisci terminum rogabant eum fratres, quod tanto viro, cui maledixerat indulgeret et suae benedictionis gratiam daret, respondit: filii, non possum benedicere cui Dominus maledixit et maledictus est. Quid plura? Post tempus multum praedictus frater infirmatus appropinquavit ad mortem et circa eum stantibus fratribus cum terribili vociferatione et tremore clamare coepit et dicere: damnatus sum et ecce daemones quibus traditus sum ad aeternae damnationis et maledictionis meae maledictum supplicia portant et experimento tremendo et dolorosi spectaculi horrendi et pavendi judicii omnes qui aderant didicerunt, quod cui Beatus Franciscus maledixerat, fuerat aeternaliter a Domino maledictus. Non humano motu,

affectu vel sensu benedicebat vel maledicebat alicui, sed a Christo informatus fratribus divinorum judiciorum et divinarum voluntatum manifestabat arcana et futura quasi praeterita verbo cernebat.

Audiens enim semel quorundam fratrum enormes excessus, ut frater Thomas de Celano scribit, et malum exemplum per eos saecularibus datum, nimio (ad) mortem contristatus se totum convertit ad Christum, et supervenientes alii quorundam aliorum fratrum sanctam conversationem et vitae secularium et ad proprium statum multorum conversionem factam per eos referebant, exultavit in auditu bonorum et salutis animarum amator et illuminatus revelatione coelesti intellexit in spiritu divinae justitiae rectitudinem, bonos misericorditer assumentis et benedicentis et malos juste repellentis et maledicentis.

Et in tanta spiritus efficacia et virtute apostatantibus a promissione promissae vitae et religionem perversis operibus diffamantibus maledixit et promissa servantibus et sanctae conversationis exemplo proximos aedificantibus ac redolere facientibus odore bonae famae religionem benedixit. Cunctis audientibus ex domo procedere et confirmatam esse in coelis benedictionem et maledictionem, quam Beatus Franciscus dabat et nunciabat in terris. Notumque erat summum sapientibus fratribus et amantibus Christum in veritate, quod verba et opera ejus a Christo et ejus spiritu procedebant et quod recipientes eum et audientes recipiebant et audiebant Christum in ipso loquentem, nec haesitabant recti et mundi corde audire eum et sequi, sed se ipsos amantes et inflati humana scientia et quaerentes quae sua sunt et non quae Jesu Christi trepidabant timore, ubi timor non erat, et jam non receperunt eum, quia Deum non invocaverunt. Quomodo enim poterant credere gloriam humanam cupientes et optantes et gloriam quae a solo Deo est non quaerentes? Dissipat enim Deus ossa eorum, qui hominibus placere quaerunt, confundentur, quia Christus sprevit eos. Qui enim praeposuit scientiam sanctitati, dicebat fratribus Sanctus Franciscus, nunquam prosperabitur et servit men-

dacio, qui laudes hominum diligit. Deus autem qui veritas est, cultores mendacii perdet. Futura enim per Spiritum sanctum cognoscens dicebat: fratres occasione praedicandi et alios aedificandi dimittent vocationem suam, vid. puram et sanctam simplicitatem, orationem sanctam, humilitatem et dominam nostram sanctam paupertatem et accidet illis, qui mihi crediderunt ad devotionem et amorem Dei inflammari, iidem remanebunt frigidi, in caritate vacui. Et sic ad suam vocationem reverti non poterunt, quum amiserint tempus vivendi secundum vocationem suam, et qui visus est eis habere, timendum est, ne auferatur ab eis et inveniant manus suas vacuas in die tribulationis. Nam quos suis praedicationibus ad Dominum converti putant, sanctorum fratrum orationibus, qui in desertis locis sua et aliorum peccata plorant, ad Dominum convertuntur. Nam veris fratribus minoribus datum est a Christo noscere mysterium regni Dei, caeteris autem parabolis. Tot sunt enim qui libenter ascendunt, quod beatus erit, qui se fecerit humilem amore Domini Dei.

Venerunt autem fratres de Francia et narraverunt ei dicentes: quomodo fratres illis diebus nostrum solemnem virum Sanctae Theologiae magistrum receperant Parisiis, de quo fuerat magna aedificatio in populo et in clero. Audiens autem Beatus Franciscus suspicans respondit: timeo filii, ne tales magistri, qui suam conversationem ostendunt proximis operibus bonis cum mansuetudine sapientiae, quia tantum habet homo de scientia, quantum operatur ipse, et tantum est sapiens, quantum Deum et proximum diligit, et tantum est religiosus bonus orator, quantum ipse fideliter et humiliter bona, quae intelligit, agit.

Quidam magnus magister in sancta Theologia sanctus frater de Alemania venerat tunc ad Sanctum Franciscum ad videndum eum et volens certificari ab eo de intentione et intellectu, quem habebat in regula. Et quum diligenter didicisset et audisset ab ipso intentionem omnis regularis vitae sibi a Christo inspiratae et revelatae, tota mens ejus ita quietata est et consolata est verbis Sancti Francisci et

orationibus ac si ipsum Jesum Christum loquentem audisset et non hominem et humiliter in fine sermonis ejus flectens genua coram ipso ait: Promitto Deo nunc iterum in manibus tuis vitam et regulam hanc evangelicam juxta puram et fidelem intentionem, quam Spiritus sanctus per os tuum manifeste loquutus est usque in finem vitae meae, quam Christi gratia concesserit mihi, fideliter et pure servare. Sed unam gratiam postulo a te, quum si diebus meis eveniret, quod fratres in tantum a pura regulae observantia declinarent, quemadmodum tu per spiritum sanctum futurum esse pronuntias, quod propter ipsorum contrarietatem non possem eam libere cum ipsis juxta revelatam tibi a Domino sanctam et perfectam intentionem servare, quod de tua obedientia et licentia solus vel cum aliquibus fratribus possem recedere et illam perfecte servare. Quibus auditis vehementer gavisus est Beatus Franciscus et benedicens ei dixit: A Christo et a me concessum esse scias, quod postulasti; et posuit manum suam dexteram super caput ejus et dixit ei: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech! — Qui enim cum angaria portant suave Christi vitae et regulae jugum, filii carnis sunt et sanctam et piam regulae intelligentiam ad suum carnalem sensum semper inflectunt. Et sicut Israel secundum promissionem spiritus sancti natus spiritualiter et sancte vivebat, ita erit in vita et religione ista, quia filii carnis filios spiritus persequentur. Sed Deus, qui divisit filios Israel ab Aegyptiis in manu forti et brachio extenso, separabit filios veros regulae a filiis prudentiae carnis, hos in tenebris erroris et frigore cupiditatis et amoris proprii derelinquens; illos autem ad lucis divinae claritatis et seraphicae caritatis centiformem perfectionem introducens, conformes faciet corpori claritatis suae potestatis, quia potest subjicere sibi omnia. Erat itaque tempore Beati Francisci in fratribus quoad habitum et cohabitationem et obedientiam exterius apparentem unitas; quoad regulae puritatem, observantiam et amorem et intentionis fundatoris obedientiam et cordialem sequelam secretum seisma et magna diversitas. Aberat enim ab eis

idem sapere, eandem caritatem habere, unanimiter idipsum operari, nihil per contentionem et inanem gloriam facere; superiores se invicem reputare, non quae sua sunt quaerere, sed quasi fundatores, quae Christi sunt et consolationis et utilitatis aliorum et aedificationis mutuae.

Subtilitatibus philosophiae frater Elyas deditus qui secrete post se trahebat catervam subversorum a spiritu cupiditatis et vanitatis et sibi ipsi aperiebat lacum et fodiebat et quia seductus incidit et defecit. Nec intelligebat consilia et astutias et adinventiones Sathanae, quibus ignorans per alias vias et expediebat itinera et semitas dirigebat Christo in fundatore repugnans. Qui sua dignatione cuidam sancto et venerabili sacerdoti in Massa Trabaria rectori cujusdam plebis Domino Batholo nomine, cui et Sanctus Franciscus, propter suae sanctitatis excellentiam in omnibus et per omnia commiserat vices suas, mirabiliter revelavit. Erat enim vir valde discretus, consolator moestorum, misericordia, pietate et caritate plenus. Accedebant ad ipsum fiducialiter fratres tanquam ad benignissimum patrem et instructorem animarum suarum. Recipiebat enim fratres ad religionem et expulsos ac recedentes conciliabat et consilia humana sapientium et discordantia a perfectionis via et intentione fundatoris non solum inutilia sed infecta veneno mortifero divinis scripturis apertis et omnibus vitae exemplo monstrabat. Hic vir Deo gratus in excessu mentis suae, dum oraret, ad inferioris inferni loca, Christo jubente, deductus est, ubi vidit Luciferum in sede suarum poenarum stantem et in circuitu ejus omnes principales inferorum spiritus adstare. Quibus ipse tenebrarum princeps quaestionem cum querela proponens consilium postulando loquutus est dicens: Nova de mundi deserto recepimus ab his, quos ibi vice nostra tenemus non grata sed displicentia nobis valde. Apparuerunt enim ex insperato homines in mundo ipsum mundum cum carne et vitiis despicientes et conculcantes et jura et loca nostri dominii praeocupantes, a quibus, si non resistatur eis, multas injurias et damna patiemur. Quare cogitate diligenter quid contra eos facturi simus,

nam conditiones eorum ab his qui inde venerunt diligenter audire potestis. Et Lucifero jubente, vitam et perfectionem eorum recitare et referre coeperunt. Surrexit quoque daemon quidam magnus, qui contra Beatum Franciscum et suam religionem cum sibi subditis malignis spiritibus certamen singulare habebat et dixit: Licet, sicut princeps noster proposuit, multi noviter contra nos variis modis insurgunt, tamen quidam vir abjectae conditionis illiteratus et simplex cum quadam parva societate similium sibi in tanta spiritus fortitudine contra nos insurrexit, ut non tantum quasi homo, sed Jesus Nazarenus ipse personaliter in eo adversum nos confligere videatur. Non enim alicujus nostrae artis subtilitas aut nostrarum insidiarum quantumcunque vehemens insultus ipsum vel quemquam ex adhaerentibus ei potuit decipere aut subplantare, neque cum a dextris vel sinistris tendentes laqueos capere aut superare valemus. Sed quod dolorosius est, si qui de nostris fidelibus appropinquant eis, adversarios nostros et capitales inimicos constituunt. De eorum autem fidelibus nullum capere possumus. Facto quoque silentio inter eos singuli principum consilia iniqua et modos varios proponebant in medium, quomodo et cito de ipsis posset haberi victoria, quorum consulta causa brevitatis omitto. Sed cum de singulis viis tentationis daemones modos multos et varios protulissent et exempla produxissent in medium, quomodo per propositas vias de magnis et, ut putabant, inexpugnabilibus sanctis etiam insperatas victorias habuissent, secundus quidam Lucifero daemon post omnes ita alloquutus est: Quamvis subtilia et efficacia plura dixerint omnes, nullus tamen vestrum dixit vel cogitavit modum, per quem, si mihi credideritis, de ipsis praeclaram poterimus habere victoriam. Cumque omnes daemones hujus consilium et sententiam exspectarent audire, intulit dicens: Non poterimus de hominibus istis habere triumphum nisi omnis nostra industria, solicitudo, subtilitas et operatio convertatur, ut superbis, vaniloquis, curiosis, dolosis et fraudulentis et cupidis, invidis, praesumtuosis et fallacibus hominibus, quos cognoscimus esse nostros, suggeramus et

immittamus per omnem modum quem possumus desideria poenitentiae et cum eis Domino serviendi. Nam cum inter eos habuerimus partem nostram et quotidie augere studuerimus, ita conturbabimus eos et eorum religionem inficiemus et subvertemus vota, verba, mores et opera, et famam eorum foetere faciemus in tantum, quod foetorem inficientem eis appropinquantes in mortem exhalabunt et non odorem appropinquantes eis vivificantem in vitam emittent. Placuit sermo subversorii consilii ejus Lucifero et omnibus principibus ejus et ex tunc diffinitum est inter eos persequi totis viribus consilium ultimo datum. Deo autem permittente secreto et occulto judicii sui consilio concordes homines adinventionibus suis et conformes suis malignitatibus daemones impulerunt et ad intrandum illam religionem, quam principaliter odiebant et sibi magis consentiebant, totis viribus induxerunt. Quamvis enim a principio, quum solus Beatus Franciscus fratres recipiebat, non valuerunt daemones suae fraudis maligna perficere, eo quod cherubice illustratus spiritu sancto oculatus erat ante et retro, intus et extra; tamen quia multiplicatis ministris ubique terrarum perfectionis spiritus mensura carentibus necessaria ad tam occultas daemonum astutias praecavendas, et ministrorum unusquisque spiritus desiderio ferebatur sub specie salutis animarum et religionis dilatandae ad augendum numerum fratrum, multiplicaverunt gentem et non magnificaverunt laetitiam, plures perversos innocentibus sociantes. Qui de sua providentia confidentes affectabant regere et non regi de sensu suo et voluntatem regulam sibi ipsis et aliis arrogantius facere et non regulam suas mortificando voluntates humiliter observare. Et sic fundatori et caeteris simpliciter gradientibus labor et dolor et afflictio spiritus tepidis periculum, inquietis gaudium, malignantibus fiducia male agendi adaucta est. Et in tantum ante mortem Beati Francisci ista mala creverunt, quod ipse, qui spiritus sancti habitaculum erat nec sermonibus, nec exemplis, nec signis et miraculis curationis potuit adhibere remedium, sed orationibus propriis elegit pro securiori parte sibi ipsi et Deo

vacare et renunciare officio fratrum. Quod cum fecisset unus de fratribus dixit ei: Pater, ignosce mihi, quum omnia, quae tibi dicere volo, jam plures fratres consideraverunt, et ait: tu scis quemadmodum olim per gratiam Dei viguerit et manserit in statu paritatis et perfectionis tota religio, quomodo sicut universi fratres cum fervore et solicitudine in omnibus observabant humilitatem et paupertatem in parvis et pauperculis aedificiis, parvis et pauperculis libris et in vilibus et pauperculis vestimentis et sicut in his et in aliis exterioribus unius voluntatis erant vigilanter et solicite observare omnia, quae pertinent ad nostram vocationem et professionem et bonum exemplum, ita erant unanimes in dilectione Dei et proximi. Nunc autem a parvo tempore coepit haec puritas et perfectio dissimiliter variari. Imo multi fratres ex hoc magis quam supradictis credunt inde plurimum aedificari et ipsis videtur magis honeste per ista vivere et conversari. Unde jam quasi pro nihilo reputant viam simplicitatis et hujus paupertatis, quae fuerunt initium et fundamentum nostrae religionis. Quapropter haec considerantes credimus, quod tibi displiceant, sed plurimum admiramur si tibi displicent, cur sustines et non corripis? Beatus Franciscus dixit ad eum: Dominus parcat tibi, frater, quare vis mihi esse contrarius et adversarius et vis me implicare in his quae non pertinent ad officium meum! Et ait: Usquequo habui officium fratrum, et fratres manserunt in sua vocatione et professione, licet a principio meae conversionis ad Christum infirmus fuerim, cum parva mea solicitudine eis satisfaciebam ex verbo et praedicatione. Sed postquam consideravi, quod Dominus numerum fratrum multiplicaret quotidie et ipsi a via recta et secura, per quam soliti erant ambulare propter tepiditatem et inopiam spiritus coeperunt declinare, et per ampliorem viam sicut dixisti vellent incedere, non attendentes suam vocationem. Quare licet tempore quo renunciavi et dimisi officium fratrum in capitulo generali me excusarem, quod propter infirmitatem meam de ipsis curam et solicitudinem habere non possem, tamen dummodo voluntate Dei et mea fratres

ambulassent et ambularent, propter ipsorum consolationem nollem, quod alium ministrum haberent praeter me usque ad diem mortis meae. Quum ex quo fidelis et bonus subditus voluntatem sui praelati cognoscit et observat parvam solicitudinem praelatum de illo habere oportet, ideo tantum gauderem et consolatus essem de fratrum bonitate propter lucrum meum et lucrum ipsorum, quod si jacerem in lecto infirmus non gravaret me satisfacere eis. Et ut meum officium est spirituale, quo debeo dominari vitiis et ea emendare. Verum si vitiis dominare et ea emendare non valeo praedicatione et exemplo et regula, quae docet eos, nolo carnifex fieri ad percutiendum et flagellandum sicut potestates hujus saeculi. Quoniam confido in Domino, quia adhuc inimici invisibiles qui sunt castaldi Domini ad puniendum illos in hoc saeculo perpetuo qui transgrediuntur mandata Domini Dei, sument de ipsis vindictam, facientes ipsos corrigi ab hominibus hujus saeculi ad improperium et verecundiam ipsorum, et revertentur ad perfectionem et vocationem suam. Verumtamen usque ad diem mortis meae ex verbo et opere non cessabo docere fratres ambulare per viam, quam mihi Dominus ostendit et ego ostendi eis et informavi ipsos, ut sint inexcusabiles coram Domino et ego de ipsis et de me non tenear reddere rationem ulterius. Nos enim, qui cum ipso fuimus, qui scripsit regulam et fere omnia alia sua scripta, testimonium perhibemus, quia plura scripsit in regula et in aliis dictis suis de quibus fratres quidam fuerunt contrarii in vita sua, quae nunc post mortem ejus essent valde utilia toti religioni. Verum saepe dicebat sociis suis: in hoc est dolor et afflictio mea, quod ea quae cum magno labore obtines pro utilitate praesenti et futura totius religionis, et a Deo certificatus sum quod per ejus voluntatem sunt. Et aliqui fratres ex subtilitate et prudentia suae scientiae amaricant et sunt mihi contrarii dicentes: ista sunt tenenda et observanda et ista non. Configebant naturam ipsius et exasperabant eum et contraria Deo et sancto ejus sapiebant astutiis suis et adinventionibus et inobedientiis amaricaverunt eum in tantum, quod officio ministerii sibi a Christo et ejus vicario imposito renuncia-

vit in eorum capitulo, et secundum eorum vota et merita, sicut quondam Samuel Saulem filiis Israel, ita ipse dignum dignis Eliam alchimistam habere concessit. Quo facto, ita se totum adorationem convertit, quod absorptus in Deum alterius saeculi homo penitus videretur. Dolebant fratres sibi contraria sentientes et dolentes de rectitudine et puritate sermonum suorum et de ferventi zelo, quem contra mala jam disseminata in religione in suis eloquiis ostendebat, et libenter novicios et personas devotas eis non sinebant ad eum accedere, sed diversis modis et cautis pro posse impediebant eo, quod ventura omnia in religione usque in finem tam clare et tam manifeste praedicabat, cum detectione malorum praesentium tanquam si ea praeterita conspexisset. Igitur contra mala jam inveterata in religione et illa quae usque ad finem in ea oculo prophetico ventura cernebat, incessanter jejuniis et orationibus et gemitibus inenarrabilibus a Christo Jesu, qui omnia potest super nostrum intellectum et mentem, congrua et expedientia remedia postulabat apponi.

Cum igitur indesinenter precibus humilibus clamaret ad Deum, preces servi sui exaudivit altissimus et dictum est ei a Christo: Vade et secede XL dierum numero in loco deserto et juxta verbum meum, quod loquar ad te, ordinabis regulam tuam et secundum quod postulas brevia, clara et certa remedia dabo tibi, quae ponas, per quae transgressores arguentur sceleris in conscientiis eorum et coram Ecclesia mea. Secessit ergo et reclusit se in eremitorio fontis columbae in cellula, quae erat in praerupto saxo sub loco. Ad eum autem soli duo fratres, fr. Leo de Assisio et fr. Boniczus de Bononia, quos assumserat in socios, audebant accedere, ubi Christo solo revelante regulam scripsit, nil in ea de suo ponens, sed solum ea, quae Christus Jesus sibi coelitus revelabat in ipsa conscribens.

Tumultuant, dum Deo vacat Moyses iste Franciscus, frater Elyas cum sequacibus suis et quibusdam ministris et qui adversari ei palam non audebant, viro Dei fratri Leoni, qui regulam sibi a Sancto traditam conservabat, furtim seu

latentes subtrahunt et abscondunt, putantes tali modo sancti Francisci propositum impedire, ne juxta verbum Christi ad eum coelitus factum regulam Summo Pontifici praesentaret et eam faceret approbari. Intellexit vir sanctus invidiam daemonum — et ad Deum secundo accessit et aliam rursus quadragesimam Deo devotus consecrat, ubi Christo docente eisdem verbis regulam iterato conscribit. Interea diabolus incitat ministros diversarum provinciarum et simul conveniunt cum fratre Elya et querelam cum protestatione facturi audacter ascendunt. Stabant a longinquis et clamabant, causam se habere necessariam ob quam ad eum accesserant. Consueto signo vocat fratrem Leonem sanctus Franciscus et explorare jubet, qui essent fratres clamantes et cujus rei gratia venissent? Cui respondit frater Leo: Fratres venerunt ministri cum fratre Elia aliqua necessaria cum te conferre volentes. Dixit Sanctus Franciscus: dicant quae volunt et ego audiam; ad me autem non ingredientur. Steterunt ex adverso sub cella in loco, unde eorum vox clare audiri valebat. Et dixit ad eum in persona omnium frater Elyas: frater Francisce, isti sunt fratres audientes in suis provinciis, quod ad pleniorem vitae promissae observantiam in regula addere vel limitare decreveras. Venerunt tam pro se quam pro fratribus, qui sub eis sunt, denunciare tibi, quod eorum infirmitati superabunde sufficit jam promissa servare et quod condescensione et dispensatione super praemissis magis eget eorum infirmitas quam ad perfectiora super vires obligari. Quibus auditis, sanctus Franciscus dolore cordis tactus nullum dedit responsum. Sed mox cellulam ingressus ad orationis solitae conversus refugium expansis ad coelum manibus ad Christum ex toto corde clamavit dicens: Te sequutus sum in nullo contradicens — responde eis pro me et ostende quod tua sunt et non mea. — His dictis vox in aëre in persona Christi facta est miro modo super locum, ubi sanctus Franciscus orabat, dicens: hic est servus meus Franciscus, quem elegi et posui in eo spiritum meum et mandavi ei facere quod facit et scribere regulam, quam scribit, et vita et regula, quam scribit, est

mea et a me et non ab eo. Qui audit eum, me audit, et qui spernit eum me spernit. Et ego illis quos vocabo ad servandam hanc vitam et regulam, dabo spiritum et fortitudinem servandi eam. Et volo quod haec regula servetur ad literam, ad literam, ad literam. Quibus auditis cum stupore et admiratione redierunt singuli ad suas provincias et ulterius adversari in his quae coeperant destiterunt.

Completa autem regula sanctus Franciscus juxta sibi datum mandatum cum socio suo Leone accessit ad Dominum Honorium tunc Summum Pontificem, qui beatum Franciscum singulariter diligebat et precipuo venerabatur affectu, eo quod experientia certa didicerat Christi spiritum in eo plenarie quievisse. Laetatus Summus Pontifex in adventu Christi pauperis Francisci et benigne et caritative tanquam pius pater recepit eum et benedixit eum facie hilari et animo gaudente. Audit cum summa diligentia cuncta quae coram eo proponit ex parte Christi et postulat, accipit et conspicit quam scripserat regulam, considerat attentius et diligenter examinat. Inspectamque vigilanter et solerter examinatam ex verbo bonae memoriae sui praecessoris, Papae Innocentii de fratrum suorum Cardinalium consensu approbat et affirmat. Sed teste fratre Leone tunc praesente, quum diligenter et attente tunc Summus Pontifex conspexisset omnia, quae in regula continebantur, dixit beato Francisco: Beatus ille, qui hanc vitam et regulam gratia Dei roboratus fideliter et devote servaverit usque in finem, quia omnia, quae in ea scripta sunt, pia et perfecta sunt. Tamen illa verba decimi capituli vid. quod ubicunque sint fratres qui scirent et cognoscerent, se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant et possint recurrere; Ministri vero teneantur eisdem fratribus per obedientiam postulatam licentiam benigne et liberaliter eis dare; quod si facere nollent, ipsi fratres habeant licentiam et obedientiam eam liberaliter observandi, quia omnes fratres tam Ministri quam subditi debent regulae esse subjecti — possent esse non plene fundatis in cognitione veritatis et amore virtutum occasio ruinae et religionis divisio. Quare volo,

quod verba haec capituli illius mutentur, ita quod omnis occasio periculi divisionis et religioni et fratribus auferatur. Respondit ei Beatus Franciscus: Pontifex summe, ego ista verba in regula mea non posui sed Christus, qui omnia utilia et necessaria fratrum animarum saluti et bono statui et conversationi religionis melius novit, et cui omnia, quae ventura sunt in Ecclesia et in religione patent et praesentia sunt. Verum non debeo nec possum ea mutare, quia futurum est, ut ministri et qui aliis praeerunt in religione, multas et amaras tribulationes facient volentibus regulam literaliter juxta sanctam voluntatem observare. Quare sicut Christi voluntas et obedientia est ut regula et vita ista, quae sua est, literaliter servetur, ita debet esse vestra voluntas et obedientia, quod fiat et scribatur in regula. Tunc dixit ei Summus Pontifex: frater Francisce, ego ita faciam, quod plene verborum sensu servato taliter regulae literam in hoc passu mutabo, quod ministri se ad faciendum quod Christus vult et regula praecipit, intelligent obligatos et fratres ad servandam regulam se libertatem habere intelligent et nulla occasio saepe querentibus occasionem dabitur sub specie servandi regulam. Mutavit igitur Summus Pontifex clausulae illius verba dicentis: „Ubicunque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent se non posse regulam spiritualiter observare ad suos Ministros debeant et possint recurrere; Ministri vero caritative et benigne eos recipiant et tantam familiaritatem habeant circa eos, ut dicere possint eis et facere sicut Dominus servis suis. Nam ita debet esse, quod ministri sint servi omnium fratrum.“ Ut autem omnis haesitationis scrupulum beatus Franciscus a cordibus omnium fratrum amoveret, veritatem illius intentionis, quam habebat in religione sicut a Christo eam acceperat, in suo testamento circa finem suum apertissime declaravit praecipiens firmiter per obedientiam, ut non mitterent glossas in regula neque in verbis testamenti, dicendo: ita nolunt intelligi, sed simpliciter et literaliter, sicut Dominus dederat ei, pure et humiliter intelligerent et servarent usque in finem; benedicens omnibus ita servantibus et praecludens firmissimo

mandato viam impetrandi literas vel privilegia a curia Romana per se vel interpositam personam contra puram et literalem sibi a Christo traditae regulae observantiam.

Appropinquante denique hora transitus servi Dei humilis pauperisque Francisci, omnes fratres existentes in loco fecit ad se vocari et eos consolatoriis verbis pro sua morte adloquutus est et ad observantiam promissae vitae et regulae et divinum mutuum amorem et sanctae matris Ecclesiae Romanae et omnium clericorum viventium secundum formam ejusdem sanctae Romanae Ecclesiae reverentiam et obedientiam paterno affectu et efficaci sermone hortatus est, paupertatis, humilitatis, pacis et mutuae dilectionis possessionem successione haereditaria relinquens et legans ad Christi Jesu ardenter sectanda vestigia et mundi contemtum et odium efficacissimis et fidelissimis sermonibus inflammavit. Quibus circumsedentibus breve testamentum scribi mandavit, in quo omnis suae intentionis primae et ultimae sibi a Christo revelatae veritatem pure et clare tam eis praesentibus quam absentibus et venturis usque ad finem saeculi ad religionem conscripsit et fideliter et reverenter conservandum et servandum sub altissimi patris coelestis et benedicti filii ejus Jesu Christi Domini nostri et suae benedictionis obtentu cum omni qua potuit districtione mandavit, extensisque manibus in modum crucis super eos Jesu Christi stigmatibus insignatis cancellatisque brachiis omnibus fratribus praesentibus et absentibus in Christi Jesu crucifixi virtute ac nomine benedixit: fecitque vocari fratrem Bernardum de Quintavalle primum fratrem ad se ponensque dexteram manum suum super caput ejus coram omnibus fratribus benedixit ipsum cum cordali et singulari affectione et facta benedictione mandavit beatus Franciscus: Scribe sicut dico tibi. Primus frater, quem dedit mihi Dominus fuit frater Berenardus et qui primo incepit et implevit perfectissime perfectionem sancti Evangelii distribuendo omnia sua pauperibus, propter quod et multas alias praerogativas, quas dedit sibi Deus, teneor ipsum magis diligere, quam aliquem fratrem totius religionis. Verum volo

et praecipio sicut possum, ut quicunque fuerit Generalis Minister religionis ipsum diligat et honoret sicut me ipsum ac etiam alii Ministri Provinciales et fratres totius religionis ipsum teneant vice mea. Prophetavit etiam ipse sanctus Franciscus de fratre Berenardo, quod circa finem suum multis gratiis et donis a Christo Jesu deberet praeveniri et in mirabili pace et quiete corporis et animae de hac vita ad Christum securus et sancti spiritus unctione repletus transire sicut postea in suo exitu omnibus qui intererant fratribus claruit. Videntes denique fratres ipsius ad Christum in morte fiduciam et excessivam usque ad exspirationem devotionem, se a lacrimis continere non poterant, sed prae gaudio et admiratione dicebant: Vere non fuit cognitus sanctus iste. Post mortem vero intuebantur eum tanquam sanctum Dei gaudium et laetitiam quadam cum mira fragantia et singulari decore praetendentem, quam antea, dum viveret non habebat. Et delectabantur in aspectu ejus quia virtus quaedam jocundaus sic adstantes et intuentes egrediebatur de ipso et suavitate simul ac spirituali consolatione replebat. Adversus hunc virum Dei sanctum et perfectionis amore flammantem et alios sancti Francisci carissimos fratres et filios secundam persequutionem omnis boni inimicus ordinavit et movit.

Secunda persecutio.

Cum enim signatus ille angelus Franciscus, propheta fidelis in spiritu et virtute Eliae pauperibus hominibus missus, migrasset a saeculo magna jam parte spiritu fervidorum ad Christum praemissa, multitudo Ministrorum et Custodum in fratre Elya propter praeclaram scientiam et singularem prudentiam, quam videbant in eo unanimiter concordavit et omnes pariter post sancti Francisci transitum ipsum in rectorem et gubernatorem habere voluerunt. Qui generale officium ex concordi fratrum omnium electione suscipiens et liber, ut male putabat ab indiscreti fervoris excessu et impetu spiritus, quem in fundatore fuisse humano sensu et carnis prudentia judicabat, discordantia et adversantia his,

quae Sanctus dilexerat, fecerat et docuerat, audacter coepit facere et docere. Habuit quoque imitatores et fautores plurimos et invisibiles impulsores astutos et multos, quorum insidias et immissiones repellere et praecavere non solum negligebat sed suscipiebat spontanee et gaudenter implebat. . .

Tradidit itaque oblivioni frater Elyas et quasi parvi pendenda et conculcanda arbitratus est plurima de his quae viderat a viro Dei Francisco, et adulantium et adhaerentium ei sermonibus et errorum seductione Imperatoris et S. Pontificis et caeterorum praesidentium reputatione et favore elatus, qui existimabant eum scientia et naturali sapientia ac apparenti morum honestate singulariter cunctos excedere, consulta sui cordis proponere coepit omnibus fratribus ut certa et utilia ad salutem et ad faciendum possibilia et discreta. Supererant adhuc multi de sociis beati Francisci. Inter quos frater Berenardus et frater Caesarius de Alamania vir praeclarae scientiae et praecipuae sanctitatis, frater Angelus et Masseus et alii non pauci de quibus ego vidi et ab ipsis audivi, quae narro, qui ex toto corde revelata eorum patri ac duci et praemissa jam ex auctoritate Ecclesiae et roborata fideliter et pure servare satagebant, nec tacere poterant super ejus operibus et consultis deviis et dissonis a mandatis et traditionibus fundatoris. Dolebant igitur propter Dei offensam et animarum damnum et humilibus verbis et piis operibus patris eorum mandatis et exemplis cordaliter inhaerentes initiatas relaxationes et impuritates sequi non parvum periculum esse demonstrabant. Turbatur frater Elyas cum suis sequacibus et impatientiam et iram in mente conceptam ad tempus dissimulavit et simpliciter gradientes astute et mendaciter calumniis et querelis apud S. Pontificem, priusquam persequatur et opprimat, diffamat et obscurare excogitat. Et ut dolentibus et turbantibus de sanctorum pressura excusabilis appareat juste ex mandato pastoris et ad utilitatem sustinentium se talia agere et persequi facietenus ostendat: demum opportunitate captata accessit ad Christi vicarium, tunc Papam Gregorium, et ut moris est talium proposuit coram eo querimoniam

fictam et coloratam magnae sanctitatis discretionis et honestatis et Ecclesiae utilitatis totius religionis apparentiam praecedentis, dicens: Pater sancte, in omni multitudine praesertim simplicium plura frequenter per indiscretionem fiunt sub spe boni et fervoris spiritus, quae nisi corrigantur in tempore opportuno, radicata post tempus, quamvis levia videantur, magna mala parturiunt. Sunt enim inter nos aliqui fratres, qui in magnae sanctitatis reverentia propter societatem, quam habuerunt cum sancto Francisco habentur in populo et in clero. Hi se suo sensu regentes ruto sanctae obedientiae freno acephali hinc inde discurrunt et loquuntur et docent ea quae in totius religionis scandalum finaliter redundabunt; nisi per vestram paternitatem initiato jam malo remedium apponatur. Nam et conscientia cogente ea coram vestra Sanctitate proposui, quae libentius tacuissem, nisi grave aliquid scandalum per eos seminari formidarem, vel si per me caritativis et piis exhortationibus et correctionibus reduci et frenari potuissent. At S. Pontifex, vera esse quae proponebat firmiter credens, dixit ad fratrem Elyam: Vade et secundum spiritum et prudentiam tibi datam taliter hos fratres corrige — quod nullum ex eis vel per eos scandalum in religione valeat germinare vel cujuscunque contagionis aut discendi causa eorum exemplo simplicioribus et fideliter obedientibus detur. — Nam plurimum confidebat de fratre Elya propter magnam morum honestatem, quam videbat in ipso et singularem prudentiam et scientiam, qua putabatur fere omnibus religiosis illius temporis praeeminere. Latebat enim S. Pontificem quomodo sancto Francisco frater Elyas contrarius exstiterat et quae curiosa sectaretur et curiosis operam daret et secrete plerosque doceret, et quae adversantia et discordantia a regulari perfectione foveret et seminaret et quarum relaxationum et impuritatum actor et auctor existeret. — Ideo caecitate sui sensus concitatus et laqueo suae complacentiae compeditus et captus princeps persequutionis sanctorum Neronianae fratres finaliter gladio, quo sanctos fratres suos percusserat, percussit se ipsum cum sibi adhaerentibus et occidit.

Nam excommunicatus a praefato Summo Pontifice Gregorio propter sequelam imperatoris quam videbatur habere in eadem decessit ex culpa vel negligentia sui successoris fratris Alberti, qui litteras excusationis et satisfactionis ejusdem fratris Elyae mittere distulit; vid. frater Albertus de Pisis obiit et in saeculo quem habebat in tunica satisfactoriae ad Papam missae inventae sunt. Hoc modo retentae ad S. Pontificem non venerunt, sed decessit ut inobediens Ecclesiae et a religione simul cum sociis segregatus. Sed ad facta ejus redeamus.

Tanta igitur Pontificis auctoritate fundatus, quasi leo ad ovile reversus, assumit quosdam fratres per omnia suae voluntati conformes et minarum spirantes et caedis in discipulos humiles fundatoris. Jubet nemini pareere sed captos et disciplinis castigatos vinctos custodiri vel ante conspectum suum habitu privatos praesentari. Qui vinctos ante patrem furentem statuunt; exasperat injuriis et vituperat improperiis maledictis exprobat et tam crudeliter et dire tractari fecit, ut magis tyrannus et maleficiorum judex quam minister humilium servorum Christi et pater pauperum videretur. Mandat fratrem Caesarium de Alemania virum innocentem et per omnia sapientem et sanctum vinculis ferreis compeditum carceri mancipari et cuidam fratri laico moribus et natura crudeli ac ipsum fratrem Caesarium et socios cordaliter odienti custodiam ipsius committit, imponens eidem diligenter et vigilare ne fugeret et caute observare, ne quisquam ad loquendum cum eo accedere posset. Hyeme superveniente carcerisque ostio aperto remanente egressus extra carcerem frater Caesarius ambulabat. Quem quum frater ille laicus vidisset, putans eum fugere velle in furiam versus apprehenso fuste ipsum tam valide et dire percussit, quod de illius percussionis vulnere post modicum vir sanctus orans et dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quod faciunt, et gratias agens et Christo spiritum recommendans inter verba orationis mortuus est, — protomartyr. Eadem denique hora, qua anima ipsius exivit de corpore, Papa Gregorius in excessu mentis factus vidit

quandam animam cum magna gloria et corona martyrii ab angelis in coelum portari et stupens ad visa conversus ad angelum, qui sibi visionem ostendebat interrogare dicens: quis est iste, qui cum tanta gloria et corona martyrii scandit ad coelum? Cui angelus dixit: ista anima viri innocentis fratris Caesarii de Alemania, pro qua tu in die mortis tuae coram Deo habes reddere rationem, quia occasione tuae auctoritatis a fratribus suis occisus est. Hujus rei gratia S. Pontifex admiratione repletus pariter et timore conturbatus obstupuit et cum diligentia rei gestae veritatem inquirere coepit eadem hora. Et a fratre Elya et sociis se fuisse seductum intelligens in posterum praecavere ab eorum astutiis et a familiari eorum colloquio et singulari fiducia, quia de ipsis nimium confidebat, plurimum se subtraxit. Vocatisque ad se fratribus, qui cum eo tunc morabantur, manifestavit quoque eis quae viderat et allocutus est cum amaritudine cordis et animi indignatione dicens: Quid est, quod tam cito ab innocentia et rectitudine spontanee declinantes ad invicem caritate relicta insurgitis et mordetis alterutrum detrahentes? Heu quam celeriter a perfectione vobis tradita a patre vestro et a pietate et humilitate, quam in ipso vidistis coepistis declinare. Attendite vobis ipsis, quia quanto perfectior et sanctior est vestra vocatio, tanto deterior erit vestra subversio et lapsio et damnatio pejor et nunc et in futuro judicio. — — Fratre Caesario carceri mancipato frater Elyas ad puniendum reliquos se convertit. Quod ut sancti viri fratris Berenardi innotuit auribus, decernit pro meliori ejus furiae cedere. Solus in loco, in quo erat recedens ad montium deserta se transtulit et tugurium Deo pauperculum exstruxit in latere montis Sephri totus contemplationi deditus. Ubi a quodam fabro lignario, qui montem frequentabat ad suae artis necessariam materiam succidendam inventus et requisitus, quis esset, et cujus rei gratia in tam aspero loco lateret audita intentionis suae et propositi voluntate duobus annis caeteris hominibus manens incognitus, gubernatus est, fuga usus evangelica et conscientia fundatoris

donec frater Elyas a Papa Gregorio depositus et excommunicatus fuit.

Fratrem vero Simonem de Comitissa verborum contumeliis et misericordiarum conviciis corripiens timore parentum non tetigit, sed sub quibusdam legibus et statutis in quodam loco remoto ab hominibus inclaustravit. Duodecim vero alios fratres socios principales fratrum Caesarii et Berenardi habitu privatos disciplinis et flagellis castigatos cum reliquis, qui idem cum ipsis sentiebant diversis poenitentiis et duris punitionibus afflictos segregavit ab invicem et hinc inde dispersit.

Sanctus vero Antonius hujus tribulationis expers non exstitit. Quum enim de Cecilia ad visitandum reliquias Sancti Francisci venisset Assisium captus et exspoliatus a fratris Elyae sagionibus usque ad sanguinem flagellatus est. Qui verbera et flagella et contumelias pro hospitalitatis gratia patienter recipiens laudes Deo et flagellantibus benedictionibus respondebat dicens: Benedictus Deus, Dominus parcat vobis, fratres! — Sic frater Elyas, quia Dei virtutem et sapientiam per superbiam et proprii sensus confidentiam suscipere et imitari noluit in Francisco, ideo traditus est in reprobum sensum et infidelitatem et impietatem et obedientiae impatientiam in se et in religione recepit et sparsit semina et amarae messis in posteros initia.

Duravit enim ista secunda vexatio seu tribulatio usque ad elevationem fratris Johannis Parmensis Generalis Ministri, qui operibus, sermonibus et affectibus cum Sancto Francisco in omnibus et per omnia concordavit. Licet enim Papa Gregorius fratrem Elyam deposuerit a ministerio et excommunicaverit, non tamen propter hoc tribulatio illa ex toto cessavit. Verum Custodes cum fratre Elya sentiebant nec per illum processum S. Pontificis animum mutaverunt, sed fratrem Elyam amabant prius et imitatores illius paupertatis et humilitatis, quam sanctus Franciscus servavit et docuit, ingeniose et astute affligere et infamiis et detractionibus obscurare non destiterunt usque ad praedicti Generalis Ministri adventum. Quam tribulationem invidia illius, qui de coelo ruit, in or-

dinem suscitavit, et qui passi sunt eam socii fundatoris frater Aegidius et Angelus, qui supererant me audiente referebant.

Sancto Francisco successit Elias, Eliae Albertus, qui pauco tempore vixit. Alberto Johannes Parmensis Beatus, qui in confessione paupertatis et humilitatis vere gloriabatur et ad sectanda vestigia patris sui totus aspirabat. Cui successit Aymo, angelicus vir, literatus, sanctus, prudens et humilis, qui bona plurima, quantum in se fuit et in ordine fecit. Quo decedente frater Crescentius de Marchianconitano frater et generalis, sub quo tertia persecutio initium et finem habuit.

Tertia persecutio.

Ex infidelitate et praesumtione et confidentia et irreverentia Christi sensus et inobedientia fundatoris orta est persequutio prima. Ex his subsequentibus falsitas, fraus, ira, impatientia et crudelitas germinaverunt imperfecte — e quibus omnibus tempore hujus fratris Crescentii, qui praedecessoris sui fratris Eliae sectatus est affectus et mores, quaedam insatiabilis cupiditas sciendi, appetendi, habendi, acquirendi, mutandi loca solitaria paupercula et aedificandi sumtuosa, procurandi legata et sepulturas et clericorum jura subripiendi, addiscendi scientias saeculares et in his scholas multiplicandi suborta crevit in tantum, ut non erubescerent fratres pro suis votis implendis palam pecuniam procurare et recipere et litigia in curiis contra quascunque personas aliquid eis debentes facere et movere. Et in tantum plura inconvenientia statui promissae perfectionis et enormes relaxationes multiplicari coeperunt, quod fratres, qui intelligentiam et zelum habebant de obligatione et observantia voti regularis et de periculo salutis animarum, coram Deo esse reos aeternae mortis debitores, si tacerent de his, quae fiebant, vehementer formidabant. Considerantes igitur totius religionis periculum et irreparabilem lapsum et Dei injuriam et offensam, Generali Ministro et caeteris, qui fratribus praeerant nimis rationibus et efficacibus exemplis et argumentis tam in eorum capitulis quam in secretis et publicis collationibus magnitudinem et enormita-

tem eorum, quae faciebant, moerenti animo pariter et ferventi, curam ponere et ad remedium apponendum efficaciter induere eosdem irrefragabilibus rationibus non cessabant. — Erant enim in illis diebus in religione viri incomparabiles scientia et divina vita, virtute et sanctitate praeclari, ex quibus plures in vita et in morte miraculis claruerunt. Nec non et de sociis Sancti Francisci principalibus supererant plures qui dolebant et gemebant super inundantiam malorum et relaxatione enormi a perfectione promissa. Insuper contristabantur pariter omnes, quod nullum dabant sanctorum fratrum suorum admonitioni seu correctioni auditum, sed displicentia et odium adversus salutem et perfectionem eorum amantes concipiebant et detractionem pro dilectione rependentes ad faciendum et docendum promte et gloriantes contraria promissis et fratrum suorum votis secrete et publice conabantur. Videntes igitur nihil perficere et considerantes, quia ex verbis eorum pejores fiebant, et quia pro vera et pura observantia regulari introducebantur quaestus enormes, mutationes locorum et aedificationes intra civitates et castra cum scandalo cleri et populi, quod oratione relicta Aristotelis curiosam et sterilem sapientiam divinae praeferebant et naturales et dialecticos magistros audire avidius sitiebant, et scholas scientiarum harum habere et multiplicare ardenter procurabant, et quod haec et his similia quasi pro nova inspiratione et perfectiori et utiliori modo vivendi tam majores quam minores indifferenter suscipiebant et quasi communiter praedicabant, exceptis paucis ex spiritu doctis, recurrere ad Romanam Ecclesiam et S. Pontificem necessarium decreverunt. Habito igitur consilio prius cum sociis Sancti Francisci, qui tunc vivebant et matura deliberatione praemissa, fratres scientia et sanctitate caeteris eminentes electi sunt, qui S. Pontifici et sacro Cardinalium collegio coram proponerent omnia et singula, quae in religione fiebant. — —

Interea Generalis Minister propositum et deliberationem fratrum eorum, qui pro sincera et fideli observantia promissorum zelabant, sentiens timuit, ne per eos excessus enormes, qui

fiebant et excusari non poterant, notificarentur Ecclesiae et S. Pontifici et cogerentur ab Apostolica sede redire ad promissorum suorum certas vitae vias servandas. — Convocata ministrorum per eum fratrem, qui idem cum ipso sentiebant et viriliter impellebant ad impuritates et relaxationes praefatas, plurima multitudine, quid agendum esset contra ipsorum fratrum propositum et deliberationem secrete quam valuit ab eis consilium requisivit. Habebat autem generalis minister socium quendam juris peritum nomine Bonadiem fratri Petro Stacie et bene cortesio per omnia similem. Cujus consilio post deliberationem habitam in communi acceptato — confestim, celeriter et occulto quantum potuit cum suis sociis et praedicto fratre Bonadie, qui fraudes bibebat et mendacia quasi aquam — accessit ad S. Pontificem, et falsa et veris similia, ut decipiat et seducat, cum singulari morum honestate ei proponit. Asserens se habere in quibusdam provinciis fratres aliquos, quoad nomen et apparentiam exteriorem et oculis secularium sanctos, quoad vero rei veritatem superstitiosos, superbos, inquietos, inobedientes et novitatum audaces assertores et praesumtores, quorum correctioni salubria remedia, propter tumultum et conturbationem personarum eis devotarum absque vestra licentia et obedientia sancta apponere distuli, quod in hoc negotio sicut in aliis omnibus teneor, vestrae Sanctitatis consilio utar. —

Quibus auditis, S. Pontifex et quae proposuerat coram eo vera et fidelia esse firmiter credens cum suae benedictionis gratia plenariam potestatem et liberam concessit auctoritatem puniendi et corrigendi hujusmodi inobedientes pestiferos et scismaticos fratres. . . . Auctoritate firmatus sicut secrete et celeriter ad Papam accesserat, ita celeriter et occulte recedit. Et auctoritate papali munitus astute et sagaciter praeoccupari fecit itinera et passus ubi transire debebant praefati fratres 62 fiducialiter et simpliciter incedentes et jam itineri assistentes, ut se S. Pontifici praesentarent. — Excogitatique modi quibus impediri possent et taliter detineri, quod nullus eorum posset evadere et ap-

parere coram S. Pontifice aut aliquo Cardinali aut per interpositam personam vel litteris causam, pro qua ibant, vel suas conscientias intimare, simul omnes pariter ita dctenti sunt, quod nullus eorum potuit aliquid de his, quae conceperant, effectui mancipare. Capti igitur et severe tractati afflictionibus et contumeliis diversis et variis opprimuntur, tum segregantur ab invicem et cum litteris diffamatoriis tanquam viri pestilentes et ordinis destructores... et caute cavendi bini et bini ad singulas quasque ordinis remotiores provincias diriguntur, sub certis poenis mandantes eisdem, quod se prae ministris provinciarum, ad quas tanquam ad perpetuum exilium et suae impuritatis condignam punitionem mittebantur infra tempus certum praesentare se deberent eisdem. — Quo facto ad caeteros eis adhaerentes cum maxima indignatione et maleloqua viperea lingua tribulandos et affligendos seposita pietate convertuntur et diversis modis se de innocentibus nocentes vindicant.

Deus autem coeli, cui omnia displicent, quae tyrannice fiunt, tribulationem et dispersionem praedictam sanctorum fratrum in bonum ipsorum et totius religionis convertit. Nam quamvis in principio fratres, ad quos cum talibus litteris missi fuerant, nimium eos suspectos haberent et tanquam labe haereticae pravitatis infectos vitarent — verum — processu temporis in tanta reverentia sanctitatis et admiratione perfectionis virtutum et morum sunt habiti, ut omnis malae suspicionis opinione rejecta ad eos certatim currerent fratres — cupientes eorum moribus conformari et audire sermones. — Dolebant de injuria eis daemonum invidia illata in inflexibilem eorum patientiam et insuperabilem constantiam recogitantes perfectius aedificabantur. Fuerunt enim illi 72 fratres viri mirabiles omnes. Inter quos frater Symon de Assisio fuit per omnia sancto fratri Berenardo similis in moribus in contemplatione et sermocinatione et in caeteris virtutibus. Frater Matthaeus de Monte Rubiano, Jacobus, Manfredus, Lucius et caeteri hujus tribulationis tertiae participes. Disponente autem Deo frater Crescentius Generalis Minister eligitur in Eginum

Episcopum et libenter electionem acceptat et festinantius confirmationem procurat.

Post haec congregantur fratres in suo capitulo generali et unanimiter omnes concordant habere in generalem ministrum fratrem Johannem de Parma, scientia et sanctitate praecipuum. Qui mox eadem die, qua electus est, vocato ad se scriptore dictavit efficaces et pias epistolas continentes compassivum et sincerum affectum et reverentem et benevolum animum, quem gerebat ad fratres illos, qui in diversis provinciis per suum praecessorem tanquam heretici fuerant exilio perpetuo deputati; veris laudum praeconiis commendandos eos illis provinciarum fratribus, apud quos fuerant injuste diffamati, et zelum pro quo passi fuerant laudans et approbans absolutos a decreto iniquae sententiae ad suas eos provincias revocavit. Dolent fratres illi a quibus recedunt; — redeunt viri, Jesum Christum in corpore et anima sancte et devote portantes. Sub solari viro fratre Johanne laetabantur omnes et gaudebant, qui consolabatur moestos, corripiebat inquietos, suscipiebat infirmos, fovebat debiles, simplices familiariter et laete erudiebat, tentatos faciebat inimicos vitiorum et amatores virtutum, sapientes exemplo vitae et verbi virtute ad humilitatis et caritatis virtutem habendam et possidendam animavit. Socii Beati Francisci, qui tunc supererant frater Aegidius et alter Aegidius Masseus et Angelus et Angelus Leo et caeteri laetabantur et gaudebant, quod in ipso Sanctum Franciscum in spiritu resurrexisse cernebant. Gratias agimus tibi Domine, dicebant, quod recordatus es nostri. Frater vero Aegidius cum impetu spiritus ut futurorum praescius dicebat: Bene et opportune venisti, sed tarde venisti. Hoc autem dicebat frater Aegidius, quod impossibilem intelligebat esse reductionem fratrum ad primae et sanctae conversationis solida et secura per Sanctum Franciscum initiata primordia, ad quae fratres revocare frater Johannes totis viribus adspirabat. Videbat enim quod fratres omnes communiter dimissa obedientia et operatione fideli regulae jam promissae curiositate et amore scientiae animum de-

derant, cum non collectione verborum sed fidei operatione Dei amor et cognitio comprobetur. Et amore sciendi primus homo inobediens factus visionem Dei et innocentiam et scientiam supernaturalem et gratiam immortalitatis perdidit et per fidem reductus est ad gratiam et non per dialecticam, geometriam et astrologiam. Gratia enim Dei salvati sumus per fidem.

In primis igitur tribus annis suae administrationis frater Johannes de Parma, tunica una et habitu de vili panno contectus, quod et servavit usque ad ultimum suae vitae terminum, totum ordinem visitavit, nunquam asini aut equi vel currus vectura usus, uno contentus socio vel servo ad plus tam despectus et humilis incedebat, ut salutaret, ut contigit casu obviantes magnates, resalutatione videretur indignus: nec suum a fratribus praesciri permittebat adventum, sed ut simplex frater ingrediebatur loca fratrum et nullatenus nomen aut officium a sociis manifestari sinebat. Nec cujuscunque itineris labore fatigatus jacens aut sedens aut reclinatus ad parietem horas canonicas Deo persolvebat, sed erectus et capite denudato ut plurimum semper communem vitam sequens, uno tantum contentus pulmento quantumcunque insipido et vili ei primo apposito. De quibuscunque supervenientibus, etsi propter apparentiam gustabat aliquid, tamen ea vel aliis praesentabat, vel ut apposita fuerant, relinquebat, „sapit aut desipit, hoc vel illud appeto“, nunquam dicens. Ita frenavit linguam, ex quo religionis habitum sumsit, ut de ore suo se conscio non fuerit usque ad mortem verbum odiosum egressum. Et asseruit in morte se potius formidare de his quae tacuerat, quam de his quae loquutus fuerat, coram Deo reddere rationem. Nam missus ad Graecos septimo administrationis suae anno, ut legatus a S. Pontifice, in tantum ab Imperatore et Patriarcha et religiosis eorum et cum clero et populo est habitus reverentia et existimatione sanctitatis vitae et divinae sapientiae, ut non se putarent hominem quempiam prudentem et eruditum videre, sed unum de antiquis patribus et doctoribus, vel aliquem de Christi discipulis. Nempe omnis

concordia et unitas, quae primo cum Papa Clemente et postea cum Papa Gregorio tractata et patenti confessione in concilio generali ex parte Imperatoris et Graecorum ostensa et publicata est, initium et originem traxit a fratre Johanne et sociis, cujus principalis socius frater Gerardus, cum in foro Constantinopolitano praedicaret, in coelum suspiciens ad modicum substitit et laerimis perfusus ad populum conversus dixit: modo aquila capta est. Et se ipsum explicans ad populum conversus denuo ait: Modo Rex Franciae vir sanctus Ludovicus captus est. Orate Deum pro liberatione ipsius et salute omnium, qui cum eo sunt. Annotaverunt diem et horam et ipsa eadem die et hora a Saraeenis captum tunc Sanctum Regem Ludovicum fuisse repererunt. Hoc ego semel et secundo et tertio audivi a venerabili et verecundo viro Episcopo Bonduniciae, qui tunc ejus praedicationi praesens erat et diem et horam signavit et cum caeteris reperit. Hunc cum misisset fratrem frater Johannes ad visitandos fratres provinciae Romaniae, Venetorum navis portabat sub hoc pacto, quod ipsi ponerent eum in portu Coroni. Cumque navis venisset ad conventionis locum rogabat eos frater Gerardus quod juxta promissum ponerent eum in loco praefato. Nautae vero prosperum habentes tempus propter magnum damnum et periculum se promissum implere non posse firmabant, quod vir Dei audiens secessit ad modicum et oravit, statimque miro modo audivit Deus orationem servi sui et contrarium ventum misit, quo coacti applicuerunt ad locum promissum ac ponentes eum in scapha miserunt in terram. Ipse vero nautis, qui portaverunt ipsum, dixit: redite cito et patronis dicite navis, quod iter suum faciant, quod hic ventus naturalis non est, sed missus est a Deo ut praelati mei obedientiam compleam. Qui audientes verbum et maris adspicientes undas cogitaverunt ita esse et ancoras, quas projecerunt sustollentes perrexerunt iter suum. Ipsi autem nautae et Dominus Raphael Natalis cum ante locum illum navigaremus pro magno miraculo referebant, quod ibidem de illo fratre contigerat.

Similes sibi socios vir sanctus studebat habere, ut ejus sanctae conversationis eorum bonum fratres quos visitabat posset attrahere. Fecit quod debuit et studuit, quantum possibile ei fuit, illis novem annis, quibus ordinem rexit ad amorem et observantiam perfectionis promissae inducere et reducere omnes pariter quos regebat. Demum cum cognovisset post multorum laborum experientiam, quod impossibile erat ordinem in communi ad evangelicae illius perfectionis operationem et vitam, quam et regula mandabat, reducere, congregato generali capitulo Romae renunciavit officio asserens, se nullo modo salvo testimonio conscientiae tolerare posse, quod sub sui ducatus vexillo tot et tam graves excessus fierent, qui inundabant in religionem et quotidie augebantur, praesertim cum viderim et experientia certa sciam, quod obfirmata facie et obdurato corde, exceptis paucis fratribus ad majores excessus et magis apertas transgressiones ex deliberatione irrefrenabiliter curritis. — — Sed cum animarum vestrarum periculo incorrigibiles facti semper ad pejora defluitis. Et cum omnia quae fiebant contra omnia capitula regulae particulariter eis et efficaciter declarasset, adjunxit: De me igitur quantum ad regimen et ducatum nullam spem in posterum habeatis, sed eligite vobis hominem, qui vestris affectibus moribusque concordet. Videntes autem fratres propositum suum et deliberationem, rogaverunt ipsum omnes unanimiter, quod saltem de uno idoneo et sufficienti daret eis consilium, cum omnium fratrum totius religionis plenam haberet notitiam, qui pro magis idoneo et sufficienti ad eorum regimen assignavit eis fratrem Bonaventuram ac consenserunt audito consilio fratris Johannis omnes in fratrem Bonaventuram et factus est generalis, sub quo quarta persequutio initium habuit.

Frater Johannes erat vir ardentis animi et observantiae perfectionis promissae zelator, operator et praedicator ferventissimus et apertus, neminem palpans, et quia lapsum, quem fecerat ordo in omnium documentis et rationibus veris et solidis palam et etiam indesinenter omnibus ostendebat, indignationem odio implacabili junctam conceperunt adver-

sus eum et ejus opinioni et sermonibus adhaerentes nec portabant pacifice sua dicta. — Pretiosa et mollia et duplicata vestimenta habere procurant et paupertatem et vilitatem vestium amantes et regularem observantiam praedicantes ut indiscretos et sanctitatis ostentatores judicant et hypocritas appellant. Officium jam pluries detruncaverunt licentiam a curia subtrahentes, causas apparentes potius quam assistentes allegando. Nam corda desideriis variis et occupationibus et distracta et gravata et obscurata habentes ... ipsas horas vix cum taedio et cordis dispersione persolvunt ... Cum sapientibus et clericis litigia pro cadaveribus et sepulturis et testamentis et legatis innovant ... Et hoc ipsum pro similibus causis cum saecularibus tanto audacius faciunt, quanto magis eos ut minus intelligentes securius vilipendunt. Omnibus modis denarios et pecuniam procurare, petere, recipere et mendicando quaestuare (student). — Et timoris Dei et compunctionis salutaris extincto spiritu insensibiles facti ab amore professionis et veritate cognitionis suae nihilitatis et vilitatis tanto longinquiores fiunt, quanto suae commendationis et laudis praeconia ardentius ambiunt. — Ad dignitates et ecclesiastica beneficia aspirare perfectionem reputant. Ad meditandas corporales delicias anxie se convertunt; mercatores fiunt; ad quaestus vigiles et ad acquirendum et congregandum insatiabiles, ita indifferenter quaecunque ac a quibuscunque oblata recipiunt, nec ulla incerta rapina refutatur; apparere boni et sancti magnopere quaerunt, sed esse non satagunt. Rediens semel quidam lector nostrae provinciae ab urbe referebat lectoribus quibusdam et fratribus in communi, quomodo frater Johannes Romae fratribus praedicans tam dure contra omnem statum et praecipue contra fratres dixerat in sermone, quod nunquam pepercissent fratres de Marchia alicui fratri talia proferenti. Lectores autem illi, qui hoc audiebant referenti dixerunt: quare magistri qui erant ibi non improbaverunt dicta ejus? Quibus ille respondit: fluvius igneus egrediebatur de ore ipsius et obstupuerunt magistri. Dicebat etiam ipse frater Johannes, quod testamentum et regula substan-

tialiter idem sunt et quod fratres debebant in summa reverentia habere testamentum.

Quarta persecutio.

Frater Johannes multum vituperabat delarationes alias a testamento et admonitionibus Sancti Francisci sibi fieri super regula postulantes, tanquam certitudinem verae intelligentiae regularis in dubium reducentes et ad suae tepidae voluntatis desiderium videntes contra patris sui mandatum et obedientiam amplectentes. Ideo ipsius sensum et verba moleste portabant. Et captata alterius quaestionis occasione ipsum et socios ejus principales quaestionem illam assumentes et defendentes tanquam haereticae pravitatis labe infectos persequuti sunt et severe punierunt. Affirmabant enim Abbatem Joachim de trinitate Dei et unitate essentiae catholice et pie sensisse et nil contrarium sanctis vel diversum ab eorum intentione et doctrina scripsisse et quod Ecclesia et decretalis Innocentii Papae non damnabat eum nec suam doctrinam in respectu ad suam positionem et assertionem, quam fecit illius questionis, sed improbat libellum, quem contra M. Petrum composuit credens, eum erronee et non sane sentire de illa quaestione, quod non erat verum, quare libellus ille damnatus prout diffamatorius erat magistri; verum sententia, quam ponit pro magistro decernens, non est contraria Joachim, sed est illud, quod Joachim dicebat; quia M. Petrus non sentit contraria sanctis, prout Joachim concludebat ex verbis ejus, quod probabat ex auctoritatibus Hilarii, Ambrosii, Augustini et ex decretis conciliorum, quae omnia latissime et diffuse praefatus Joachim inducit et ponit in libris suis ad comprobationem opinionis illius, qua ipse Magistrum et alios multos contra rectum et catholicum doctorem et Ecclesiae sensum tenere asserebat. Ex hac secunda causa apparenter moti sunt fratres et provocaverunt fratrem Bonaventuram ad examinandum fratrem Johannem et socios suos de fide. — Defecit autem frater Bonaventura in hac parte teste ipso fratre Johanne non parum, quia conferens de praefata questione una simul cum ipso in cella concordabat ostendendo se idem cum ipso

sentire, in conspectu vero fratrum in communi oppositum se sentire monstrabat. Et ex hoc multum timebat frater Johannes, ne tanquam hoc hominibus displicere timens in displicentiam inciderit Dei impugnando cognitam veritatem. Fuit autem ratio tertia persequutionis duorum sermonum conscriptio facta a duobus quibusdam fratribus Johannis sociis, quorum primus per excessum et ut ita dixerim sine sale laudabat Abbatis Joachim doctrinam pariter et sermonem. Secundus vero in suo sermone omnes principales passus suae scripturae et ad commendationem regulae et Sancti Francisci et ad declarandum evangelicae vitae ejus institutionem, depravationem et revocationem, inducebat et lapsum et praevaricationem ostendendo praecipue praelatos tangebat et principaliores principalius, quem librum frater Bonaventura legens suspirasse et lacrimas effudisse dicebatur, quia cognovit, quod de ipso singulariter posset intelligi.

Quarta ratio dici potest divini consilii imperscrutabilis altitudo, qua concluduntur omnes Adae filii a primo usque ad ultimum sub peccato, ut omnium gratis misereatur Deus. Verum revelationis sancto Francisco factae de lapsu fratrum a perfectione promissa et de reformatione ultima et fratribus aliis primis Aegidio et Jacobo et fratribus Hugoni et bono Romeo et caeteris misericorditer a Domino praeostensae ad hoc concurrunt. Nam exceptis his, quae superius dicta sunt, sanctus Franciscus tam distincte praedixit malum post eum suis comitatoribus in religione intra et ab extra ventura, quod etiam excommunicationes contra eos ab aliquo S. Pontifice fiendas prophetaverit, et quod beatus esset, qui in tribulationibus et contradictionibus supraventuris et suscitaturis sectatoribus viae et vitae sibi a Domino revelatae a daemonibus et hominibus non scandalizaretur et fixus in ea fide et patientia permaneret. Sanctus Aegidius revelationibus certis et clarissimis illustratus denunciabat omnibus dicens: debellatio facta est, et repugnandi neque virtus neque tempus neque consilium est, sed beatus qui sedens ad ostium et latens animam suam salvare

potest. Frater Berenardus multis praeventus gratiis a divinis fulgoribus illustratus ait: de gradu ingradum usque ad septimum religio corruet et non respirabunt, qui in secundo gradu erunt ut revertantur ad primum nec qui in tertio ad secundum, nec qui in quarto ad tertium, nec qui in quinto ad quartum, nec qui in sexto et septimo ad quintum, sed semper erit ad pejora prolapsus, donec miraculo grandi et stupendo reparatio per illum, qui aedificat, et reformatio per illum, qui creavit et fundavit, fiet. (Jacobus de Auximo vidit leprosum quendam custoditum in coelo a S. Francisco, i. e. ordinem ab eo fundatum.) Frater Jacobus alter de Massa, cui Deus aperuit ostium secretorum suorum, quomodo frater Aegidius de Assisio et Marcus de Mantua nullum cognoscebant nec opinabantur in mundo majorem, cum quibus frater Juniperus et Lucidus idipsum sentiebat, quem dirigente me fratre Johanne socio fratris praefati Aegidii videre laboravi. Frater Jacobus circa initium ministrationis fratris Johannis de Parma semel raptus tribus diebus insensibilis mansit in tantum, quod fratres dubitare coeperunt, ne mortuus esset. Huic scientia et intelligentia scripturarum et futurorum cognitio divinitus data est. (Visio ejus.)

Frater bonus Romeus tres partes de ordine fiendas in fine praedicavit. — Frater Hugo prophetice ista in Lugduno praedixit: Papa cito de hac vita subtrahetur et passagium non fiet, terra Christianorum ultra mare perdetur. Ancona in desolatione erit, ordo Templariorum destruetur. Frater Bonaventura ad gradum altiorem non ascendet. Ordo fratrum minorum dividetur, ordo fratrum Praedicatorum aspirabit ad possessiones. Surget ordo — — tantae perfectionis ut omnis praeterita fratrum Praedicatorum et Minorum perfectio ei comparata vilescet et quasi nulla apparebit.

Frater Johannes tria principaliter pronunciabat: 1) in spiritu fundatoris sub observantia regulae testamenti pura et simplici fiet reformatio. Unum oppositum, quod divisio fiet inter illos qui volunt testamentum et regulam observare, et eos qui volunt vivere cum privilegiis et declarationibus,

quas sibi procuraverunt. Sed tunc quando hoc impleatur, conflictus secundus linguarum fiet et tangentur fistulae dogmatum et post hoc dispersio et post dispersionem congregatio sanctorum pauperum tertio erit. Illam vero congregationem visitabit Deus lumine suo et de agendis certificabuntur, et ex tunc reformatio et reformationis modus erit eis patens et clarus. Denique unum ex tunc sapient omnes et idem sentient et unanimiter studebunt ad perfectiora consurgere. Et non quaeret unusquisque quod suum est, sed quae Jesu Christi et majoris laudis ejus et profundioris humilitatis et altioris paupertatis et pacis, omnes enim et singuli quaerent et sapient, quae sursum sunt et non quae super terram.

Quum igitur frater Johannes praevaricationes ordinis non tacebat et reformationem annunciabat et praedicebat et Joachim ita sensisse probabat pro secundis duobus existenter, pro ultimo vero apparenter et existenter; frater Bonaventura et caeteri ministri et consultores ejus determinaverunt et diffamaverunt omnes unanimiter inquisitionem facere de fratre Johanne et sociis ejus tanquam de hominibus qui in periculum ordinis et suarum animarum detrimentum et damnationem et si non resipiscerent in fide catholica male sentirent. Et convocatis primo duobus principalibus sociis fratris Johannis, quorum quilibet erat non mediocriter eruditus in scripturis, Leonardo et Gerardo, coegerunt eos jurare et de interrogatis veritatem puram et simplicem respondere, de pluribus autem articulis eos interrogantes et de aliquibus sententiis, quas in tractatibus quos fecerunt responsionem quaerentes quia non inveniebant utrum possent eos de aliqua haeretica pravitate convincere, volverunt eos ad respondendum de quaestione illa essentiae divinae propter quam libellus ille Abbatis Joachim reprobatus est. Ad quod respondentes dicebant: se de illa quaestione tenere id quod doctores Ecclesiae et sacra concilia determinant et quod Joachim non tenuit nec docuit aliquid diversum a doctrina Sanctorum et Ecclesiae. Erat frater Gerardus memoriae tenacis et disertae linguae et

acuti intellectus et flumen auctoritatum Sanctorum egrediebatur de ore ejus et non poterant eum convincere rationibus nec auctoritatibus Sanctorum. Praeterea cum multa mansuetudine et humilitate dicebat eis: ostendite si potestis ex Sanctorum dictis et conciliorum decretis robur aliquid habere, quae dicitis! — Et cum non possent ei satisfacere nec scirent, dixerunt ei, quod ipse simpliciter debebat credere secundum quod ordo communiter tenet et non plus velle sapere quam oportet. Quibus ipse respondit: quum multos alios docuerim in divinis non implicite sed explicite teneor fidem et ea quae sunt fidei confiteri. Dixerunt ei fratres: quod Ecclesia et Decretalis dicunt, confitemur cum Petro et damnamus Joachim. Respondit: et ego cum Ecclesia et cum Petro Lombardo confiteor omnia, quae sacri doctores et canones sanctorum conciliorum de hac quaestione et de aliis omnibus docent et definiunt. Videntes autem fratres, quod fixus in sua sententia maneret, tanquam haereticum eum et socium ejus carcerari perpetuo damnaverunt. Ingressus vero carcerem dixit: In loco pascuae me collocavit. Ubi stetit 18 annis cum tanto gaudio ac laetitia ac si omnibus deliciis ibi continue frueretur absque omni librorum solatio et colloquii fratrum et confessionis et sacramentorum vivens tanquam haereticus et excommunicatus in fine caruit ecclesiastica sepultura. Sub eisdem sententiis et poenitentiis frater Leonardus vixit et mortuus est. Post tempora plura frater Petrus de Nubilio, qui noluit quendam tractatum dare fratribus, quem fecerat frater Johannes, similiter in carcere mortuus est. Vocatus autem fuit frater Johannes post praefatam sociorum suorum excommunicationem et damnationem a fratre Bonaventura ad capitulum seu congregationem discretorum et principalium fratrum, quam fecerat in castro Plebis — — Venit frater Johannes, cogitur jurare tanquam de haeresi suspectus, inquiritur sapiens a non sapientibus. — Sancto spiritu repletus ab indevotis examinatur. Tunc enim sapientia et sanctitas fratris Bonaventurae eclipsata palluit et obscurata est et ejus mansuetudo ab agitante spiritu in furorem et iram conversa defecit

in tantum ut diceret: Si ordinis non respicerem honorem sicut haereticum eum facerem manifeste puniri. Stat frater Johannes coram vere ingratissimis filiis suis, et quia non habebant aliquid adversum eum, quid crederet de praefata quaestione inquirunt. Assumit in responsione innocentis hominis Christi personam et asserit, se credere et semper credidisse de quaestione illa et de omnibus aliis solum id, quod Ecclesia tenet et Sancti docent. Cumque hinc inde multa quaererent et ipse panca responderet, compatiebatur enim eorum furori — — alta voce et cum clamore in fervore spiritus in medio eorum clamavit: Credo in unum Deum patrem omnipotentem etc.: Et conceperunt ex hoc fratres majorem indignationem adversum eum et — — post multas interrogationes et responsiones determinavit frater Bonaventura cum consilio fratrum et consensu Domini Johannis Cajetani bonae memoriae tunc protectoris carceri eum perpetuo mancipare sicut socios ejus. Quod ut pervenit ad aures Domini Ottoboni, qui postea fuit Papa, scripsit Domino Johanni et fratri Bonaventurae et suis consultoribus quod cogitaret diligenter, — quod de fratre Johanne tam inconsulte et praecipitanter facere tentassent, quod fides fratris Johannis est fides mea, et persona ejus persona mea. Ut haberem haereticum faciliter cum vestris astutiis posse involvere, quia non solum ex quo Cardinalis exstiti sed ante tempora multa de sanctitate et fidelitate ejus certam habuimus scientiam nec quemquam in Ecclesia Dei virum eo magis fidelem et catholicum novimus; quare cessate a vexatione ejus, quia vexatio ejus nostra est. Quibus receptis litteris et attente perspectis Dominus Johannes mutavit consilium et frater Bonaventura cum suis consiliariis temperaverunt furorem et caritative saltem apparenter cum fratre Johanne colloquio habito simul in verbis communibus quieverunt et accepta ab eis licentia — elegit sibi Romanam provinciam ad spiritualem quietem, in quo loco sibi et Domino vacavit annis triginta vitam angelicam potius ducens quam humanam. Cum autem ad octogesimum et eo amplius pervenisset aetatis suae annum desiderio fervens

salutis animarum licentiam impetravit a Domino Nicolao bonae memoriae Papa IV ire in Graeciam, si quo modo eos ad unitatem Ecclesiae, sicut olim jam fecerat, posset iterato revocare. Et in itinere positus praecognovit suum transitum de hac vita ad Dominum imminere, quem euntibus cum eo praenuncians ad propinquiorem locum eis declinare mandavit. Erat autem eis civitas Camerini propinquior, quam ingressus ait: Haec requies mea, hic habitabo quia elegi eam. Mirabile valde, quod ad ingressum ipsius in civitate contigit; cum enim esset tempus nebulosum et cunctis ignotus et nemo de ipsius adventu quicquam praenoscere potuisset, repente tota civitas convocata clamare coepit, quod magnus Dei sanctus est ille, qui intravit locum fratrum, eamus et audiamus verbum Dei ab eo et oret pro nobis et habeamus benedictionem ejus. Ubi infirmatus non post multos dies debitum universae carnis persolvit, tantum in morte coruscans miraculis, quod non solum civitatem illam, sed omnes villas circumjacentes et castra, sed... omnes aemulos suos in stuporem et admirationem convertit et conversos in melius immutavit. Recognoscentes culpam vestigia pedum adorabant et cogebantur confiteri invidiam diaboli et malignas astutias, quibus seducti voluerant apostolicum Dei virum, per quem Deus gutturosos, fractos, paralyticos et variis languoribus et infirmitatibus gravatos curabat et mortuos suscitabat, quasi haereticum condemnare.

Fratre Bonaventura propter famam scientiae et eloquentiae et sanctitatis ad Cardinalatum contra suam voluntatem assumto successit ei in officio ministerii frater Hieronymus, qui ad papatum assumtus vocatus est Nicolaus. Qui fuit vir mansuetus et satis modestus et tardus ad iram et injurias inferendas, licet esset remissus et tepidus in promotione bonorum. Huic cum esset in generalatus officio, ab his, qui bonorum alienorum invidia cruciantur, accusatus est sanctus homo Dei frater Petrus Johannis Olivi de provincia Provinciae et de custodia Narbonae et de castro quod

appellatur Serinhainum nativus, quod ex audientia et praesumtione temeraria quasdam quaestiones novitatem non modicam sapientes composuerat. Quod ut audivit frater Hieronymus fecit eum ad se vocari et dixit ei: quod quaestiones, quas de Domina nostra virgine Maria fecerat, portaret ei, qui confestim attulit eas ante ipsum; quas ut legit mandavit eas igne cremari. Quo facto abiit frater Petrus (vultu) immutato et animo tranquillo et quasi magnum honorem recepisset gaudens laetis manibus celebravit missam. Quod notantes quidam de his, qui eum virtutis suae merito diligebant, captata hora opportuna interrogaverunt eum dicentes: frater Petre, quomodo post tantam reprehensionem et injuriam tibi a Ministro factam statim absque aliqua confessione praemissa potuisti missam celebrare? Qui dixit eis: Ego injuriam illam et reprehensionem pro honore et beneficio habui et ideo non dolui. . . .

Memores aemuli sui injuriae illius illatae sibi a generali Ministro accesserunt ad eum postquam assumtus est ad papatum et multis sermonibus conabantur eum inducere ad persequendum de novo fratrem Petrum. Quibus ille dixit: Avertat Deus a corde et mente nostra, tanto viro, qui excedit paene omnes homines vobis notos in devotione et reverentia et amore honoris Christi et matris ejus, injuriam aliquam vel molestiam per nos aut per alios inferri. Nam quod olim per nos factum est, non ad injuriam, sed ad cautelam et pro ejus utilitate est factum.

Fuit igitur frater Petrus Johannis initio mansuetus, humilis, devotus Christo et matri ejus et sancto Francisco, eloquens, cautus, praevisionis gratiam habens multa providit. — Nam et Abbas Florensis ordinis de ipso prophetavit et praevisum eum fuisse etiam ab antiquis et aliis, qui prophetiae spiritum habuerunt. Denique tota prima pars prophetiae sancti Cyrilli, quem Abbas Joachim immensis laudibus effert, fratrem Petrum Johannem principalissime tangit et suae nativitatis locum et ordinem, quem erat assumturus et persecutiones omnes, quas erat ab aemulis passurus cum suis sequacibus et annos et tempora et

modos et loca partim aenigmatice partim historice terminat et praedicat.

Quinta persecutio ab invidia maligna — a tempore concilii Lugdunensis infra religionem initium sumsit. Frater Petrus intelligens, quod filii tenebrarum juvenes quosque moribus ejus et doctrinae se totos conformare nitentes malignis inquisitionibus, — quasi impietate pravitatis haereticae mortuos diffamantes iniquae linguae gladio occidebant, — assumto socio non vocatus ad Ministrum generalem fratrem Bonagratiam, qui in Avinione tunc erat, accessit. Quod cum audierunt Minister generalis et aemuli ipsius fratris Petri, qui Generalem incitabant et provocabant ad persecutionis modum confirmandum et roborandum, conturbati vehementer obstupuerunt. Vocat Minister generalis provincialem ministrum non modicum iratus et dixit ei: Nonne mandavi tibi, quod praecipias, ut ad me nullus frater nisi vocatus venire praesumeret? Quare me nesciente fratri Petro Johanni huc veniendi dedisti licentiam? Dixit ei minister provincialis: Ipse a me licentiam non habuit nec quaesivit. Explora, dicit ei Generalis, ab eo, quomodo et quare advenerit. Dicit provinciali ministro frater Petrus: dicatis generali, quod ego manifesta et urgenti necessitate et ratione coactus veni, quam coram eo et vobis omnibus proponere et declarare quantum potui festinavi. Congregate ergo absque dilatione fratres, quia res communis est, propter quam veni et utilis et necessaria omnibus. Volens se Minister generalis expedire de eo et pro inobedientia, quam fecerat, reprehendere et poenitentiam ei cum severitate imponere, capitulum celeriter congregari mandavit. Quibus congregatis verbi radialem gladium pro themate proposuit eis dicens: Spiritu oris sui interficiet impium, et sermonem cum tanto spiritus fervore et efficacia prosecutus est, ut in virtute verborum ipsius obstupescerent omnes et corde et mente confusi tacerent. — Sed contra iratus corde Minister eum nec de adventu redarguit nec poenitentiam dedit, et quam adversum eum acceperat displicentiam dissimulavit et invitus corripientem subditum . . . audivit. — Post pau-

cos dies Minister generalis a moerore tabescens languivit et de hac vita subtractus est et cum eo duo principaliores aemuli fratris Petri, qui generalem Ministrum prae caeteris omnibus ad illius persecutionis rabiem promovendam inflammabant. — Rationes vero, quare odiebant eum, sunt, quia perfecta caritate Christum amabat — pseudoprophetarum religiosorum et doctorum carnalium et vaniloque philosophantium et carnaliter viventium — arguebat crimina. — Praerogativa gratiae et sapientiae singularis, qua excedebat omnes coaetaneos sui status, invidiae et odii fomitem suscitavit. — Inimicantur ei fratres et doctrinam ipsius praesertim in ea parte qua religionis statum tangebat, frustrare querelis et mordere detractionibus et calumniis damnare nitebantur. Nam articulos plurimos ipso vivente aemulis ipsius contra eum in judicio proponentibus vocatus est Parisius a generali Ministro coram magistris et aliis fratribus ibi congregatis ad proposita contra ipsum responsurus. Ad quae omnia tam sapienter et diserte et plene respondit, ut adstantes omnes mirarentur et stuperent et confiterentur, catholicam esse assertionem suam — et adversantium quisquam adversus eum non auderet proferre sermonem. Nam et tempore fratris Arlotti generalis Ministri Parisiis existens et transiens solus praeter claustrum vel locum, in quo Minister cum duobus magistris sedebat, fratre Ricardo et Johanne de Muro, generalis qui erat vir mansuetus et humilis ex industria vocavit eum ad se et dixit: Frater Petre, quia nos omnes audivimus, quod super quaestione illa de essentia tam singularia dicis, vellem quod nunc aliquid coram magistris istis pro parte illa, quam magis tenendam opinaris, diceres. Qui dixit: Pater, omissis Sanctorum auctoritatibus quoad praesens dicam vobis septem principales rationes, quarum quaclibet septem habet rationes annexas, quibus roboratur. Et incipiens a prima usque ad ultimam prosecutus est. Quibus auditis subridens Minister dixit duobus illis magistris, qui multum opinioni illi adversabantur: Frater Richarde et frater Johannes, respondete ei . . Nec quisquam eorum praesumsit ei quidquam

respondere. — Hoc ipsum erat de omnibus aliis quaestionibus, in quibus fratres adversabantur ei. — Tractatus plurimos fecit, in quibus et rationes et auctoritates, quas adversarii inducebant ad oppositum probandum, potenter confutat. Dicebat, quod notabiles excessus locorum et aedificiorum quantum ad pretiositatem materiae et curiositatem formae, quantitatem vel sumtuositatem, multiplices quaestus, quos inducebant in sui fabricatione, erat periculosa impuritas et praecipue defendentibus eas aut peccatum mortale aut maximum periculum peccati mortalis; quod mundo praebent malum exemplum et exemplar vitae Christi obfuscant. Et consimiliter litigare pro jure sepulturarum aut funeralium aut quacunque re temporali, et etiam hoc facere per personas seculares eas instigando, conducendo, expensas omnes solvendo, movendo et consulendo eo modo, quo a plerisque fieri videmus.. Consimiliter procurare pecunias annuales et praeter imminentes necessitates providere sibi in posterum super necessitatem aut congregare, quae superfluunt, ut serventur, aut procurare, ut pro his pecuniarum copiae habeantur ab eis vel ab aliis, qui pro ipsis eas recipiunt, est notabilis impuritas et enormis transgressio regularis. Dicere et tenere, quod ordo noster possit ire ordinarie caleeatus aut equitare aut quod possit interdum de Scarleto vel aeque pretiosis vestibus sicut canoniei regulares aut usum habere agrorum et vinearum et consimilium, est enormis blasphemia regulae; — similiter ordinem nostrum sepulturas recipere propter emolumentum temporalium, ob id contractus obligatorios instituere, pro animis legatis aut oblationibus et missarum celebrationibus insistere etc. Doeebat etiam: quod Apostoli et Episcopi, qui instar Apostolorum professi sunt vitam apostolieam, quantum est de viva voce evangelii et professionis evangelicae, tenentur pauperem usum servare. — Solis scripturis sacris et soli fidei catholicae seu fidei Romanae Ecclesiae adhaereri debere ex fide et sicut verae fidei, nulli autem humanae opinioni seu suae seu cujuscunque alterius magni doctoris, nisi prius solide et fideliter ostenderetur, quod ipsum est de fide Ro-

manae Ecclesiae, et illi tanquam (magistrae) fidei solum esse adhaerendum. Diabolicum autem esse, alicui humanae opinioni tanquam ex fide immobiliter adhaerere, et quod nulli determinanti, hoc vel illud esse de substantia fidei catholicae, tenetur quis necessario assentire, nisi soli Romano Pontifici catholico aut concilio generali, nisi quantum ratio et auctoritas scripturae sacrae vel fidei catholicae per se ipsam definiit et cogit. Privilegia autem, quae puritati regulae derogant, sicut sunt illa, quae ad litigia et pura temporalia disponunt recte vel indirecte, et talia consimilia non possent fratres habere salva regulae puritate, multo minus licere, eas per preces indebitas seu opportunas a S. Pontifice extorquere et multo minus licere talibus uti. Recurrere autem ad procuratores seu officiales Papae seu Episcoporum etc., quod instigarentur ad litigia etc. ferenda et deducenda pro legatis vel pro elemosynis fratribus assignatis vel pro sepulturis, sapit impuritatem.

Pro talibus traditionibus, quae ad servandam religionem in omni perfectionis et sanctitatis veritate dabantur, multas adversitates sustinuit. Ipso vivente primo carcerati sunt viri sancti, frater Johannes de Valle, Johannes Juliani, Franciscus Leneti, Remundus Aurioli, Johannes Primi et alii plures. Postea vir ille singularis perfectionis frater Pontius de Bottingata in opere potens, in sermone fervens et efficax, quem canes illi rapaces tam crudeliter et impie tractaverunt pro eo, quod ad comburendum aliquos tractatus, quos s. pater, frater Petrus ediderat, tradere noluit. Vinculis ferreis compeditum et catena ferrea infra carcerem foetidum arctum et tectum ligatum includunt et affingentes trunco catenam in tantum eum coarctant et stringunt, ut non alibi, nisi ubi sedere ferro gravatus cogebatur, posset secedere vel modicum ad requisita naturae super nudam humum urina pedum suorum et stercore stratam foetentem lutosam infixus sordido limo jacebat, panem artum et aquam brevem ei proponentes ab ipsius aspectu recedebant. — Infirmatus tandem jacebat vel potius reclinatus sedebat sub pondere ferri in foetoribus stercoris et urinae animo laetus

et caritatis igne succensus infinitas Deo gratias referens spiritum Deo reddidit. Maledicta sit haec porca malefica, quae fratrem hunc interfecit! — Mortuum invenit virum sanctum fratrem Pontium crudelissime illius careeris custos et Guardiano loci nuntiat celeriter mortem ejus. Qui duobus fratribus laicis robustis mandat, horti foveam aliquam facerent et in eam corpus hora secreta projectum humo obruerent. Accedunt fratres hi, injuncta perficere et dum laborant, corpus semisepultum in vermibus et stercore a catena et vinculis ferreis solvere, a lumbis deorsum inveniunt multitudine vermium ex magna parte corrosum; intuentes vero multum ipsum, obstupuerunt eo quod quaedam claritas refulgebat in facie ejus, quae videbatur hominis excedere et esse potius angelica, quam humana. De corpore vero reliquo sordidato faecibus illius non foetor egrediebatur, sed odor, qui et stercorum foetorem vinceret et stuporem immitteret. — Commutatur animus eorum a ferali duritie, quam habuerant ad eum, dum viveret et obedientiam eis injunctam mansueta mente perficiunt et eum in fossam projiciunt operientes humo.

Habuit quidem tribulatio quinta principium in provincia Marchiae. Tempore enim, quo generale concilium a bonae memoriae Papa Gregorio X Lugduni celebratum est, quidam rumor insonuit in partibus Italiae, quod S. Pontifex decreverat in praefato concilio fratribus minoribus et praedicatoribus et caeteris mendicantibus proprium dare. Quod audientes fratres aequo animo pro magna parte tolerabant, aliqui vero sed pauci moleste tulerunt valde, quae dicebantur, et sui cordis conceptus celare non valentes, imo nolentes, si contingebat, quod de tali materia in communi sermo misceretur, sui pectoris arcana reserantes, fratribus, qui propter obedientiam S. Pontificis et concilii decreta servanda possessiones ac reditus se recepturos dicebant, contrarium se facturos respondebant; istis pro parte sua et illis pro sua auctoritates ac rationes per modum disputationis allegantibus: ex tali igitur modo conferendi innotuit animorum summum utriusque partis deliberatae electionis propositum. Ex

hac, absoluto concilio, pars illa major fratrum, quae possessiones reditusque recipere melius et securius esse probabat et assertionem paucorum dicebat esse erroneam, in primo eorum capitulo post concilium celebrato postulavit de praefatis fratribus tanquam de scismaticis et erroneam opinionem tenentibus inquisitionem fieri et si non resiperent, punitionem tanquam de haereticis rigide fieri. Facta igitur de praefatis fratribus inquisitione, exceptis tribus fratribus omnes sicut voluerunt fratres, recognoverunt culpam suam, et cum Papa fratribus proprium non dedisset, otiosum et superfluum judicaverunt, pro talis quaestionis suppositione cum suis superioribus litigare. Raymundus vero et Thomas de Tolentino et Petrus de Macerata suae assertionis partem auctoritatibus et rationibus et ex eo, quod Ecclesiae S. Pontifex tanquam rem non solum inconvenientem sed ut damnosam et in apostasiam deducentem, et nec sub potestate cadentem ac per hoc nec possibilem nunquam esset facturus, audacter defendebant. Sed succumbebant fratres quantumcunque sapientes cum eis disputando et vim positionis eorum aut non poterant vel nesciebant dissolvere; ex quo amplius turbati velut scismaticos abscissis habitibus segregatos a fratribus in quibusdam eremitoriis recluserunt. Revoluto anno iterum ipsos ad suum capitulum vocaverunt et cum tribus diebus verborum concertatio durasset, nec valerent fratres eorum rationes veraciter confutare, quidam sapiens frater nomine Benianus, qui prudentia, sanctitate et antiquitate caeteros excedebat, vocavit ad se fratrem Petrum de Macerata et secrete dixit ei: fili, non est bonum, hanc resistentiam verborum cum fratribus istis facere. Dicas cum te vocaverint, quod hujus quaestionis solutionem meo judicio et conscientiae derelinquis et quod tu credis de ea et tenere vis illud, quod ego teneo et sentio, quod mea conscientia non discordat a vero. Et tali modo post tres annos eorum poenitentiae quaestio illa determinata latuit; sed conscientiae discordantes et studia diversa et desideria compugnantia in his et illis remanserunt. Illi enim ordinis statum et robur et permanentiam in aedificatione locorum

in mediis civitatibus et castris, in attractione populorum, in procuratione sepulcrorum et receptione testamentorum et quorumcunque legatorum, in multiplicatione librorum et scolarium et scolarum et studio scientiarum et impetratione privilegiorum et caeteris similibus (quaerebant). Illi vero sentiebant oppositum de praedictis omnibus et ex toto corde et mente et viribus omnibus conscientiae fundatoris et puritati doctrinae ejus inhaerebant. Et in tantum infra non multorum annorum curricula multiplicati sunt, quod fratres alii timere coeperunt, ne ad eorum conscientiam et vitam sectandam major pars fratrum converteretur — secrete conveniunt. Quinque ministri habito simul tractatu ex communi deliberatione concordant, quod nullum erat efficax remedium nisi processus de facto contra principales hujusmodi fratres facere et punire eos ad terrorem. — In sequenti eorum provinciali capitulo determinant: quod fratres Raymundus et Thomas de Tolentino, qui nunc in Thana Indiae cum sociis palmam martyrii adeptus feliciter transiit ad Christum, et Petrus de Macerata et quidam alii nulla eorum culpa detecta seu particulariter assignata in sententiae eorum litteris velut haeretici et ordinis destructores carceri mancipparentur perpetuo, privati confessione, sacramentis Ecclesiae, librorum omnium usu et etiam breviarii et in fine ecclesiastica sepultura, statuentes et per obedientiam injungentes illis fratribus, qui eisdem de extrema necessitate naturalis sustentationis servirent, ut cum ipsis nullatenus loquerentur, sed mane et sero carcerem et compedes cum diligentia viderent, ne forte suo conatu vel alterius cujusdam fratris auxilio surgere valerent; — ad terrorem omnium apponentes. Et si quis frater praesumeret vel auderet dicere, talem sententiam esse crudelem vel injustam aut indiscrete et non bene latam, poena simili, ut haereticorum fautor et destructor ordinis pariter puniretur et eidem poenae et sententiae subjaceret. Contigit autem, quod quidam frater nomine Thomas de Castro Marini, audita tam impia sententia, quae mandabatur semel in hebdomada omnibus fratribus in eorum capitulis legi, spiritus fervore et veritatis zelo accensus

responderet et diceret: non facio vitam meam justitia pretiosiorem. Et ego certus sum, hanc sententiam esse iniquam et injustam et sine timore Dei et caritate factam et Deo displicibilem et omnibus Sanctis. Qua confessione coram omnibus facta, confestim detinetur, privatur habitu et vinculis ferreis compeditus in tetro carcere clauditur, ubi inhumane tractatus post paucos menses infirmatus est; sed impiae legis statutum literaliter explent, qui laetus et Deo·plenus inter angustias corporis gratias agens emisit spiritum. Cujus corpus instar corporis fratris Pontii, tanquam cadaver animalis, in quodam fossato fratrum projicitur et humo tegitur, ne a saecularibus videatur. Talia sunt humilium pauperum vitae tuae et evangelicae professorum judicia, benigne Jesu! —

Decedente generali Ministro eligitur frater Raymundus Gaufridi de provincia Provinciae in generalem, vir mansuetus et pius. Qui pluribus provinciis ordinis visitatis ad visitandum Marchiae provinciam studiose pervenit. Earum provinciali capitulo congregato post multa, quae correxerat, examinare et inquirere coepit, cujus erroris vel sectae superstitione vel pravitatis corrupti fuissent fratres illi. Legebat enim sententiam, sed criminis vel haeresis maculam specificari in sententia non inveniebat. Tandem a ministro et diffinitoribus capituli ac custodibus audivit, quod praefati fratres nullius alterius rei fuissent inventi, nisi quia multum excedebant in zelo et observantia paupertatis. Quibus ipse respondit: Utinam omnes nos ac totus ordo talis criminis noxa teneretur. Tunc statim mandavit omnes de carceribus trahi et ad se vocatos benigne suscepit et affabiliter locutus ad veram patientiam et perseverantiam in sanctae voluntatis proposito exhortatus est et omnem consolationem, quam ab eo postulaverunt, ipsis liberaliter pro suarum animarum salute concessit. Et quum vir Deo devotus Baro Aycton, Armeniorum rex, per suos nuntios et litteras speciales postulaverat a generali Ministro, sibi dirigi seu mitti fratres sanctae conversationis et vitae, quorum sermonibus et exemplo tam ipse quam caeteri principales regni sui et clerus et populus

possent informari, fratres, quos de carceribus traxerat vid. Angelum et Thomam de Tolentino nunc martyrem et fratrem Marcum de Monte-Iuponis et fratres Petrum de Macerata et Petrum alterum misit ad eum, votis ipsius regis de praedictis fratribus se plene satisfacere indubitanter existimans, nec deceptus exstitit. Sed regi plus quam crediderat satisfecit et baronibus ejus et religiosis et clero. Nam non homines communes sed vere Christi et Apostolorum discipulos se vidisse in ipsis et recepisse fatebantur. Quantas vero post tempora rex ipse per suos nuncios et litteras speciales gratiarum actiones generali Ministro pro talium fratrum ad eum missione retulerit et quantis laudis praeconiis ipsos extulerit, omnibus in generali capitulo Parisiis congregatis patenter claruit, ubi praedictae litterae praesentatae sunt et lectae ad confutandam murmurationem suscitatam ex causa missionis fratrum adversus Ministrum in capitulo a quibusdam aemulis veritatis. Erant enim duo magni barones et alii solemnes viri missi ad regem Franciae et Angliae gallicam linguam perfecte scientes, qui majora bona de illis fratribus verbo referebant, quam litteraecon tinerent. Ex quibus siluerunt et Minister non solum excusatus est coram omnibus sed etiam sancte et optime fecisse comprobatus. Rege namque et baronibus et clero cum religiosis, de moribus, praedicationibus et conversatione fratrum mirabiliter exultantibus, etiam ad fratres Syriae sanctitatis eorum fama pervenit, qui pro gaudio tanta furoris irae turbatione commoti sunt et praecipue fratres de conventu Accone, ubi Guardianus erat frater Paulus, qui fuerat socius ministri Marcae, quando sententia illa impiissima data fuerat, ut minister provincialis impulsus a fratribus, litteras diffamatorias ex parte sua et fratrum omnium terrae sanctae scriberet, quod ab illis fratribus, quos susceperat et sociis, qui praedicabant pariter et credebant, cum summa vigilantia et cautela caverent tanquam ab hominibus perversis et ab ordine segregatis et pro scismaticis et haereticis quondam damnatis. — Tunc rex, habito consilio cum sapientibus suis super litteris sibi missis vocari fecit ad se fratres et voluit

primo videre obedientias eorum et litteras generalis; quibus visis dedit eis litteras diffamatorias sibi a ministro et fratribus Syriae missas. Quas quum legissent, simpliciter ordinem rei gestae narraverunt ei, qui satisfactione eorum audita ampliori dilectione unitus est eis. Furor enim fratrum communium erat implacabilis contra eos, quamvis minister visis et auditis fratribus duobus, qui ad eum pro litteris, quas miserat, accesserunt, culpam suam recognoverit et verbo et opere se ipsis permiserit et exhibuerit favorabilem in futurum. Verum fratres alii conceptum furorem semper augebant. Nam cum frater Petrus de Macerata venisset in Cyprum et a ministro in conventu Nicosiae benigne et caritative fuisset receptus et mandaverat ei minister in quadam die solemni fratribus et Regi et caeteris qui aderant praedicare, cum idem — — locum ivisset, Guardianus et quidam fratres cum eo, contemto ministri sensu et mandato, detinuerunt eum et tanquam excommunicatum, licet in mensa eum reciperent, in Ecclesia ipsum intrare, praesertim ad missae officium non sinebant. Sentientes igitur, quod fratres Syriae de mora eorum cum rege semper amaricabantur magis, valefacientes regi et satisfacientes pro eo, quod recessum eorum nimie moleste portabat, divisi sunt ab invicem. Alii ad generalem Ministrum, alii ad suas provincias redierunt. Fratres vero Petrus de Macerata et socius ejus transeuntes per Marcam Anconitanam debiles corpore et infirmi nullo modo impetrare potuerunt a fratre Monaldo vicario ministri, Marcae in aliquo loco provinciae remanere, donec se generali Ministro praesentare valerent. Interea fratre de Morone ad pontificatum assumto, placuit generali Ministro et omnibus principalioribus fratribus, in quibus Christus et ejus spiritus inhabitare firmiter credebatur, et praesertim fratri Conrado de Offida, Petro de Monticulo, Jacobo de Tuderto, Thomae de Trivio, Conrado de Spoleto et reliquis, qui ad puram regulae observantiam adspirabant, quod ad S. Pontificem frater Petrus de Macerata et socius ejus accederent, quum familiarem eum ante papatum habuissent, et ipse de eorum bona voluntate

plene confideret, et postularent ab eo pro se ipsis et aliis fratribus volentibus et amantibus regulam observare, obedientiam et licentiam observandi promissa absque molestiis et impedimentis aliorum, qui ab illa regulae fideli et pura observatione, quam sanctus Franciscus in suo testamento et in aliis suis scriptis mandaverat, spontanee deviabant. Ipse enim Pontifex Coelestinus multorum sanctorum et antiquorum fratrum notitiam habuerat et omnis paupertatis, humilitatis et perfectionis evangelicae erat sincerus et ferventissimus amator, et omnem verum Christi servum et perfectionis amatorem sincere diligebat et venerabatur affectu. Qui audiens ab eis eorum conditiones, propositum, afflictiones, affectum et votum, acceptavit in eis ea, quae ferventer amabat et in semetipso plene servabat. Et laudavit propositum et suscepit votum et commendavit eisdem fratrem Liberatum et socium ejus, qui juxta voluntatem sancti Francisci regulam et testamentum fideliter et sincere servare studerent et niterentur superaddere etiam, si valerent. Et dixit eis: quod ipse talem paupertatem semper amaverat et servare cum suis fratribus firmiter proposuerat. Sed ex mandato Papae et concilii fuerat coactus, si volebat fratres multiplicare, recipere, et absolvit fratrem Liberatum ab omni fratrum obedientia et socium ejus et dedit fratri Liberato plenam auctoritatem absolvendi semel alios fratres a poena et culpa et praecepit ei, quod haberet curam de omnibus volentibus talem vitam facere et servare. Et fratribus mandavit, quod fratri Liberato obedirent sicut personae suae, et quod propter pacem et honorem fratrum minorum et ordinis non vocent se fratres minores, sed fratres suos et pauperes eremitas, et recommandavit eos Domino Neapoleoni Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, pro eo, quod esset piarum causarum, ut ipse eis dixit, spontaneus et liberalis promotor. Post haec audientes fratres, quod S. Pontifex praefatos fratres a sua obedientia et ordine absolvisset, statim explorato loco, ubi praefati fratres morabantur, stipendio conducunt catervam hominum mundanorum et scienter S. Pontificis reverentia et mandato contemto — manu ar-

mata, adhuc Papa existente in Aquila, eos capere tentaverunt. Quare, Domino Coelestino renunciante papatui, visum fuit eis conveniens et utile, furori fratrum cedere et pro sua majori pace et salute ad loca remota et deserta secedere, ubi absque hominum tumultu et scandalo et libere Domino servire valerent. Capitur interea Dominus Coelestinus in quadam terra quae dicitur bestia a Standardo, et a Domino Patriarcha et aliis pluribus ad montem Sancti Angeli ducitur, ad quem fratres minores instanter postulant habere ingressum. Qui, quum introducti fuissent ad eum, omnis modestiae et mansuetudinis obliti, tot maledicta, tot improperia, tot blasphemias in eum proferre coeperunt, quod turbatus Dominus Patriarcha, qui praesens erat, statim mandavit eis, inde recedere et foras absque mora expelli. Quibus expulsis interrogavit eum Dominus Patriarcha: quid fratribus minoribus fecisti, quod tanto in te fervent odio? Qui ipse respondit eis, adstante fratre Nicolao nunc Salonae Archiepiscopo, qui responsionem in curia frequenter coram Cardinalibus et aliis viris magnis me audiente recitavit: Ego nunquam fratribus injuriam vel eorum ordini feci, sed tanquam filius honorem et gratiam. Sed pro eo, quod me diligere deberent, detrahunt mihi et gratis odiunt et injuste maledicunt. Fuerunt enim in ordine quidam sancti fratres, quorum conversationem et vitam ante multa tempora certa experientia noveram, quibus posse perfecte servare regulam suam secundum intentionem et praecepta patris eorum sub nostra obedientia et sine fratrum minorum nomine concessimus, sicut ego vellem fratribus meis fieri, quum simile desiderium haberent, et ad perfectionem similem consurgere veraciter adspirarent.

Quia vero tribulationis quintae pondus frater Chunradus in Italia, sicut frater Petrus ultra montes sustinuit, idcirco fratris Chunradi, qui in ordine antiquior, qui in tempore Domini Clementis migravit ad Christum et post mortem miraculis claruit et in vita conversationis coelestis exstiterat, sustinentiam ex parte memorare, quam habuerit in adversis, et permanentiam in bonis erit fructuosum et utile omnibus

amantibus Christo servire perfecte. Hic miraculose de mundo vocatus et doctus Christi spiritus unctione et Christo et ejus fidei totus vixit et ita vestigiis sancti Francisci cordaliter adhaesit et se totum in moribus conformavit, ut omnes socii sancti Francisci videntes eum quasi alterum Franciscum se videre fatcrentur. Quinquaginta annis et amplius una tantum tunica de veteri et vili panno repeciata de sacco et aliis peciis contortis nudis pedibus semper incedens, praeter tunicam et cordam nunquam in vita sua aliquid habere voluit; nuda humus paleis strata vel storicio vel tabula lectus ejus erat. Ab orationibus, vigiliis et jejuniis continuis nunquam cessans, omnes quadragesimas sanctae epiphaniae Apostolorum, Dominae et Angelorum ad exemplum sancti Francisci devotus et quantum poterat ab omni colloquio et tumultu sequestratus jejunabat. In juventute sua magnis adeo praeventus gratiis saepe in aëre corpore sublevatus a terra, dum oraret, inventus est,' sicut ego ab his, qui eum sursum levatum et raptum viderunt, frequenter audivi. Fratres Johannes de Parma et Petrus Johannes eum in tanta habebant reverentia, ut eum loquentem magis audire desiderarent, quam eo praesente loqui. Nam fratribus in persecutione positis, quos ipse exemplo vitae et fideli doctrina genuerat in Christo, cum ipse graviora illis faceret et moribus fratrum magis adversantia loqueretur et de ordine et omnibus illis, qui affligebant, pejora sentiret, virtute quadam aemuli ejus seu reverentia detenti et ligati ipsum tangere vel affligere nullatenus sinebantur. Denique succedente fratre Johanne de Muro in officio fratris Raymundi Gaufridi, et doctrinam fratris Petri et discipulos ejus vel eum quomodocunque defendentes graviter persequente, accusatus est ei frater Chunradus de Offida in multis et gravibus quae contra eum in scriptis et testibus comprobata eidem fratres aemuli obtulerunt; imprimis: quod exitum de ordine ad melius regulam observandam laudabat et consulebat et quod ipse asserebat, quod fratres nec declarationes nec regulam observabant, et quod eam observare volentes quantum poterant, impedichant, et quod alium or-

dinem, qui erat verus ordo minorum, laudabat et praedicabat, et quod eis ministrum dederat et multa similia his, de quibus Generalis valde turbatus fuit. Et quum vocasset eum ad se, primo legit ei omnia quae de eo fratres dicebant, et post haec cum magno impetu dolorem cordis vehementem se habere demonstrans de his, quae frater Chunradus faciebat, dixit ad ipsum: Sicut scidisti cor meum, ita vix me contineo, quin omnia vestimenta tua in oculis tuis lacerem et scindam! Quod frater Chunradus considerans vehementer esse turbatum, cordali pro ipso ad Christum oratione praemissa, ita paucis et humilibus verbis repente placavit, quod omnem conceptam amaritudinem adversum eum deposuit, et in amore ipsius et reverentia crevit ac deinceps usque ad subtractionem fratris Chunradi de hac vita faciebat eum frequenter ad se vocari, et pro magna consolatione habebat videre eum et audire eloquia ipsius.

Hic procuravit cum fratre Jacobo de Monte et Thoma de Tolentino habere licentiam a fratre Johanne cum duodecim sociis suis, quos sibi eligere vellent, ire ad infideles; ita duntaxat quod frater Jacobus de Monte, qui erat vir mirabilis puritatis et sanctitatis, esset vicarius ipsius fratris Johannis generalis Ministri in partibus Orientis. Audiverant enim praefati fratres tribulationes varias et perplexas, quas sustinebant fratres illi, qui ad portas Achajae et Croatiae transiverant tempore renuntiationis Domini Coelestini. . — Intendebant enim eos secum ad partes infidelium ducere et simul cum illis in omni puritate juxta gratiam, quam eis praestaret altissimus, regulam observare et tali modo a perplexitatibus talium vexationum ipsos eruere. Tribulatio vero, quam patiebantur frater Liberatus et socii ejus, et a qua frater Jacobus et Thomas et socii laborabant ex vera caritate eos eripere, ista erat:

Nam frater Chunradus nescio quo detentus oraculo remansit cum suo socio et non transfretavit cum eis. Quum enim in quadam parva insula satis divino cultui apta frater Liberatus cum suis triennio stetisset et quiete spirituali non modica frueretur, fama sanctitatis eorum ad multos

pervenit. Audientes autem fratres minores, qui in illis regionibus morabantur, famam a mercatoribus et nautis et ab illis, qui ad insulam solatii seu devotionis causa aliunde veniebant, quasi sanctitatis nomen sibi furto vel rapina sublatum perdidissent, dolere coeperunt et mendacia fingunt. Et apud Episcopos et barones istius regionis diffamatoriis accusationibus affirmando, eos de secta Manichaeorum esse, corrodunt. Ideo, inquiunt, carnes non comedunt nec vinum bibunt et longe ab hominibus habitant, quia missas audire renuunt nec credunt sacramentum altaris nec papam esse papam, nec Ecclesiam esse Ecclesiam et talia similia multa. Audientes autem Episcopi et principes fratrum sermones et diffamatores, quamvis eorum verbis non crederent, formidare coeperunt et certificari de eis volentes caute viros intelligentes ad insulam et semel et secundo miserunt, qui et moram contrahentes et omnia, quae ab eis fiebant, cum summa diligentia explorarent. Qui videntes, quomodo missas devote cantantes memoriam pro S. Pontifice et pro Ecclesia in suis missis quotidie faciebant, cognoverunt ex invidia procedere et praesumtionibus falsis ea quae de ipsis fratres praedicabant. Et redeuntes ad suos dominos referebant quae viderant, laudum commendationibus eorum mores et conversationem efficaciter extollentes. Quocirca voluerunt principes et Episcopi, quod missas publicas coram clero et populo cantarent ad purgationem eis impositae infamiae, et quod fidem catholicam populo praedicarent. Et mandaverunt eis Episcopi, qui secum eos prandere faciebant, quod vinum biberent et carnes, et de omnibus, quae eis apponebantur comederent, et quum eorum obedientiam reverenter implessent, tunc rationem, quare hoc eis praeceperant, retulerunt.

Turbati fratres furorem implacabilem assumserunt et determinant S. Pontificis adire provinciam et tantis et talibus apud eum eos diffamare querelis et inculpare criminibus, ut vel spontaneus aut invitus cogatur tanquam contra haereticos adversum eos perferre sententias. Habebant tunc fratres Dominum Johannem de Muro sanctae Romanae

Ecclesiae Cardinalem, qui eorum Minister generalis exstiterat, spontaneum promotorem omnium, quae petebant. Quo favente S. Pontificis provinciam adeunt et coram eo primo proponunt: Quomodo quidam ordinis nostri Apostatae ad Achajae provinciam venerunt, qui propter singularem modum vivendi, quem tenent et vitam austeram, quam ducunt et licentiam Domini Coelestini hoc faciendi, quam jam ostenderunt et habere se dicunt, tanta principes et omnem clerum ad se devotione traxerunt, quod nullam de ipsis justitiam facere vel rationem habere valemus. Quibus Dominus Bonifacius Papa respondit, sicut qui tunc aderant viri digni fide retulerunt: Sinite eos servire Deo, quia ipsi faciunt melius quam vos faciatis. Tunc ipsi ad refugium praecogitati et assueti mendacii recurrentes et tanto viro falsitates coram ponere non timentes dixerunt: Domine S. Pontifex: haeretici et scismatici sunt hi, quos vestra nobis praefert, et in tota terra illa praedicant et disseminant, quod vos non estis Papa et quod auctoritas non est in Ecclesia, et plura similia quae mentem ejus timore perturbare valerent. Quorum fallaciis deceptus eorum perversae petitioni assensum praebuit jubens, fieri litteras secundum continentiam postulationis eorum, in quibus executores persecutionis fecit praelatos tres: Dominum Petrum Patriarcham Constantinopolitanum et duos Archiepiscopos Atheniensem et Patracensem. Patriarcha moram tunc contrahente Venetiis cum duobus Archiepiscopis, quorum cuilibet per se plenam executionis postestatem praedictos fratres puniendi papales litterae committebant, fratribus praesentantur. Thebanus autem, qui erat vir eruditus, visis litteris et emissis fratribus dixit: non puto, quod tam injustae litterae mandatae fuerint diebus nostris de curia Romana, et captata opportunitate cum Domino Thoma de Sola, cujus illa insula erat, in qua fratres illi morabantur, locutus est, et eadem replicans verba cum ipso de illius litterae injustitia rogavit eum, quod illos de illa insula repelleret et quod tenorem litterarum Papae fratro Liberato et sociis notificare nullo modo differret. Qui ut audierunt, se eidem Domino Thebano se-

mel et secundo studuerunt praesentare, sed ipse conscientia detectus avertebat ab eis faciem et per suos familiares secrete interdicebat eis, ut in conspectum suum nunquam comparere praesumerent. Et iterum cum Domino soliloquens mandavit ei sub poena excommunicationis, quod eos de terra sua quantocius ejiceret. Patracensis vero Archiepiscopus, qui erat Domini Papae consanguineus, conscius de modo impetrationis litterarum, nullo modo eos recipere voluit, sed propter illarum litterarum impetrationem magnam displicentiam de fratribus, qui eas tali modo procuraverant, concepit. Quid plura? Coguntur recedere de terra Domini Latinorum tempore famis, quo divites opprimebantur penuria et nihil habentes peregrinantur et agentes (?), qui eos ut haeretici devitabant, accedunt ubi contracta mora — ferme annorum nilaboribus multis in multa penuria et aerumna (steterunt), donec Patriarcha a Venetiis rediit Negropontem. Quem mox fratres adeuntes ut breviter me expediam excommunicari semel et secundo, quos expulerant, faciunt, leguntur excommunicationis illius litterae ex mandato Domini Patriarchae, ubique publice excommunicantur cum sonitu campanarum, et ipsi fratres ut procuratores hinc inde ipsam Patriarchae sententiam publicando discurrunt. Sed divino judicio quanto amplius suae voluntatis contra absentes impetum ostendebant, tanto majorem displicentiam Dominorum et omnium qui discretionem (habebant) —... Ex qua re coacti sunt, post praefatos eorum conatus impios rogare fratres illos vid. Jacobum de Monte et socios ejus, qui jam Thebas et Negropontem pervenerant, pro pace laborare fratrum illius provinciae et accedere ad illos (quos) post ejectionem excommunicari fecerant a Domino Patriarcha, qui Dominus post illius excommunicationis sententiam judicio satis pavendo non multis interpositis diebus fuerat de hac vita subtractus, et tractare cum eis, quorum se habere notitiam fatebantur et modum aliquem invenire unitatis et concordiae, per quem consopirentur scandala clero et secularibus ex eorum persecutione exhibita. Venerunt ad preces fratrum fratres Jacobus et socii ad eos, quos videre jam diu desidera-

rant et tanquam si angelus de coelo venisset, sanctus ille jam senex cum sua societate suscipitur; et nuncios ad Dominum Johannem de Muro, qui vice generalis tunc ordinem de S. Pontificis auctoritate regebat, cum litteris sui vicarii i. e. fratris Jacobi et cum litteris ministri et fratrum provinciae Romanae deprecatoriis et praedictorum fratrum celeriter mittunt, quibus omnes unanimiter supplicabant suae paternitati, quatenus dignaretur concedere, quod frater Jacobus posset secum fratrem Liberatum et socios sub sua obedientia ad partes infidelium de sua auctoritate et beneplacito ducere, cum de tali concessione pax magna fratribus illius provinciae oriretur et aedificatio non modica in populo et in clero et ordinis utilitas sequeretur. Ad quod faciendum nec litteris sibi missis nec fratris Chunradi, et fratris Thadei et socii sui, quem ipse Dominus Johannes super omnes fere mundi homines diligebat, potuit precum instantia inclinari. Sed misit litteras suo vicario contrarium continentes. Frater vero Thadeus suggerebat suis litteris, quod ... propter Domini Cardinalis deliberationem nullo modo dimitteretur. Omisso igitur fratris Thadei consilio visum est fratri Liberato et sociis Domini Papae adire praesentiam et obedientiam Ecclesiae et summi Pontificis omnibus facto et verbo ostendere et corporum et animarum benefactori Deo curam committere, et sub specie discretionis fugam a facie persequentium nequaquam deinceps pro remedio assumere, sed ultro persequentibus viriliter se offerre. Mox vero ut Fratri Consalvo, generali Ministro, innotuit, quod frater Liberatus cum sociis redierat et erant in quibusdam eremitoriis in partibus regni, litteris munitus papalis sententiae et excommunicationis illius Domini Patriarchae, ad illustrissimum virum regem Carolum Siciliae accessit et litteras efficaces ab ipso contra praefatos fratres similiter procuravit. Et fratre Thoma de Adversa inquisitore haereticae pravitatis vocato a rege ad petitionem generalis Ministri et ex regis mandato inquisitionem de praefatis et aliis quibuscunque facere jusso initiatur a fratre Liberato et sociis suis inquisitionis officium in castro

Fresolonis Treventinae dioeceseos, qui frater Liberatus in vigilia pentecostes cum tredecim sociis eidem inquisitori se spontanee obtulit, de ea, quae in ipso et sociis fide catholica erat, paratus reddere rationem. Facta igitur de ipsis inquisitione cum diligentia dixit ad eos inquisitor: ego de ista villa recessurus sum nec cogo vos mecum venire; tamen sciatis quod maxima tribulatio erit vobis si remanetis et minor si venietis mecum. Et conversus ad fratrem Liberatum dixit: non possum exprimere lingua, quantum fratres minores adversum te odium conceperunt. Et si ego voluissem te vendere, nunquam alicujus animalis carnes fuerunt ita care venditae in macello. Post aliquos dies inquisitor idem cum sua familia et socio recedens transibat per illum desertum, in quo frater Liberatus cum sociis morabatur. Et ecce repente turbatus aër et coruscationes et tonitrua magna fuerunt et fulgur de coelo cecidit juxta inquisitoris equum. Qui substitit et conversus ad fratrem Liberatum et socios dixit: frater Liberate, ego de fide tua et sociorum tuorum sum certus, nec duco vos. Ecce locus vester prope est, si placet vobis, redite ad eum. Nam ego pro minori tribulatione vestra consului vobis venire mecum. Cui frater Liberatus dixit: Ego deliberavi non recedere a vestro consilio. Cum autem inquisitor Tianum cum ipsis venisset, innumeras ibi a fratribus infestationes sustinuit, qui fratrem Liberatum modo precibus, modo minis tanquam summum apostatam ab eo instantissime requirebant. Qui licet multis eorum insultibus valide fuerit concussus, confixus in proposito stetit et volens fratrem Liberatum a fratrum insidiis perseverare, secrete die quadam post solis occasum allocutus est eum dicens: Vide ne in regno isto remaneas, sed per vias quantum potes occultas ista nocte recede et stude a curia Romana vel ab aliquo Cardinalium ad me litteras recommendationis habere. Si vis in regno moram contrahere, — — quamdiu inquisitor fuero ab omni homine te defendam. Effecit igitur frater Liberatus juxta inquisitoris consilium, et assumto uno de sociis festi-

nabat ad curiae Romanae locum accedere. Sed in itinere graviter infirmatus Viterbii in loco Armeniorum multis mensibus ignotus omnibus jacuit. Et post annos duos in eremitorio Sancti Angeli de Vena angelicus vir decessit. Alii vero fratres devertentes a recto itinere, ut suum recessum de regno notum facerent sociis, diebus aliquibus in regno tardaverunt. Inquisitor vero Neapolim reversus, quibus rationibus aut causis vel quibus impellentibus fuerit motus ignoro, sed statim post sex dies vel circa per suum cursorem litteras piae fraudis misit, in quibus confitebatur, se non bene fecisse, quod fratrem Liberatum et socios emiserat, de quibus tanquam pater in posterum intendebat gerere curam, attentus rogans eos, qui de sociis fratris Liberati remanserant, non recedere, sed suas mittere litteras ad fratrem Liberatum et ad illos, quibus ipse mandaverat de regno exire, quod redire quantocius festinarent, quia sua intentio erat, ipsos tanquam fideles et catholicos viros tam clero quam populo regni dare et talem de ipsis gerere curam, ut a nullis deinceps possent in Dei sermone molestiis perturbari. Obediunt litteris inquisitoris et missis nunciis cum rumoribus fraudis revocaverunt omnes fratris Liberati socios, qui festinabant juxta datum eis mandatum de regno exire. Et ecce inquisitor rediit cum cohorte hominum impiorum et convocatis primo sociis, quos emiserat, fratris Liberati in castro Fresolonis laudavit eos in prima sua praedicatione in populo et multos alios, qui in diversis locis Domino serviebant, per eosdem fratres congregavit usque ad numerum quadraginta duorum fratrum. Quibus congregatis, quum jam plene certificatus esset ab eis, quod frater Liberatus inveniri non posset, iterum fecit in populo eorum quae gerebat in animo expressionem cum furore nimio et minarum tonitruis, omnes haereticos esse denuntians, quos ipse congregaverat et illius castri homines nutritores et fautores ac defensores haereticorum in periculum suarum animarum et rerum extitisse. Deinde mandavit eos omnes capi et sub certis poenis ne quisquam eorum fugere posset cum summa diligentia custodiri. Et ex tunc se cum

tanta furia et animositate ad extorquendum pecuniam a clericis, laicis et monachis sub spe officii inquisitionis invereeunde convertit, ut omnibus potius a maligno spiritu agitatus videretur quam humano sensu vel arbitrio regi. Nam cujusdam militis filium Sancti Onufri Priorem captum in turribus castri Capuani reclusit et quendam alium Archipresbyterum, Priori imponens quod de Papa Bonifacio murmurasset, Archipresbytero, quod fratrem Liberatum et socios hospitio recepisset; alia innumera his similia faciens, quae ad explicandum magni voluminis tractatum exquirerent. Omni namque modestia et morum honestate deposita, honorem sui officii et potestatem ad crudelitatem et pecunias extorquendas converterat. Insuper mendaciis se ipsum involvens, per nuncium specialem litteras Domino regi et caeteris principibus scribit, quibus significabat, se quadraginta haereticos de secta Dulcini, natione Lombardos, cepisse, qui ad disseminandum sui erroris venenum de novo regnum intraverant. Quas litteras cum Dominus Andreas de Servio legisset, vocavit duos fratres de sociis fratris Liberati, qui ad ipsum iverant et processus inquisitoris ei notificaverant, et dixit eis: Erat vobiscum aliquis frater Lombardus? Qui dixerunt: Domine, non, nec inquisitor aliquem detinuit. Tunc scripsit Dominus Andreas inquisitori, quod ipse a personis fide dignis acceperat, quod nullum Lombardum excepto uno inter omnes, quos ceperat, habebat. Quare attendere ad sui officii dignitatem eum exhortabatur ut amicum praecipuum, et veritate in ejus executione uti, sine qua, inquit, nec humana nec divina judicia juste fiunt. Et legit inquisitor Domini Andreae litteras et furore nimio repletus ad vindicandum se de pauperibus illis quos ceperat, quibus et praefatus Dominus locum dederat, omnem indignationem et iram suam furibunde convertit. Et mandat illius castri hominibus, qui pauperes fratres illos cordaliter diligebant, post tot dies sub poena tantarum unciarum coram ipso in civitate Triventi representare. Quos sibi in praefixo termino praesentatos in quandam veterem cisternam depositos fecit includi, in qua diebus quinque eos

detinere fecit quasi in vegete sine spiraculo clusos, nullum pro aliqua corporali necessitate eis exeundi aditum praebens. Post quinque vero dies novus Decianus faciebat festinanter quendam locum in civitate ad torquendum eos suis carnificibus praeparari. Sed ut vidit quod Episcopus et principales homines civitatis tale spectaculum in eorum oculis de talibus personis fieri moleste portabant, mutavit consilium, per Boyanum transiens ascendit ad roccam Maginardi, locum sequestratum et maleficum ac durum Dominum habentem per omnia conformem malitiae cordis sui, ubi post se tractos fame vinculis et itinere fatigatos includi fecit sub firma custodia et in crastinum ingressus ad eos alloquutus est ipsos sub juramento se terribili stringens: quia nisi confiteamini mihi quod haeretici estis, hoc et illud faciat mihi Deus; si non vos omnes in loco isto sub diversis suppliciis et tormentis cruciatos occidam. Si vero secundum quod ego quaero, confiteamini quod estis vel aliqui in aliquo errore fuistis, statim sub levi poenitentia omnes liberos abire permittam. Cum quoque fratres dicerent ei, quod nec ab eis quod verum non erat, ipse deberet inquirere, nec ipsi sine morte animarum et injuria Dei possent tam impium mendacium confiteri, iratus inquisitor ab uno de eis, qui spiritu ferventior videbatur et sacerdos erat, jubet initiari cruciatus et ipse cum suis apparitoribus domum illam ingressus ligatis post tergum manibus troclea affixa ad trabem domus, quae erat altissima, sursum elevari fecit et in alto per horam detentus funem repente dimitti faciebat, ut confractus dolorum vehementia vinceretur et confiteretur, se quandoque fuisse haereticum. Dixit eis: ego fidelis et catholicus Christianus fui semper et sum et ero, et si aliud vobis dicerem, non credatis mihi, quia propter tormenta illud dicerem, et istud sit vobis perpetua mea confessio; quia hoc quod modo dico, veritas est, illud autem mendacium esset cruciatibus extorsum. Tunc amenti furore insaniens inquisitor jubet eum tunicula, qua operiebatur, exui et aqua frigida balneari et saxum ligari ad pedes ejus et elevari in altum et detineri et post detentionem repente

dimitti et acutissimis calamis in modum gladii tibias ei radi et iterum in altum elevari, donec in tertia decima elevatione funis fractus est et de alto cum saxo ad pedem ligato cecidit et in oculis illius fidelium subversoris inanimis et totus confractus jacens a ministris suae perfidiae inde elevatus in quodam sterquilinio projectus est. Ad tantam enim, cum esset vir sapiens et de nobili genere natus, devenerat insaniam, ut agitatus propriis manibus minaretur inferre tormenta. Nam quum quidam de fratribus torquendus Christo se ipsum devote recommendaret, insano furore vexatus tam fortiter eum pugno super aurem et collum percussit, quod et pilum revolutum hinc inde projecit ad terram, et in multis diebus in collo et capite toto de percussione illa dolorem tum aurium etiam in vita portaverit. Alium in oculis suis tantum fune torqueri fecit in capite, donec ossium capitis torquentes fractionem audierunt et cessantes pro mortuo dimiserunt. Pueros duos inter eos reperit, quorum unum ad prandium secum tenens prius inedia cruciatum vino puro potatum inebriavit et ab ebrio nesciente, quod assereret vel negaret, extorsit testimonium, quod fratres illi erant haeretici. Alium puerum in aculio nudum elevari fecit et manu propria lanceam vibrabat ad pectus ejus dicens: hac confestim lancea te perforabo, nisi confitearis, quod omnes hi, quos hic teneo, sunt haeretici. Et tam diu eum fecit cruciari, donec puer consensit, quod scriberetur, quod illi erant haeretici. Et quum ab illis duobus hoc verbum finaliter habuisset: — — diximus tibi, quod fideles sumus et dicimus, tu scribe, quod vis. Jam satiatus de tormentis eorum fratrem Vincentium, quem primo fecerat tormentari, pro mortuo dereliquit. Quosdam vero alios, qui de regno erant et omnibus noti et a quibus non poterat recte vel indirecte cujusdam confessionis extorquere sermonem, flagellis publice caesos detruncatis vestibus redire jubet ad propria et ad majorem pompam et opprobrium servorum Dei quos junctos vinxit(?) — quoque post se trahi faciebat virgines quasdam et — feminas tanquam haereticas usque Serniam duci jussit. Quas quum nullis minis vel affli-

ctionibus potuisset inducere, quod de se vel de aliis confiterentur, quod essent haereticae, publice flagellatas remisit ad propria.

Ex aliqua autem occasione quendam de sociis fratris Liberati nomine fratrem Thomam alibi dimiserat; quem cum aliis adjunxisset et ille audisset ab eis, quomodo permiserant, quod inquisitor id quod vellet (scriberet) protestando tamen et dicendo quod catholici sumus, cum forti impetu spiritus dixit ad eos: Vos Christum negastis et veritatem ejus et occidistis vos ipsos et omnes socios vestros, cum sint catholici, pro haereticis accusastis, et nunquam Deus miserebitur vestri, nisi publice revocaritis quod dixistis et inquisitori dixeritis, quod voluntatem ejus impiam timentes illud dixistis, volentes eum refraenare ab impetu furoris sui, ne occideret vos. Nunc autem audacter dicite, quod si amat esse vestrorum corporum homicida, quod de vestris corporibus suum desiderium compleat, quia animas vestras non tradet ipse diabolo ex confessione vestra.

In crastinum cum advenisset ad eos inquisitor, simul omnes protestati sunt, quod nunquam in mente essemus haeretici, sed dicimus, sic veritas est, nos catholici sumus. Tu scribe quod vis, quia in illo loco deserto nos omnes occidere decreveras. Tali verbo, (quod) tuae potius voluntatis indicatio quam nostrae confessionis, ab homicidio nostro retardavimus. Nunc autem occide sicut placet. Confitemur enim et protestamur omnes illam veritatem de nobis et sociis nostris omnibus, quae in oculis Dei et conscientiae nostrae est et, ut certi sumus, in conscientia tua, quod vere fideles sumus et fuimus semper et erimus usque in finem. Et illam fidem, quam tenet et docet sancta Romana Ecclesia Catholica, illam credimus et credemus usque ad mortem, et scribe quod nunc confitemur et tunc confessi sumus et revocamus illud, quod tunc tibi pro nobis malum volenti diximus: scribe quod vis. His auditis conversus ad fratrem Thomam dixit: ista est praedicatio tua, frater Thoma, sed ego carnes tuas et ossa tua ita faciam laniari, quod superbia tua et temeritas non habebit virtutem nec potentiam

talia docendi et loquendi. Et praecepit eum capi et vinculis fortissime ligatum ab aliis segregari. Cumque mandasset eum variis tormentis cruciari, dixit ad eum castellanus regis, qui verbis illius interfuerat: Per corpus meum, talis justitia in castro isto non fiat, quod qui fidem habent catholicam et confitentur, torqueantur. Et timens ne rei veritas ad aures regis perveniret, destitit a maligno suo proposito, et ulterius talibus cruciatibus nullum vexare praesumsit, nec aliquam inquisitionem de ipsis amplius fecit, sed in vigilia pentecostes usque ad nativitatem Domini quasi mensibus quinque multimode tribulavit et afflixit, ita quod plures de eis ex his quae passi sunt et in carcere et extra carcerem mortui sunt. Inquisitor vero ea hebdomade, qua finalem sententiam pronuntiaturus erat, coepit infirmari, ita quod alter eam denuntiavit, vid. quod nudi atque ligati primo per plateas civitatis Neapolitanae ducti sub voce praeconis flagellarentur, et post flagellationem cruce signati ejicerentur de regno, nullo ipsorum in sententia specificato errore, neque ab ipso inquisitore de aliquo peccato vel errore verbi aut operis correcti aut moniti sunt, in posterum sibi debere cavere.

Deus autem ossa illius, qui suos fideles pauperes tam crudeliter tractaverat, dissipare non distulit. — Et cognoscens, quod ad terribilis judicii sententiam vocabatur, mente retractans mala, quae fecerat, mandat Priori, restitui et Archipresbytero et aliis partem pecuniae, quam ab eis injuste rapuerat. Num quum totum redderet, non habebat et mortis doloribus circumdatus anxius in lecto suae amaritudinis suspirabat dicens: De alienis pecuniis, quae habeo, restitui facio. Sed quid dicam Deo, quod meliores servos suos, quos in vita mea viderim, ex sola pravitate meae voluntatis tam nequiter exposuerim, mendaciter diffamaverim. — Quasi desperatus ad judicium accessit. — Placere (quaesiverat) fratribus minoribus, quos semper impugnaverat, et pressuram non parvam a Domino Nicolao III. propter hoc sustinuerat.

Sexta persecutio.

Hujus (hypocrisis) livore maculati fuerunt communiter omnes sextae tribulationis auctores et promotores. Et praesertim illi, qui procuraverunt tempore Domini Bonifacii carcerationem fratrum plurimorum sanctorum in provincia Provinciae post depositionem ministri provincialis et animose damnaverunt doctrinam Petri Johannis, et ossibus et reliquiis violato sepulcro ipsius occultam injuriam intulerunt. Tunc siluerunt, latuerunt et absentaverunt se ex eis plurimi ruinam gladii persequentium non ferentes, fueruntque sub pressura persequentium, donec Deus per hominem amatorem veritatis magistrum Arnaldum de Villanova medicum, qui loquutus fuit cum rege Carolo Regni Siciliae et induxit eum ad scribendum litteras efficaces generali Ministro pro fratribus illis, qui injustas tribulationes sustinebant in provincia Provinciae. In quibus litteris notificabat eum, quod si debitum festinumque remedium non apponeret eorum injustae tribulationi, quod hoc fieri per Summum Pontificem firmiter procuraret. Magister praedictus zelans pro reformatione evangelici status, secrete Dominum Clementem Summum Pontificem induxit ad citandum coram eo fratrem Raymundum Gaufridi et fratrem Guidonem de Mirapice, fratrem Ubertinum de Casali et fratrem Bartholomeum Siccardi et reliquos eorum socios, viros scientiae et sanctitatis praeclaros etiam testimonio aemulorum, et praecipere eis per obedientiam districte, offerre ei in scriptis quaecunque scirent et cognoscerent, in statu ordinis eorum fieri, quae correctione et reformatione indigerent. Quod factum fuit ad impletionem prophetiae viri sancti fratris Johannis de Parma, qui pronuntiabat inter alia et dicebat, quod ante reformationem conflictum linguarum fieri et dogmatum fistulas tangi. Fuit enim principium propinquum tribulationis sextae, quae et finem accepisse videtur in anno vigesimo octavo ab renuntiatione papatus Domini Coelestini, secundum quod quidam ab angelo Domini accepisse dicitur. Et complimentum verbi Sancti Spiritus ad Christum: imple facies eorum ignominia et quaerent nomen tuum Domine. (Ps. 83, 17.) Et

Christi ad matrem supplicantem pro reformatione evangelici status respondentis: non dimittent populum meum nisi in manu forti. Et fabulae illius propheticae rustici et sancti Martini, quam sanctus Franciscus, teste fratre Leone, frequenter recitabat, per rusticum ingratum ordinem, per sanctum Martinum Summos Pontifices volens intelligi, quod oportebat finaliter ordinem humiliare et ad suae humilitatis principia confitenda et tenenda reducere. Et forte ille Pontifex, qui reducet eos invitos et humiliabit, erit malleus ferreus praeostensus, qui custodiam aeream percutiet etc.

Et eo tempore quo Apostolicos viros Dominus misit in mundum, Dominicum et Franciscum, missus Amalricus a diabolo fuit, per quem et multos subvertit et ad immundissimam sectam Auxani (?) libertatis traxit, quae per ill. Regem Franciae Philippum magistro Raydulfo jubentem rationibus et auctoritatibus convincere et confutare eos, extincta fuit. Sed nunc revixit reformationis vitae Christi tempore appropinquante et per fratrem Ubertinum jubente Summo Pontifice seu legato ipsius detecta et eradicata fuit in brevi tempore, quantum fuit ex parte ejus, quod ante ipsum nullus inquisitor attentare praesumserat. Hic ex devotione cordali, quam habebat ad Christi vitae renovatorem Franciscum in monte Alvernio stetit; in quo monte in forma Seraphi vel Seraphini plagatus in Christi specie apparuit eidem sancto Francisco; ibi Christi spiritus praedictum fratrem Ubertinum unxit et a claritate, quam prius gratis a Christo susceperat, in claritatem transformavit ampliorem, et de Christi nativitate ibi scripsit libellum.

Illius autem libertatis malignae sectae in Italiam introductor fuit Girardus Cicarellus, illorum fratrum, qui dicuntur Apostoli, primus adinventor. Qui discipulum quendam Stephanum habuit infatuatum a diabolo, promtum praedicatorem, quem fratres Praedicatores combusserunt, magistro ejus adhuc vivente. Quem sequutus est Dulcinus, cujus seductionem multis annis ante servus Dei quidam orans audivit . . . Unus et idem angelus malignus agitavit eum et magistrum suum Girardum . . . Et vir sanctus frater

Leo, sancti Francisci socius, qui primo vidit eos, obstupuit et dixit illi: Sunt illi Sathanae apostoli, quos pater noster sanctus Franciscus praedixit esse venturos, qui seducti multi seducent, et loquentur et animaliter vivent obedientiae et humilitatis Christi spiritum impugnantes? Otiose viventes discurrent per civitates, magistram habentes propriam voluntatem, penetrabunt domos et illaqueabuntur familiaritatibus mulierum docentes indocti, et pro veritate suscipient mendacium. Vae mundo, quia undique mala consurgent, ex quo tales apparuerunt Apostoli! Nam et quidam de secta illa Apostolorum nomine Bentivenga ordinem minorum intravit et spiritus libertatis diabolicae spurcissimam labem in sancti Francisci provincia seminavit. Qui tantam exterius morum honestatem praetendebat, ut multos saeculares et religiosos et clericos ad se propter magnae sanctitatis famam, quam habebat, attraheret. Hic cum multis spiritualibus personis quadam verborum calliditate illuderet, et superba sui ipsius reputatione coecatus omnem intelligentiam arcanorum Dei se jactaret intendere; etiam ipsi fratri Ubertino dementiae suae erroneas subtilitates proponere, quasi minus intelligeret, non timuit. Quae vir catholicus ut audivit, dissimulavit prudenter et coram prudentibus et fide dignis testibus quasi sitibundus suae doctrinae auditor ad loquendum, quae sentiebat, inducit, et tam caute, quod omne venenum, quod gerebat absconditum coram illis intelligentibus, quos sibi devotos credebat, evomuit et tunc ex suis verbis frater Ubertinus, quam turpiter errasset et erraret, eidem et omnibus ostendit. Et ex tunc et nomen et audaciam et praeclaritatem simul confusus perdidit et suorum sequacium coactus fuit manifestare insanias et errores.

Frater Ubertinus habitans in monte Alverno multos in religione et praesertim in provincia Tusciae et vallis Spoletanae et Marcae Anconianae vitae exemplo et virtute suscitavit et inflammavit ad puram et fidelem observantiam, et consilio sanctarum personarum assentiens, ut favere posset spiritualibus personis et fratribus, qui multa patiebantur ab aemulis in Tuscia et in valle Spoletana, multis periculis et

laboribus scienter se dedit. Nam et apud clarae memoriae Dominum Papam Benedictum diffamatus ab aemulis et accusatus in multis et ab eodem Domino ad instantiam eorum vocatus Romam, Christi protectione a calumniis modo mirabili liberatus est ipsoque ignorante. Post paucos dies Perusini mittentes ad praefatum S. Pontificem ambasciatores solemnes duo principalia postulare ab eodem Domino acceperunt in mandatis: 1) quod dignaretur eis luminare sanctae discretionis et claritatis restituere, fratrem scil. Ubertinum, qui totam civitatem illorum illuminaverat et ad Deum singulariter traxerat; 2) quod se ipsos et civitatem suam tanquam patri et Domino liberaliter offerebant supplicantes, quatenus ad morandum ibi cum duobus Cardinalibus fratribus suis accedere non differret. Qui subridens dixit ad eos: fratrem Ubertinum nobis et fratribus nostris praetulistis. In hoc ostenditis, quod modicum nos amatis. Qui dixerunt ei: per quantum spiritualia mundanis praeferimus, demonstravimus, quod vos et ipsum fideliter et ordinate amamus. Et quia sextae tribulationis impetum iste sustinere debebat, ideo dedit ei Dominus ostium scripturarum et acumen intelligentiae, nec potuerunt involvere innocentes quamdiu ipse pro quaestione stetit. Fratres vero moleste portantes fratrum vocatorum responsiones in scriptis datas Summo Pontifici juxta obedientiam eis injunctam, diversis modis affligere et diffamare coeperunt et inquisitiones de ipsis facere et de eis adhaerentibus, et articulos varios contra ipsos proponere coram auditoribus et Summo Pontifice, animose potius quam rationabiliter contra eos procedentes, et ex hoc Summus Pontifex ipsos magis suspectos habere coepit, praesertim quum de fama fratrum, quos notaverat, et de conditionibus eorum et vita et industria Ministrum generalem et omnes Ministro generali assistentes illis absentibus, quos notaverat, inquisisset et cum solicitudine interrogasset et particulariter de fratre Ubertino eo quod Italicus esset. Et quum de omnibus testimonium perhibuisset, quod erant viri solidi in religione et moribus et scientia praeclari, singulariter ei fratrem Ubertinum, de quo singulariter postu-

labat, commendaverunt. Ex qua re voluit, in judicio nullum habere vigorem omne quod adversus eos fratres proponeretur ex parte Ministri generalis et ordinis. Hinc fratres amplius insanientes ut ordinis destructores et diffamatores, pro obedientia quam implere eos oportuerat, persequi et offendere sacrificium eis vespertinum esse praediabant in tantum, ut audacter aliquis eorum se venenasse fratrem Raymundum Gaufridi et fratrem Guidonem de Mirapice et fratrem Bartholomeum Siccardi et alium quendam fratrem non erubesceret publice confiteri, ita quod haec fama totam fere curiam implevit. Ipse enim Summus Pontifex de fratrum reverentia et obedientia pluries querelam fecit, et specialiter in concilio Viennensi. Nam si quis vellet particulariter quae acta sunt tribulationis hujus sextae tempore solum tangere, non dico explicare, multas oporteret eum cartas implere. Nam solum ea quae per fratrem Ubertinum et Bonamgratiam gesta sunt, non explicarentur magno volumine. In omni verborum conflictu illo coram fratre Ubertino succumbente et ex hoc semper magis insaniente, nam Dominus Papa Clemens ex verbis suis motus fuit, cum esset vir mansuetus et modestus et ad iram valde tardus, repellere eum de curia et inclaustrare, ne talibus se litigiis posset immiscere. Qui, decedente Summo Pontifice, statim obedientiam sibi impositam fregit et Lugdunum venit, ubi quum argüeretur a bonae mem. Dom. Hostiensi de inobedientia, quam ostendebat et de litigiis quae sub specie defendendi ordinem assumebat, respondit ei: Domine, vere sciatis, quodsi ego propter hoc deberem damnari, omnes, qui ordinem vindicare de omnibus injuriis, quas fratres vocati per Summum Pontificem et omnes eis adhaerentes et defensores doctrinae Petri Johannis et Begini et fratricelli et omnes similes ordini intulerunt; quasi Summo Pontifici obedire et veritatem de interrogatis Domino et pastori respondere et ex caritate pro veritate stare et humiliter sapere, ordini fuisset horrendam et inauditam inferre contumeliam. — —

Cum Summus Pontifex in concilio Viennensi Episcopos sanctos in jure canonico peritos et plures in sancta Theo-

logia Magistros ad audiendum et examinandum ea, quae pro reformatione proponebantur totius religionis a fratribus, exceptis Ubertino et sociis, juxta mandatum, quod ab eodem acceperant, tantam crudelitatem et tantum odium ad ipsos et eis adhaerentibus in provincia et in Tuscia et in valle Spolitana ostenderunt, quod omnibus patere poterat, quod in modica vel nulla reverentia Summi Pontificis obedientiam et auctoritatem habebant et odium ita implacabile ostendebant, quod coacti fuerant diversis persequutionibus a communitate secedere fratrum et dividere se ab eis, quod vel mortem a persequentibus sustinere vel fugere a facie et dominio persequentium cogebantur. Et quum fratres qui reformationem postulabant, rogarentur a magnis personis ex devotione ipsos et ordinem amantibus, quod cessaret talis divisio et verborum conflictus et ex puro corde responderent, quod ipsi erant parati ad omnia, quae sine peccato mortali fieri per eos poterant, vota fratrum implere et concordare cum ipsis, solum ex parte fratrum non remanerent, nunquam nec per Cardinales neque per alios induci potuerunt, quod in aliquo modo reformationis status regularis vellent consentire. Sed asserebant pertinaciter, quod ipsi regulam et etiam plus observabant, et quod nullo modo nec secundum intentionem fundatoris, cum ipsi regulam intelligerent ita bene sicut fundator, neque secundum declarationem quatuor magistrorum, neque secundum declarationes papales neque secundum constitutiones fratris Bonaventurae vel cujuscunque alterius dicta quantumcunque magni reformationem aliquam intendebant assumere, cum nulla in aliquo indigeret reformatione, sed perfectius ordo tunc vivat quam omnibus temporibus retroactis. Ex qua re processerunt in causa et facta est declaratio quarta papalis; quae inter alias est sicut aquila volans intentioni fundatoris maxime propinquans. Cujus declarationis substantiam ex iis, quae frater Ubertinus pro se et suis sociis proponebat, Episcopi et Magistri traxerunt. Ex qua re totus ordo illam declarationem licet apparenter suscepit, corde tamen et animo exosam habuit, propter quam procuraverunt aliam a

successore Domini Clementis Domino Johanne Papa eis immediate fieri, in qua cellaria, granaria et olearia conceduntur, quae illa communiter prohibebat.

Interea antequam quaestio a Papa Clemente bonae memoriae terminaretur, fratres de Tuscia videntes et certissime sentientes, fratrum contra se odium et livorem concitatum nullam de Summi Pontificis determinatione conscientiam facere, sed ad eorum mortem et exterminium aspirare, perhibito consilio cujusdam sancti et sapientissimi viri Domini Martini Canonici regularis natione Senensis cogitaverunt de fuga. Nam Dominus Martinus auditis et ex parte visis impetuosis fratrum motibus, cum haberet etiam notitiam fratrum, qui persequntionem sustinebant et sanctae conversationis et voluntatis eos esse et semper fuisse certissime sciret, dixit eis: fratres, credite mihi, ipsi expellunt vos et auctoritati Ecclesiae non obediunt, imo scienter impingunt in eam. Si non essetis nisi tres, vos potestis eligere Generalem. Et ego paratus sum coram Summo Pontifice et Cardinalibus omnibus et quibuscunque sapientibus ostendere, quod recessus vester ab eisdem sanctus et justus et electio, quam facietis, erit canonica et recta. Crediderunt consilio illius viri, qui nesciebat omnes circumstantias illius negotii, et elegerunt sibi Generalem et reliquos secundum regulam praelatos. Quod redundavit eis in scandalum et omnibus eorum sociis, et Summus Pontifex et Cardinales omnes, etiam illi, qui favebant negotio, turbati sunt et faciliter potuerunt credere de ipsis omnia mala, quae de eis a suis aemulis fuerant in indicem proposita. Et licet ipsi circa obitum Domini Clementis miserunt litteras, quod erant parati in omnibus obedire suae paternitati et correctioni subesse: litterae tamen illae non venerunt ad Summum Pontificem, quia fautores eorum eas praesentare post talem processum per eos factum noluerunt. Sic nec nuncii eorum missi ad Dominum Papam Johannem, detenti et carcerati per fratres tanquam excommunicati atque haeretici comparere voluerunt. Ex accusationibus eorum fratrum, qui auditoribus et aliis praelatis de exemtis et re-

formationem postulantibus detrahendo dicebant: isti reformationem postulant et induunt et vivunt relaxate, plusquam nos, moti sunt fratres postulantes revocationem assumere habitus viles et vivere litteraliter secundum quod postulabant, et propter hoc fratres magis amaricati sunt et odium odio addiderunt. Illis vero vilis habitus et paupertatis usus et defectus in tantum placere coeperunt, quod spiritualiter et corporaliter jucundabantur, et laudabant Deum. —

Terminato namque concilio negotium fratrum remansit indeterminatum, et quamvis ab Episcopis et Magistris esset declaratio edita, in qua octoginta quaestiones seu dubia, quae trahebantur de litera regulae, solvebantur, finalem determinationem illius negotii retinuit in sua potestate Dominus Papa. Et quia fratres moleste portabant, quin imo sustinere non poterant videre fratres illos, qui habitus mutaverant et reformationem postulaverant, cum experientia didicissent, quod de mora cum fratribus comminebat eis periculum corporale, juxta Malausanem invenerunt quandam Ecclesiam solitariam, prope quam erant speluncae et aqua, ubi de licentia patroni illius, cujus erat Ecclesia, fratres illi exemti se recolligerunt viventes ibi in vera et pura regulae observantia et hyeme sequenti steterunt in loco sancti Lazarii in Avinione usque ad sententiam et definitionem per Summum Pontificem datam et factam. Et tunc mandavit omnibus tam districte quam potuit, quod unanimiter omnes servare regulam suam studerent juxta declarationem de suo mandato ab Episcopis et Magistris editam in concilio. Injungebat ministris et custodibus benigne et caritative tractare fratres, quos vocaverat et omnes alios, qui eis adhaerebant in tota religione, tanquam veros et obedientes suos filios; mandabat quod a praelatis eorum et aliis fratribus omnibus haberentur in reverentia et plus aliis promoverentur ad officia religionis et magis honorarentur. Et illis mandavit, quod humiliter obedirent suis placitis et in pace et concordia studerent conversari et totis viribus servare declarationem et ita se habere, quod ex parte eorum omne scanda-

lum, querela et divisio in posterum absorpta cessaret et ita dimisit eos.

Frater vero Ubertinus tunc clamavit pro omnibus ad Summum Pontificem proponens verbum Psalmistae: retribue servo tuo, vivifica me secundum verbum tuum, rememorans quas propter suam obedientiam, sicut notum erat, multas tribulationes sustinuerant et plures et graviores erant in posterum passuri, nisi secundum quod ipse firmam eis spem dederat, remedium sufficiens opponeret, quo volentes regulam observare juxta modum necessarium ad salutem traditum in declaratione ex suo mandato per Episcopos et magistros edita in concilio protectionem et defensionem debitam et opportunam haberent contra pressuras et injusta gravamina notorie ipsis inferenda ab his qui nollent salutarem modum praefixum in declaratione servare et scienter infringerent et in aliis persequerentur et impugnarent. Quod si facere negligeret vel renueret, Deus sanguinem animarum omnium, qui tribularentur et opprimerentur injuste, requireret de manibus omnibus. Summus vero Pontifex ostendit se confidere de obedientia fratrum, et id quod frater Ubertinus instanter de scandalo funditus prohibendo in posterum postulabat, renuit facere, nolens fratribus displicere. Fratres vero omnes juxta Domini Papae mandatum recesserunt de curia et cum promtitudine suorum superiorum implebant obedientiam, et patienter illatas eis injurias contra Dei et Summi Pontificis mandatum sustinebant.

Mortuo vero Summo Pontifice tam dure et aspere eos tractare coeperunt et corporaliter et spiritualiter tribulare et ad ea quae erant contra regulam et declarationem obedientiis et statutis et poenitentiis et imperiis impellere, persequi et vexare, quod deliberaverunt eorum furenti malitiae cedere. — Quanta vero et qualia sustinuerint, — ex his quae passi sunt didicerunt, odientium et persequentium agitationem potius esse daemonum quam operationem hominum.

Reduxerunt ergo se post segregationem ad conventum Narbonensem et Biterensem, eo quod homines illarum civi-

tatum in multa eos reverentia et devotione habebant et propter sanctitatem, quam in eis esse cognoscebant et propter virtutes et signa, quae ad sepulcrum viri sancti Petri Johannis videbant quotidie fieri. Erant autem in illis duobus conventibus centum viginti fratres.. Sed et eorum adversarii non cessabant eos persequi et contra eos procedere et articulos multos contra ipsos formare, modo praecipiendo ex parte Ministri generalis vel provincialis seu protectoris ordinis, modo scitando eos et tanquam contumaces et inobedientes excommunicando ac aliis modis diversis cum praelatis et rege Franciae procurando ipsos capere tanquam apostatas et scismaticos et rebelles ordinis. Propter quas molestias et vexationes consiliis sapientium primo habitis appellare compulsi sunt de omnibus, quae eis fratres imponebant, ad futurum Pontificem. Deo autem disponente Cardinalium collegium tunc in tres partes enormiter, spiritu maligno impugnante, divisum, per illustrem, catholicum et sapientem virum Philippum Regem Franciae Lugdunum deductum conclave de consensu principum ad electionem Summi Pontificis faciendum intrare persuasum est, ubi non post multos dies in Dominum Jacobum de Caturcho Cardinalem omnes unanimiter concordaverunt et provisum est Ecclesiae a Deo in die Sancti Donati et vocatus est Johannes, quasi a Deo datus et missus. Qui omnium, quae acta fuerant inter fratres diuturno plene erat ex his quae viderat et audierat informatus et divisionem illam moleste portabat. Ad quem quum fratres minores accessissent, mandavit provinciali ministro, fratribus illis praecipere ex parte sua, quod loca dimitterent et conformes aliis fratribus in habitu et in vita esse deberent, et quod ad illa loca accederent ad morandum, quae minister provincialis eis duceret assignanda, eidem suppliciter obedientes in omnibus quae mandaret. Illi vero determinaverunt penitus ad Summum Pontificem velle accedere et puram regulae observantiam instanter ab ipso postulare, et suae ad ipsum appellationis rationes et causas coram ponere et ejus potius, quam fratrum, qui eos ad mortem oderant, subire sententiam. In-

terea fratres petitiones suas dederunt Summo Pontifici, infinitas diffamationes et impositiones continentes et paucas valde veritates vel nullas pie et recte propositas contra personam fratris Ubertini et contra fratres de Tuscia et contra fratres conventus Narbonensis et Biterensis et contra fratrem Franciscum Sancii et fratrem Guilhelmum de Sancto Amantio et contra fratres Provinciae, quos Beginos vocant, et contra fratrem Liberatum et fratrem Angelum et socios. Et abhorruit Summus Pontifex gravia mala et facinora et haereses, quae fratres de praefatis omnibus scribebant et praesertim de fraticellis et beginis, et volens fratrum petitionibus tanquam piis et justis in parte satisfacere ac eorum preces admittere, primo de fraticellis exaudivit eos et verbo et scripto eorum statum cassavit et annullavit et adstantibus fratribus cum suis accusationibus, inquisitionibus, litteris, quas in medium proferebant ad probandum contra praefatos, quae dixerant, coram Summo Pontifice et Dominis Cardinalibus vocati sunt ad petitionem fratrum fratres illi, qui accusabantur ab eis, Ubertinus, Gaufridus et Angelus. Et quum frater Ubertinus confutasset omnia quae fratres proposuerant, et ostendisset esse falsa et ex malitia et invidia procedere, quae dicebant, interrogavit Summus Pontifex fratrem Ubertinum, an ipse adhaereret fratribus de Narbona et de Biterris? et an ipse vellet fratris Petri Johannis doctrinam defendere? Cui frater Ubertinus respondit: Pontifex summe: ego in his quae olim feci obedientiam vestri praecessoris implevi et a me ipso in his penitus nihil feci. Verum si vestrae paternitati placet, mihi praecipe, quod ego de fratribus de Narbona et sociis vel pro doctrina fratris Petri Johannis nunc quaestionem assumam, ecce paratus sum, Vestrae voluntati in omnibus obedire. Cui Summus Pontifex respondit: Nolumus, nolumus quod intromittatis vos. Postea interrogavit fratrem Gaufridum de Cornone: Utrum ipse vellet stare pro appellatione, quam fecerunt fratres de Narbona et de Biterris? Cui frater Gaufridus dixit: Pontifex summe, ego sum et fui cum Domino Philippo et non interfui appellationibus

eorum neque illarum quaestionum plenam notitiam habeo, quare pro his, quae me non tangunt, stare penitus non intendo. Frater vero Philippus de Canto respondit ei, quod licet ipsum illae quaestiones non tangerent, intendebat tamen stare cum ipsis in omnibus, quae pro reformatione status regularis faciebant. Quum autem venisset frater Angelus coram eo, interrogavit eum, an ipse esset frater minor. Cui ille respondit, quod sic. Et dixit ad eum Summus Pontifex: quare recessisti ab eis? Respondit: Pater sancte, ego non recessi ab eis, sed interrogate eos, quare ipsi repulerunt me. Et siluit Summus Pontifex. Et iterum dixit ei: praecipio tibi, si tu unquam confessiones audisti? Qui respondit: Pater sancte, non sum sacerdos et una de rationibus, quare nolui esse sacerdos, est, quod nolebam audire confessiones. Verum ego nullius confessionem audivi. Et post aliquas alias interrogationes praecepit fratribus, quod legerent litteras Domini Papae Bonifacii et Domini Patriarchae Constantinopolitani. Quibus lectis dixit Summus Pontifex fratri Angelo: Frater Angele, tu es excommunicatus. Respondit frater Angelus: Pater sancte, neque excommunicatus neque excommunicabilis quum semper obediverim tam Domino Bonifacio quam Patriarchae et caeteris Praelatis Ecclesiae. Et quum inciperet dicere et ostendere, quomodo illae litterae maliciose et cum mendaciis fuerant impetratae et reservatae, et quomodo fratres contra illas litteras scienter venerant et nullam deinceps conscientiam habuerant, sed operibus et sermone ipsas iniquas et inique impetratas confessi fuerant, non potuit Summus Pontifex eum audire, sed impedivit eum, ne compleret, quae dicere coeperat. Tunc frater Angelus dixit: Audistis mendacia fratrum, et veritatem quam vobis dico non sustinetis audire. Erat autem hora quasi sexta. Et mandavit Summus Pontifex propter illam excommunicationem detineri fratrem Angelum, donec postea audita plenius veritate praecepit eum dimitti et absolvi ad cautelam. Et quum omnino vellet Summus Pontifex, quod rediret ad fratres vel unam de religionibus approbatis intraret, et ille semel et secundo et

tertio verbo et scripto postulasset ab eo, tam pro se quam pro sociis provideri sibi de modo sibi servandi votum in manu Papae et Papali auctoritate firmatum, cognovit rationes et causas, quare Summus Pontifex suam petitionem nullo modo fieri facere definisset, et respondit ei, quod ipse erat in ordine approbato duplici ratione: Tum quia Papa Coelestinus receperat eum in fratrem suum, tum quia de sua auctoritate vitam eremiticam, quod est coenobiticae vitae perfectio et quasi finis, assumserat. Et tunc per Dominum Napoleonem mandavit ei, quod habitum illorum assumeret. Assumsit quoque et promisit vitam sequi Domini Coelestini seu sancti Petri de Morone, quod teste ipso sancto Petro fuit in altissima Christi paupertate vivere et mori. Circa festum vero pentecostes venerunt sexaginta quatuor fratres ad Summum Pontificem de conventu Narbonensi et Biterensi, et non declinaverunt ad loca fratrum, sed intrantes Avinionem ad Summi Pontificis palatium decesserunt, donec Summus Pontifex audientiam eis dedit. Proposuit autem unus ex eis nomine frater Bernardus Deliciosi, vir magnae modestiae et praeclarae scientiae et disertae eloquentiae, coram Summo Pontifice et Cardinalium collegio tam prudenter, circumspecte et efficaciter, quod ad ea, quae dicebat et postulabat, nulla ab adversariis instantia rationabiliter poterat dari. Erant enim certi, quod omnes eorum astutias confutaret et apparentes eorum dissolveret rationes et quod illo stante pro quaestione et audientiam habente succumberent. Quocirca ad dolos et injustas calumnias se convertunt dicentes: Domine sancte pater: iste qui tam audacter contra suum ordinem coram Vestra Sanctitate nunc talia et tanta proponit, est vir pestilens et malignus et facit mala innumera. Frater qui nec audire nec stare in judicio, nec dum contra ordinem, in quo tot et tanti viri sunt sancti, sed nec contra quempiam comparere pro negotio aliquo dignus esset. Nam et officium inquisitionis sicut male in Christo sentiens impedire praesumsit. Et alia plurima de ipso praemeditata et praeordinata clamantes, ut eum a causa excluderent, a quo se superari, si audientiam haberet, certissime providebant. Nam

ipse pro se et pro fratribus aliis nihil proponebat nec postulabat, nisi id quod eis juste negari non poterat: observantiam fidelem et puram promissae regulae et remotionem impugnantium observantiam necessariam ad salutem. Quum autem satisfacere vellet praedictus frater et calumnias suas personales confutare et reducere eos ad causam, pro qua coram Summo Pontifice stabat, fratres adversarii instabant proponentes alia contra eum, donec Papa conversus ad fratrem Bernardum dixit: Et nos propter multa mala, quae de te audimus, detinemus te. Et quum tali modo exclusus fuisset, voluit frater Franciscus Sancii loqui et ea quae erant proponenda et explicanda pro se et sociis persequi. Tunc fratres simili modo clamaverunt: Domine, neque iste audiendus est, quia contra obedientiam ministri et ordinis praesumsit tanto tempore et ut lector publice docere et praedicare et ordinem totis viribus impugnare. Cujus rei gratia mandavit Summus Pontifex fratribus, quod accusarent eum. Quum autem frater Guilhelmus de Sancto Amantio post eos proponere vellet ea, quae pro negotio sibi in tali casu expedientia videbantur, perturbaverunt eum fratres accusantes et asserentes, quod lapidaverat bona ordinis a Summo Pontifice ad usum concessa et quod Narbonensem conventum desertaverat. Ob quas accusationes Summus Pontifex statim eum detinuit. Videns autem frater Gaufridus, quod illi tres exclusi erant a tali negotio, assumsit verba et efficaciter proposuit et postulavit pro se et aliis puram regulae observantiam, et displicuit Summo Pontifici, quod frater Gaufridus intromiserat se de quaestione, et quum vir esset discretus et nobilis et morum et vitae irreprehensibilis, corpore tamen infirmus et debilis, sed semper sibi austerus, quare non habebant fratres unde eum apparenter aut existenter sicut caeteros accusare vel diffamare valerent. Summus vero Pontifex, licet eum inter alios magis familiarem habuisset, dixit ei: frater Gaufride, non modicum admiramur, quod regulae arctam postulas observantiam et tu quinque tunicas portas. Respondit ei frater Gaufridus: Pater sancte, vos in hoc decipimini, quod non

est verum, quod ego quinque tunicas portem, salva Vestra reverentia. Et dixit ei Summus Pontifex: ergo mentimur nos? Respondit frater Gaufridus: Pater sancte, ego non dixi, neque dicerem, quod vos mentimini, sed dixi, quod et dico, quod non est verum, quod ego quinque tunicas portem. Et dixit ei Summus Pontifex: nos detinemus te et sciemus, si verum est, quod tu quinque tunicas portes. Videntes autem alii, quod audientia non daretur eis, clamaverunt: Pater sancte, justitia, justitia! Et mandavit eis omnibus Summus Pontifex, ut redirent ad locum fratrum, et fratribus, quod custodirent eos, donec maturius deliberaret, quid de ipsis esset agendum.

Camerarius vero Domini Papae suscepit in sua custodia fratres Bernardum Deliciosi et Gaufridum et Guilhelmum de Sancto Amantio. Fratrem Franciscum Sancii posuerunt Fratres in quodam carcere juxta latrinas. Et post paucos dies carceraverunt fratrem Guilhelmum Girardi et fratrem Philippum et facta de ipsis inquisitione juxta Domini Papae mandatum exceptis viginti quinque fratribus, omnes consenserunt fratrum consiliis et voluntatibus, et fratres imposuerunt eis poenitentias secundum rigorem justitiae ordinis. Illos autem viginti quinque tradiderunt in manibus inquisitoris, ex quibus quatuor combusti sunt pro eo, quod tale votum habet vim praecepti specialiter in his, quae regula praeceptorie vel inhibitorie mandat; et talia, dicebant, non cadunt sub dispensatione alicujus. Asserebant enim, quod Summus Pontifex non potuerat fratribus minoribus, qui promiserunt Christi evangelium, concedere cellaria, granaria et olearia, et quod Papa peccaverat concedendo et ipsi recipiendo; et quia ab hac assertione non potuerunt per aliquem revocari, ideo sententiam ignis acceperunt. Alter autem immuratus est perpetuo, quia licet finaliter revocaverit, tamen pluribus diebus multum pertinax in defensione suae assertionis fuerat. Caeteri autem omnes coacti sunt abjurare et in populo praedicare, quod istos errores tenuerant et propter consensum vel adhaerentiam ad tenentes vel defendentes praefatas haereses,

poenitentias eis injunctas sub sigillo inquisitorum susciperent et implerent, ac publice eos in populo, ubi contrarium praedicaverant, revocarent, quod si facere contemnerent, tanquam relapsos deinceps puniri ubicunque invenirentur. — Tenebatur autem frater Bernardus Deliciosi in cippo et vinculis ferreis et sustentabatur pane angustiae et aqua tribulationis. Sed totum, quod patiebatur a persequentibus eum, quasi nihil esse penitus sibi videbatur, et adinventiones eorum et studia convertebant si quo modo de ore ipsius verbum possent aliquod capere vel extorquere, per quod occasionem haberent contra eum tanquam haereticum procedendi. Accedebat ad eum princeps litigiorum frater Bonagratia armatus cautelis et consultationibus suorum quondam in saeculo sociorum et beatitudinis suae gloriam singularem obtinere se tunc veraciter credidisset, si potuisset versutis et dolosis inquisitionibus eum quomodolibet supplantare. Sed vir Dei ei et suis coadjutoribus taliter respondebat, quod per eum propositia ostendebat non tantum fuisse catholica, sed necessaria ad salutem et tam solida, quod non possent negari absque negatione fidei Christianae. —

Contigit autem, quod fratres quandam litteram invenerunt, quam frater Bernardus quibusdam personis devotis miserat, quae continebat aliqua verba, quae fratres more suo interpretabantur in malam partem. Ut autem Summi Pontificis animum concitarent contra eum, praesentaverunt ei praefatam literam inferendo auribus ejus suae suspicionis perversam interpretationem. Insuper prae gaudio se non valentes continere, hinc inde per Avinionem disseminabant, quod, sicut in Massilia illi quatuor fratres, ita et iste post paucos dies combureretur. Exspectabant communiter omnes judicium hujus viri. Vocatus enim fuerat a Summo Pontifice post datam ei cedulam a fratribus in proxima sexta feria sequenti ad consistorium responsurus coram omnibus de intentione et continentia litterarum. Et lectis coram eo litteris, interrogavit eum Summus Pontifex: an ipse illas fecisset litteras? Qui confessus est se fecisse eas. Et voluit Summus Pontifex, quod intentionem quam habuerat in

litteris, coram omnibus diceret. Quod quum fecisset, ita Summus Pontifex remansit de sua expositione placatus, quod nil contra eum propter illas litteras dicere voluit. Tunc etiam tribus Cardinalibus increpantibus eum, Domino de Vitali et Domino Hostiensi et Domino Guilhelmo Petri, taliter satisfecit coram omnibus, quod nullus eorum habuit, unde responsioni ejus posset rationabiliter contradicere. Sed cognoverunt omnes, quod paucos homines ita sufficientes ordo haberet. Cum igitur fratres non invenirent, unde possent, sicut sitiebant, procedere contra eum, rememorati sunt fratres praedicatores, quomodo ipse suum inquisitorem coram Rege Franciae convicerat et falsarium sui officii probaverat, et scientes, quomodo fratres minores, quos ipse a magna liberaverat confusione, eum coram Summo Pontifice accusaverunt de impugnatione officii inquisitionis et de favore haereticis impenso, ipsum fratrem Bernardum sibi dari a Summo Pontifice petierunt. Et videns Summus Pontifex, quod secundum accusationes, quas de eo fecerant fratres minores, justitiam postularent, tradidit eis eum, qui quum suscepissent eum in sua potestate sicut canes, cum vehementer furiunt, lacerant, quam capiunt bestiam, ita ipsi diversis afflictionibus et cruciatibus laniaverunt eum. Et videntes quod neque inquisitionibus nec tormentis poterant pompam de eo facere in populo, quam quaerebant, in arctissimo carcere eum recluserunt, ibidem eum taliter tractantes, quod infra paucos menses quasi per ignem et ignem transiens de carcere corporis et minorum et praedicatorum liberatus gloriose triumphans de mundi principe migravit ad coelos.

Postquam vero de suis secundum voluntatem suam victoriam fecerunt, conversi sunt ad faciendam vindictam de quibuscunque personis diligentibus eos, sive saecularibus sive Beginis sive fratricellis sive mulieribus sive hominibus et per se et per alios, sitientes vindictam potius quam correctionem, quaerentes pecuniam ab eis extorquere — confuderunt multos, mactaverunt quosdam, cruciaverunt plurimos et nullum suo furori terminum imponebant et accu-

sabant simpliciter gradientes pro malitiosis et obedientes pro inobedientibus, et fideles et catholicos pro infidelibus et scismaticis, imitantes canes et lupos rabidos. Denique quum aliquos carcerassent, quosdam in pecunia condemnassent et utriusque sexus personas plurimas diversimodo molestassent, congregati in suo capitulo generali fratris Petri Johannis doctrinam quasi haeretica labe infectam ex communi omnium consensu condemnaverunt. Dicuntur etiam exhumasse corpora multorum sanctorum fratrum, qui in eorum cimiteriis sepulti fuerunt, et per Summum Pontificem exemti adhuc pendente negotio tanquam veri catholici filii Ecclesiae decesserunt.

Post hoc quaestio orta est, ut dicitur, Narbone inter praedicatores et minores, an Christus et Apostoli proprium habuerunt in communi; quam quaestionem sanctus Petrus Johannis late et diffuse tractavit et definivit, et Dei nutu pro veritate steterunt fratres minores, quam ille magnus eorum haereticus quondam anathematizatus innumeris rationibus clarissime probavit. Pro qua veritate firmiter et perseveranter stare verbo et opere, corde puro et conscientia bona et fide non ficta usque in finem det eis Christus Jesus, qui patri eorum apparuit. — Quid aliud impugnaverunt et persequuti sunt fratres in suis patribus et fratribus Caesario, Bernardo, Johanne de Parma, Petro Johannis, Ubertino, nisi fidem et confessionem et operationem illius evangelicae paupertatis. —

Timentes, ne in futurum loqueretur contra eos frater Ubertinus, quum exclusus esset ex mandato Summi Pontificis ab eorum negotio, et ipse sibi attenderet post definitionem per Summum Pontificem datam et de eorum litigiis non curaret, tanta cum indignatione ferebantur contra eum, ut omne quod de aliis fecerant, putarent esse nihil quamdiu ille superesset. Infestabant igitur quotidie Summum Pontificem, et petitionibus et precibus importunis incessanter fatigabant eum postulantes fratrem Ubertinum sibi reddi, quum esset mora sua in curia ordini verecundia intolerabilis et maximum detrimentum. Vocabat Summus Pontifex

fratrem Ubertinum ad instantiam fratrum et rogabat eum, quod aliquibus diebus deberet cum fratribus moram trahere, quod cito, postquam fratribus satisfecisset de mora, ei secundum sui status congruentiam provideret. Cui frater Ubertinus respondit: Post moram meam unius diei cum ipsis non indigebo nec vestra nec cujusque alterius provisione in hac vita, et quum essent verba fratris Ubertini sale condita sapientiae et humilitatis prolata, cor Summi Pontificis molliebant et votis fratrum eum satisfaccre non sinebant; sed desiderio vindictae ardentia — corda fratrum opportune et importune instabant, benignum ei pastorem cum sapientia titillantes. Propter quod unum de duobus se facturum de fratre Ubertino ab eorum importunitate se liberare volens eis deliberasse se dicebat, vel enim revertetur ad vos, inquit, vel alterius religionis statum et habitum sumet. Quod quum innotuisset fratri Ubertino, de secundo consensit sperans se Summum Pontificem posse immutare; sed quia neutrum potuit sine difficultate, petitionem eam quantum voluit retardavit. Summus vero Pontifex volens de duobus, quae faciem justitiae videbantur habere, fratribus satisfacere, omnia, quae ab ipso postulaverunt, sub suae bullae munimine concessit. Quum autem tanquam crucem sibi amarissimam habitum monachalem assumsisset et mansionem in quodam Allemanniae monasterio ex auctoritate papali, ne in Provincia aut Galliae partibus remaneret, tantam ostendunt fratres laetitiam et gaudium cum detractione verborum et insultatione fatua et mundana, quod omnis vir discretus eos christiano sensu et spiritu privatos esse ex gestis eorum et sermonibus cognoscebat. Et ecce post non multos dies quum vidissent, quod Cardinales et aliae excellentes personae fratrem Ubertinum magis honorarent in habitu monastico, quam prius quum esset in habitu minorum, et cordialius eum diligerent et libentius audirent, tanta cor eorum moestitia est repletum, ut se insipienter et stulte fecisse publice faterentur. Sed nec propter hoc destiterunt persequi eum. Nam foderunt ei laqueum et operierunt eum et inciderunt in eam foveam quam fecerunt.

XLIV.

Auszüge aus des Petrus Johannes d'Olive Postille über die Apokalypse. (Handschrift der Laurentiana in Florenz verglichen mit einem Codex der kaiserlichen Bibliothek in Paris. n. 3381. A.)

Ista sunt, quae in postilla fr. P. Johannis super apocalypsin videntur esse haeretica aut erronea vel periculosa secundum quae sunt ab eo intellecta et declarata et prout etiam sonant verba quae in sequentibus per certos articulos recitantur.

Primus articulus in prologo lecturae dicit, XIII esse desideranda, et cum pervenit ad septimum desiderabile, dicit sic: *Septimum est, quare sextus status semper describitur ut notabiliter praeeminens quinque primis et sicut finis priorum et tamquam initium novi saeculi, evacuans quoddam vetus saeculum sicut status Christi evacuavit vetus testamentum et vetustatem humani generis;* unde et quasi circulariter sic jungitur primo tempori Christi ac si tota ecclesia sit una sphaera, ac si in sexto ejus statu secundo incipiat status Christi habens sua septem tempora sicut habet totus decursus ecclesiae, sic tamen quod septimus status sexti sit idem cum septimo statu totius ecclesiae. Hoc videtur implicare duos errores de evangelio intitulato aeterno. Quorum primus de prima parte, quae dicitur apparatus in evangelium aeternum, dicit sic: Illi qui erunt ultra tempus praedictum [1]), erunt in statu perfectorum, (quia ante illud tempus non fuerunt aliqui perfecti, nec etiam apostoli), et V. libro II. tractatus: quod aliquis de ordine religionis futurus est status, qui praefertur omnibus ordinibus dignitate et gloria, in quo implebitur prophetia et promissio psalmi dicentis: „funes ceciderunt mihi in praeclaris, et haereditas

[1]) Er meint die Zeit der Apostel.

mea praeclara est mihi.“ Secundus in eodem tractatu de Josepho et pincerna cui somnium interpretatus est, dicens sic: praedicatores, qui erunt in ultimo statu mundi, erunt majoris auctoritatis et dignitatis, quam praedicatores primitivae ecclesiae.

Primum statum ecclesiae intelligit pro tempore apostolorum et primitivae ecclesiae, secundum pro tempore martyrum succedentium, tertium heremitarum, quartum doctorum, quintum clericorum et religiosorum habentem decimas in communi, sextum a tempore beati Francisci viventium sub ejus regula secundum sensum suum intellecta.

Dicit Olivi: Quod ille sextus status sit finis priorum; et quod modo vivendi illius regulae quomodocunque intellectae est finis modorum vivendi praecedentium. Ecclesia non fuit inveterata in quinque primis statibus, sed solum in sexto. Putat, quod ecclesia a perfectione evangelica, quam habuit tempore Christi et apostolorum, coepit declinare tendendo ad imperfectionem usquequo occidat et obscuretur; e contrario a tempore beati Francisci illustrata in paucis coepit paulatim redire ad veram lucem, et sic deficiente paulatim carnali ecclesia spiritualis proficiet quasi lux splendens usque ad perfectum diem converso toto mundo, et postea iterum declinabit ad occasum, quousque veniat Christus ad judicium. — Putat Olivi, quod status Christi defecerit totaliter in ecclesia nisi in illis, in quibus est abdicatio omnium in proprio et in communi, sicut habet regula beati Francisci, et quod in tota ecclesia extra beatum Franciscum non erat vita Christi nec evangelica, si ibi non erat aliquis status in quo haec abjicerentur, et quod sic fuit a tempore, quo ecclesia coepit habere possessiones, usque ad tempora b. Francisci; inde est, quod tunc status Christi, qui primo fuit tempore apostolorum et primitivae ecclesiae, et desierat toto alio tempore, reincepit tempore b. Francisci, qui renovavit vitam Christi et perfectionem evangelicam.

2. *Sexta autem, quae est de damnatione meretricis et bestiae habentis capita septem et de novis nuptiis agni et suae sponsae post meretricis damnationem fiendis directius respicit*

rejectionem vetustatis babylonicae et renovationem formae Christi ac septiformitatem praefatae rejectionis et renovationis, nam in occisione primi capitis bestiae fuit prima renovatio et occisione secundi secunda et sic de aliis. Per meretricem intelligit ecclesiam, quae prius fuit sponsa Christi vera, postmodum autem peccatis adultera est a Christo abjicienda et damnanda aeternaliter et temporaliter destruenda sicut synagoga. Haec ecclesia debet destrui in hoc saeculo, exceptis electis, in quibus fundabitur ecclesia spiritualis. Est intentio sua, quod ecclesia quae nunc est, vel Romana, quae universalem ecclesiam regit, quam vocat meretricem babylonicam sedentem super bestiam, habet provinciam mundi, super qua residet, quae quidem potestas et gloria sibi paulatim auferetur, et sicut paulatim destruetur carnalis, sic paulatim aedificabitur sua spiritualis ecclesia, per quam dicit renovari vitam christiformem in membris suis.

3. Cum Babylon meretrix et bestia portans eam erit in suo summo, tunc erit nox ejus tenebrosissima, de qua in psalmo dictum est: posuisti tenebras etc. Ipsae sunt et bestiae sexta die formatae; post quas formatus est homo ad imaginem Dei, quia post has convertetur in spiritualem Israel cum reliquiis gentium et apparebit christiformis vita et imago Christi. Ex praedictis autem patet, quare sexta et septima visio describunt principaliter solum finalem statum ecclesiae; fit enim hoc ad plenius designandum, quod in sexto et septimo statu est solennis finis priorum temporum et quoddam novum et solenne saeculum. — Intelligit, quod meretrix Romana est ecclesia, quae nunc est in flore et honore, et quando erit in majori flore temporali, tunc erit in pejori statu quoad Deum et tunc plura mala faciet favendo malis, persequendo bonos et tunc excaecabitur a Dei cognitione. Putat, quod sicut post bestias terrae et pisces et aves, in quibus omnibus erat vestigium et confusa similitudo trinitatis, formatus est homo ad imaginem et similitudinem Dei, ut praeesset istis omnibus, ita post quinque status ec-

clesiae futurus est sextus, in quo perfecta erit imitatio Christi, et quod ille omnibus praeferatur et omnibus dominetur. Intendit, quod ecclesia in quinto statu, quem vocat aliquid habentium in proprio vel communi, multum cadet a vita Christi et perfectione evangelica in vita et doctrina et scientia, quod adeo totaliter abjicietur et renovabitur de novo fundata ecclesia spiritualis, in qua renovabitur Christi vita et imago in viventibus secundum regulam b. Francisci, quam tenentes erunt illud novum saeculum et solenne, alii vero omnes in quinto statu permanentes et ecclesia romana eorum caput et visibilis ecclesia habens redditus et possessiones, destruetur sicut synagoga temporaliter et aeternaliter, spiritualiter et corporaliter.

4. Sextum vero membrum ipsarum visionum et sexta visio hujus libri declarant, quod in sexto tempore ecclesiae est revelanda singularis perfectio vitae et sapientiae Christi et quod vetustas prioris temporis est sic totaliter repellenda, ut videatur quoddam novum saeculum sive nova ecclesia tunc formari veteribus jam rejectis, sicut in primo Christi adventu formata est nova ecclesia, veteri synagoga rejecta. Et hinc est, quod in his visionibus praesentatur trinus Christi adventus, primus scilicet in carnem passibilem, mundum redimens et ecclesiam fundans; secundus in spiritum evangelicae vitae reformans et perficiens ecclesiam primitus jam fundatam; tertius ad judicium glorificans electos cunctaque consummans. Licet autem secundus adventus sit in toto decursu ecclesiae et etiam in glorificationem sanctorum, nihilominus recte et congrue per quandam antonomasiam appropriatur tempori sexto. Putat, quod cognitio singularis perfectionis vitae et sapientiae Christi sic fuit beato Francisco de novo revelata, quod non erat in tota ecclesia Dei, sed erat ablata vel non data.

5. Secunda est, quod sicut virtus radicis et stipitis redivirat in ramo et fructu, sic et infectio[1]*) utriusque, et ideo sicut tota virtus priorum temporum intendit generationem*

[1]) *B. insectio.*

sexti et septimi status, sic tota ejus malicia eis opposita cooperabitur maliciae Antichristi et reliquorum exercentium electos sexti et septimi status.

6. Notandum igitur, quod statum ecclesiae a damnatione Babylonis i. e. ecclesiae carnalis usque ad finem saeculi oportet habere tantum temporis spatium, quod totus orbis et totus Israël convertatur ad Christum, et quod illud tempus ascendat a mane per gradus congruos usque ad meridiem, ac deinde per gradus congruos descendat ad tantam vesperam et noctem iniquitatis, quod vix inveniatur fides in terra, et quod per abundantiam malitiae Christus quasi compellatur ad judicium venire; absit enim, quod tertius principalis status saeculi appropriate gerens imaginem spiritus sancti sit momentaneus aut tanto operi ridiculose et improportionaliter abbrevietur.

7. In sexto autem die seu tempore primo creata sunt animalia irrationabilia scilicet jumenta reptilia et bestiae et postea creatus est homo ad imaginem Dei cum muliere ex ipso formata, bestiae enim et reptilia sunt regna paganorum et sectae pseudoprophetarum, quae sexto ecclesiae tempore contra ipsam atrocius permittentur saevire; jumenta vero sunt simplices ad obedientiam promti et ad onera activi; distinguetur autem in praelatos et collegium subditorum quasi in virum et uxorem, qui ordo, evangelicus est tamquam homo rationalis ad imaginem Dei factus, et ipse subjiciet bestias et omnem terram, et praeerit piscibus et avibus i. e. omnibus ordinibus quinto tempore formatis. Hic dicit, ordinem novum sexti temporis habere praelationem super omnem et super regna etiam paganorum.

In quinto libro evangelii aeterni in tractatu de septem diebus sic invenitur: Sicut in primo statu fuit commissum regnum seu regimen totius ecclesiae a Deo Patre aliquibus de ordine conjugatorum, in quibus autorizatus fuit ille ordo, in secundo vero statu commissum fuit a Filio alicui de ordine clericorum, in quo ab ipso glorificatus est ordo ille, sic et in tertio statu mundi committetur alicui vel aliquibus

de ordine monachorum a spiritu sancto, in quo vel in quibus ab ipso glorificabitur ille ordo.[1])

8. Sicut in sexta aetate rejecto carnali judaismo et vetustate prioris saeculi venit novus homo Christus cum nova lege, vita et cruce, sic in sexto statu rejecta ecclesia carnali et vetustate prioris saeculi renovabitur Christi et vita et crux, propter quod in primo ejus initio Franciscus apparuit, Christi plagis characterizatus et Christo totus concrucifixus et configuratus.

Quod dixit O.: renovabitur Christi lex, est error qui ponitur in evangelio aeterno: quod novum testamentum evacuandum est, sicut vetus evacuatum est, et quod evangelium Christi aliud evangelium subdet (et quod pro sacerdotio Christi aliud sacerdotium succedet, quia necesse est translato sacerdotio ut et legis translatio fiat). Item in eodem libro damnato: „quod adveniente evangelio spiritus sancti, quod ibi dicitur evangelium aeternum, evacuabitur evangelium Christi.“ Item ad hoc sequitur alius error ejusdem libri: „quod evangelium Christi non est evangelium regni, nec est aedificator ecclesiae (i. e. immediate introducens in regnum).“

9. Sexto vero certamini, quod percussa Babylone a Medis est duplex: primum sub Judith, aliud sub Esther, correspondet conflictus duplex post damnationem meretricis et carnalis ecclesiae fiendam a decem cornibus bestiae, quorum primus erit ab ipsa bestia ascendente de abysso, et sexto capite ejus, secundus vero a bestia ascendente de terra i. e. a caterva pseudoprophetarum et a pseudopropheta capite ipsorum.

10. Sexta autem ecclesia dicitur habere ostium scripturarum ac praedicationis et cordium convertendorum apertum, et quod Judaei debent ad eam magna humilitate adduci, et quod est servanda, ne cadat in tentationem toti orbi venturam, quia Dei consilia et mandata longanimiter et pa-

---

[1]) Nach dem Evang. aeternum war Petrus de ordine clericorum, nach O. aber de ordine evangelico tempore suo licet minus perfecto.

tienter servavit, quae utique competunt statui sexto, unde et congrue vocatur Philadelphia vel salvans haereditatem, quia in regula evangelica quasi in archa Noë salvabitur semen fidei et electorum a diluvio Antichristi tam mystici quam aperti. [1])

11. Consimiles[2]*) fere rationes invenies de ultimo casu novissimi cursus quinti temporis ecclesiastici, vel translationis primatus Babylonis in novam Jerusalem* et iterum casus et translationis ultimae et reprobae partis septimi status in coelestem Jerusalem.

12. *Significatur etiam per hoc proprium donum et singularis proprietas tertii status mundi sub sexto statu ecclesiae inchoandi et spiritui sancto per quandam antonomasiam appropriati. Sicut enim in primo statu saeculi ante Christum studium fuit patribus enarrare magna opera Domini inchoata ab origine mundi, in secundo vero statu a Christo usque ad tertium statum cura fuit filiis quaerere sapientiam mysticarum rerum et mysteria occulta a generationibus saeculorum, sic in tertio nil restat, nisi ut psallamus et jubilemus Deo laudantes ejus opera magna et ejus multiformem sapientiam et bonitatem in suis operibus et scripturarum sermonibus clare manifestatam. Sicut enim in primo tempore exhibuit se Deus Pater ut terribilem et metuendum, unde tunc claruit ejus timor, sic in secundo exhibuit se Deus filius ut magistrum et revelatorem et ut verbum expressum sapientiae sui Patris; ergo in tertio tempore spiritus sanctus exhibebit se ut flammam et fornacem divini amoris et cellarium spiritualis ebrietatis et ut apothecam divinorum aromatum et spiritualium unctionum et unguentorum et ut tripudium spiritualium jubilationum et jucunditatum, per quem non solum simplici intelligentia, sed etiam gustativa et palpativa experientia*

---

[1]) Daraus folgt, daß ostium scripturarum non fuit apertum V[o] tempore. — Unter der regula evangelica verſteht er die regula b. Francisci in dem Sinne der Spiritualen.

[2]) Hier iſt die römiſche Kirche Babel, quod in ea sit confusio et non pacis visio, sed in alia ecclesia. Die Kirche des neuen Jeruſalem ſind die professores der regula beati Francisci.

videbitur omnis veritas sapientiae verbi Dei incarnati et potentia Dei Patris. Christus enim promisit, quod cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem et ille me clarificabit etc. Sicut etiam in primo tempore fuit per quandam appropriationem et antonomasiam labor corporalium operum, qui magis competit laicis, in secundo vero lectio et eruditio scripturarum, quae magis competit clericis, sic in tertio debet praeabundare casta et suavis contemplatio, quae plus competit monachis sive religiosis, unde congrue nomen hujus sextae ecclesiae seu Philadelphiae non solum interpretatur salvans haereditatem, prout tactum est supra, sed et amor fratris, sicut dicit Richardus, nam in sexto statu, qui est tertius generalis status populi Dei, antonomastice complebitur id quod in tertia parte Cant. Cant. dicit sponsa ad sponsum: quis mihi det te fratrem meum — domum matris meae sive synagogae tunc temporis convertendae. Notandum etiam, quod quia tunc amplius vacabitur excessibus et gustibus contemplationis quam fortibus activae operibus, ideo non dabitur ei tantum robur virtutis ad fortia opera sicut datum est primis statibus et specialiter quatuor primis, quod fiet non solum propter causam praedictam, sed etiam ut unusquisque status habeat unde alteri humilietur et debeat humiliari propter quae habent se sicut excedentia et excessa. Quod etiam tunc temporis est filius perditionis venturus cum omni virtute miraculorum et cum signis et prodigiis mendacibus, prout II. Thessal. 3: tunc pseudochristi et pseudoprophetae dabunt signa magna et prodigia, prout dicitur Matth. 24. Idcirco sanctis sexti status dabitur modica virtus ad signa et miracula facienda exceptis signis Heliae et Henoch, de quibus infra XI° scribitur, propter quam utramque causam dicitur hic mystice de sexto statu, quod modicam habet virtutem et quod loco hujus appropriatum est sibi officium contemplationis et praedicationis; qua enim ratione permittitur Antichristus tunc temporis facere signa ad mundum decipiendum, et qua ratione mundus tunc permittetur decipi et veritas prosterni et electi fortissimis tentamentis probari, eadem ratione opor-

tebit tunc subtrahi gratiam miraculorum electis saltem in copia magna. Est etiam hujus alia ratio, quod *sicut primo tempore conversus est mundus ad Christum per stupendas et innumerabiles virtutes miraculorum, sic decet quod in finali tempore convertatur iterum orbis per praeclara et superadmiranda et superabundantia lumina sapientiae Dei et scripturarum suarum, et maxime, quia oportet statum illius temporis elevari et intrare ad ipsa lumina suscipienda et contemplanda, cooperabiturque ad hoc tota praecedens illuminatio priorum statuum et universalis fama Christi et suae fidei et suae ecclesiae per totum orbem diffusa, a tempore primae conversionis mundi continue usque ad tempora illa.* Rursus quia in contemplativis plus refulget dilectio Christi ad eos, in activis vero plus refulget dilectio eorum ad Christum, unde Johannes, in quo praerogativa contemplationis est designata, potius dicitur praedilectus a Christo, quam praediligens Christum, prout patet Joh. ultimo, et prout Augustinus super eodem loco exponit, idcirco angelus hujus sextae ecclesiae potius laudatur a Christo esse dilectus, cum dicitur infra: quia ego dilexi te. Quartus vero status, in quo fuit robur operum active ad contemplationem disponentium, potius laudatur de caritate ad Christum, et primus insinuatur a pno (principio) caritatem habuisse ardentem ad Christum.

In eo etiam, quod secundus et tertius laudantur de forti et fervida fide, tangitur laus caritatis eorum ad Christum, quia constat, eos laudari de fide per caritatem informata et quae per dilectionem secundum apostolum operatur. Hinc etiam est quod Christus plus commendat promissiones suorum donorum factas angelo sextae quam merita ipsius sextae, *consurgitque ex hoc quoddam mirabile et valde notabile, videlicet, quod status sextus quanto major erit praecedentibus in susceptione gratiarum et familiarium signorum amoris Christi ad eum, tanto habebit unde plus Christo et statibus praecedentibus humilietur, quia potius praefertur eis in pati seu recipere quam in agere vel dare, et potius in felicitate habente speciem praemii quam in laborioso opere habente rationem meriti.*

(O. affirmat, quod tota ecclesia magna, quam vocat carnalem, deficiet, sicut synagoga defecit, paucis inde electis eductis, ex quibus aedificabitur spiritualis, — iterum quod post mortem Antichristi mundus iterum convertetur ad Christum et iterum quasi totus avertetur, — iterum quod ante adventum Antichristi in destructione carnalis ecclesiae et in perfectione spiritualis erit illa suavis contemplatio sicut erat in primitiva ecclesia, cum illa aedificaretur ex ruina synagogae.)

13. Nota, quomodo hoc praeclare competit sexto statui, cujus proprie est profiteri et servare evangelicam legem seu regulam non solum praeceptorum sed etiam consiliorum Christi, et cujus est Christi nomen constanter et perseveranter confiteri contra persecutiones gravissimas duplicis Antichristi sc. mystici et proprii, et cujus est perfectissime convertere totum Israëlem.

Olivi dicit, quod omnes non professores et observatores regulae Francisci consentient Antichristo, illi autem soli constanter resistent; iterum quod conversio totius Israëlis fiet per solos viros evangelicos et spirituales (suae opinionis sectatores).

14. Utroque modo[1]*) convenit perfectius sexto statui et etiam alio tertio modo, quia ipse servabit verbum seu regulam evangelicae egestatis et humilitatis et patientiae cum nullo pro quacunque re temporali litiganti, imo suos persecutores et inimicos cum summa pace et patientia perfectissime diligenti.*

15. Loquitur etiam sic ob mysterium electorum sexti status, qui servandi sunt ab hora tentationis Antichristi, non quidem ut illam non sentiant vel non patiantur, sed ut per illam aut in illa non corruant a fide et a caritate et a ceterarum virtutum perfectione, imo potius divino munere ex illa proficiant; quia vero pauci electi tunc servabuntur, sicut solus Noë cum paucis servatus est in arca, ideo congrue

---

[1]) nämlich susceptione gratiarum et familiarium signorum amoris Christi.

significatur per angelum Philadelphiae, quae interpretatur servans haereditatem, quia in illis electis salvabitur tunc haereditas et semen fidei in universum orbem iterum seminandae.

16. Item sicut soli primo (angelo Ephesi) comminatus est translationem ecclesiae suae de loco suo, sic soli sexto significat, quod si non perseveraverit, ejus corona ad alium transferetur, cujus mystica ratio est, quia sicut primus status habuit primatum respectu totius secundi generalis status mundi, qui ab apostolo vocatur: tempus seu ingressus plenitudinis gentium, sic sextus habebit primatum respectu totius tertii generalis status mundi duraturi usque ad finem saeculi; ne ergo de suo primatu superbiant aut insolescant quasi non possint ipsum perdere, aut quasi alius non possit substitui eis et fieri aeque dignus, insinuatur eis praedicta translatio.

(Olivi ponit duos primatus, unum a principio nascentis ecclesiae usque ad sextum statum exclusive, secundum a sexto statu usque ad finem mundi, intendens quod sicut Deus in temporalibus ordinavit diversas Monarchias sibi invicem succedentes, transferendo regnum de gente in gentem propter injustitias, sic primatus datus ecclesiae Romanae propter ejus scelera debet sibi auferri et transferri ad ecclesiam spiritualem et illa de novo debet accipere primatum et regnare usque ad finem mundi.)

17. Secunda ratio est, quia uterque illorum substitutus est alteri, nam gloria, quae fuerat synagogae parata et pontificibus suis si in Christum credidissent, translata fuit ad primitivam ecclesiam et ad pastores ejus, sic etiam gloria parata finali ecclesiae quinti status, transferetur propter ejus adulteria ad electos sexti status, unde in hoc libro vocatur Babylon meretrix circa initium sexti status damnanda. (Olivi assignat finem ecclesiae ante finem mundi et ante adventum Antichristi et secundum adventum Christi, dicit enim finalem ecclesiam quinti status ecclesiam, quae habuit primum statum apostolorum, secundum martyrum, tertium eremytarum, quartum doctorum, quintum modernorum).

18. In sexta vero Babylon adultera et a suo viro sive

Christo abalienata, subvertitur per maximum terrae motum et per iram agni, prout sexta apertio narrat, et post hoc signantur signo et charactere Dei novi milites Christi, hanc autem ad plenum Christus aperiet et dissolvet, quando in sexta apertione omnis Israël convertetur ad ipsum et totus orbis cum ipso; ipsi tamen, qui prae ceteris signo crucifico et seraphico signabuntur, *prout sexta apertio narrat.*

19. Referendo vero praedicta ad finem quinti status designatur, quod tunc tot et tanta scelera in carnali ecclesia inundabunt et jam diu inundare coeperunt, quod tam sancti praetcriti, quam praesentes ex tanta malorum inundantia fere usque ad desperationem contristati cum grandi clamore expetunt et adhuc et amplius expetent judicium fieri pro ipsis et contra reprobos.

Designatur etiam, quod tunc a multis erit putandum finem mundi adesse propter tantam inundanciam malorum et tantam paucitatem bonorum.

Designatur etiam, sanctos illius temporis admirari, quare quintum tempus tantum durat et quare in tanta pace et affluentia temporali facientes carnales amplius insanire, et quare Deus tanto tempore differt vindicare tot et tanta mala.

Designatur etiam quod magnalia tertii status generalis totius orbis nullis aut paucis sunt aperta usque ad apertionem sexti sigilli, seu usque ad finem quinti status, et ideo sanctis, qui tamquam mundo mortui stant ad altare Dei, revelabitur et jam in parte revelatum est, quod quiete exspectent gloriosa martyria sub apertione sexti signaculi renovanda et gloriosum numerum in sexto et septimo statu complendum. (Olivi putat, quod s. Franciscus et alii sancti aemulatores et sectatores evangelicae paupertatis orant pro illis, qui dicuntur spirituales et petunt vindictam de ecclesia Romana et omnibus eos persequentibus quos vocant carnales et ecclesiam carnalem, et quod sancti evangelicae paupertatis sectatores afflicti ab ecclesia Romana et universali orant contra eam ut finiatur et spiritualis ecclesia per

eos fundetur, quia reputant omnem aliam carnalem, qui error est in praedicto evangelio sacrilego, quod spiritualis intelligentia novi testamenti non est commissa Papae Romano, sed tantum literalis, et per hoc datur intelligi, quod ecclesia romana non potest judicare de spirituali intelligentia Novi Testamenti, et si judicat, temerarium est judicium ejus, et non est aquiescendum ejus judicio, quia Romana ecclesia animalis est et non spiritualis. Olivi porro putat, quod sancti mirantur et dolent de hoc, quod tantum durat status ecclesiae habentis aliquid in communi, et desiderant, quod veniat status sextus, quando ecclesia sicut sphaera redibit ad primum statum nihil habendi in proprio nec communi.[1])

20. Ad evidentiam hujus sextae apertionis est ad memoriam reducendum, quod supra in principio est in XIII. notabilibus praenotatum et specialiter illa, in quibus est monstratum, quod vita Christi erat in sexto et septimo statu ecclesiae singulariter clarificanda et in finali consummatione ecclesiae et in omnis Israël et totius orbis conversione magnificanda. *Ex quo igitur per Romanae ecclesiae authenticam testificationem et confirmationem constat, regulam minorum per b. Franciscum editam esse vere et proprie illam evangelicam, quam Christus in se ipso servavit, et apostolis imposuit et in evangeliis suis conscribi fecit, et nihilominus constet hoc per irrefragabilia librorum evangelicorum*

---

[1]) Unter magnalia versteht er nicht nur die beiden allgemein geglaubten, die Ankunft des Antichrist zur Täuschung der Welt, und die Ankunft des Henoch und Elias zur Bekehrung der Synagoge, sondern auch die Zerstörung der Kirche und die Errichtung einer neuen durch die Spiritualen, die aus der jetzigen Kirche, wie ehemals Israel aus Babylon, oder die Apostel aus der Synagoge ausgehen werden, dann die neue, abermalige Bekehrung der Welt durch die Spiritualen, denen die Pforten der Schrift und der Predigt aufgethan sein werden im ganzen sechsten und siebenten Zeitalter, und darauf wird zum 4. Magnale ein nochmaliger Abfall der Welt folgen. Unter den gloriosis martyriis versteht er die Hinrichtung einiger seiner Sectengenossen, von denen der Antichristus mysticus, der Pabst, mehrere der weltlichen Gewalt zum Verbrennen überliefert hatte.

et ceterarum sacrarum scripturarum et per sanctos expositores earum, prout alibi est superabunde demonstratum, constat etiam per indubitabile testimonium s. Francisci ineffabili sanctitate et innumeris Dei miraculis confirmatum et praecipue gloriosissimis stigmatibus sibi a Christo impressis patet, ipsum vere isse angelum apertionis sexti signaculi habentem signum Dei vivi, signum sc. plagarum Christi crucifixi et etiam signum totalis transformationis et configurationis ipsius ad Christum et in Christum, et hoc ipsum per claram et fide dignam revelationem est habitum, prout a fratre Bonaventura, solemnissimo theologiae magistro ac nostri ordinis quondam generali Ministro fuit Parisiis in fratrum minorum capitulo me audiente solemniter praedicatum. [1])

21. Hoc igitur commemorato est adhuc notandum, a quo tempore debeat sumi initium hujus sextae apertionis; videtur enim quibusdam, quod ab initio ordinis et regula s. Patris praefati, aliis vero, quod a solemni revelatione tertii status generalis continentis sextum et septimum statum ecclesiae facta abbati Joachim et forte quibusdam aliis sibi contemporaneis, aliis vero, quod ab exterminatione Babylonis, i. e. ecclesiae carnalis per X cornua bestiae, i. e. per X reges fienda, aliis vero, quod a suscitatione spiritus seu quorundam ad spiritum Christi et Francisci tempore quo ejus regula est a pluribus nequiter et sophistice impugnanda et condemnanda ab ecclesia carnalium et superborum, sicut Christus condemnatus fuit a synagoga reproba Judaeorum; hoc enim debet praeire temporale exterminium Babylonis ecclesiae,

---

[1]) Diese Verherrlichung des Lebens Christi soll nach Olivi durch die vollkommene Beobachtung der Armuthsregel geschehen, sowie durch die Bekehrung Israels und aller Völker, die erst nach dem allgemeinen durch den Antichrist verursachten Abfall stattfinden wird. Hinsichtlich der Erklärung des Bonaventura potest negari, et quod dixerit et quod verum dixerit, vel dixit, beatum Franciscum esse illum angelum, metaphorice et secundum quid, non autem ad litteram et simpliciter, denn jener Engel ist Christus selbst. (Anmerkung der Pariser Censoren.)

sicut Christi et suorum condemnatio a Judaeis praeivit temporale exterminium synagogae.

22. Sciendum autem, quatuor praedictas sententias, sane assumptas, non esse sibi contrarias, sed concordes. Sicut enim Lucas inchoat Christi evangelium a sacerdotio Zachariae, cui facta est revelatio prophetica de Christo statim venturo et de Johanne ejus immediato praecursore, Matthaeus autem ab humana Christi generatione, Marcus a Christi et Johannis praedicatione, Johannes vero a Verbi aeternitate et aeterna generatione, sic haec sexta apertio sumsit quoddam prophetiale initium a revelatione Abbatis Joachim et consimilium, a renovatione vero regulae evangelicae per servum ejus Franciscum sumsit suae generationis initium, a praedicatione vero spiritualium suscitandorum et a nova Babylone reprobandorum sumet initium refloritionis seu repullulationis, a destructione vero Babylonis sumet initium suae clarae distinctionis a quinto statu et suae distinctae clarificationis; juxta quod et dicimus legalia, quantum ad obligationem necessariam, fuisse mortificata in Christi passione et resurrectione et tandem sepulta et effecta mortifera in evangelii plena promulgatione et in templi legalis per Titum et Vespasianum destructione. Similia etiam reperies in prophetis, nam initium septuaginta annorum captivitatis babylonicae et desolationis templi per Chaldaeos factae sumitur uno modo a XIII° anno regni Josue, alio vero modo sumitur ab ipsa destructione templi et terminatur secundo anno Darii, filii Hystaspis, sicut patet Zachariae I.

23. Veruntamen ea, quae hic tanguntur de apertione sexti sigilli, non sunt plene complenda ante temporale exterminium Babylonis et pro tanto literalius et principalius respiciunt quartum initium sextae apertionis.[1]) Sicut autem initium septuaginta septimanarum Danielis literalius coepit a reaedificatione Jerusalem facta sub Esdra et Nehemia,

[1]) Note des Widerlegers: quod dicit esse exterminium Babylonis i. e. ecclesiae carnalis.

quam ab illa, quae coepit sub Zorobabel, et concessa fuit a Cyro, sic illa, quae ponuntur hic, possunt coarctative et semiplene referri ad modos priores, saltem ad secundum et tertium.

24. Ad secundum quidem, nam per Franciscum ab initio hujus ordinis usque nunc facta est magna configuratio ad spiritualem militiam evangelicae regulae, et praeter hoc multae turbae populorum sunt post illos et ad exemplum illorum adductae ad poenitentiam et gratiam Christi, nec defuit in quibusdam terrae motus compunctionis et mutationis malae vitae in bonam, et in pluribus aliis terrae motus iracundae commotionis contra viros evangelicos et eorum professionem, ita quod multi, qui magisteriis et praelatione videbantur quasi sol, sic facti sunt nigri, ut usque hodie sentiant et doceant, statum evangelicum mendicitatis non esse statum perfectionis, vel esse statum minimae perfectionis, et quod habere aliquid in communi est perfectius et magis evangelicum quam non habere. *Sicut enim Davide inuncto et spiritu Domini in eum directo spiritus Domini recessit a Saul plus quam ante et exagitabat eum spiritus nequam, sic ex quo in pauperes evangelicos fuit manifeste spiritus Domini directus, eos ad officium praedicationis auctoritate apostolica destinans et inungens, coeperunt multi contra eos diabolico spiritu agitari et in simonias et luxurias et avaritias et fastus et pompas enormiter praecipitari; unde sol fidei et ecclesiastici regiminis factus est niger et quasi saccus de pilis porcorum et ferarum contextus.* Ex hoc etiam luna, i. e. plebs illis subdita facta est sicut sanguis, i. e. sanguine luxuriae et homicidiorum turpiter foedata. Plures etiam religiosi, qui prius erant quasi stellae in coelo, corruerunt in terram, i. e. in terrenas cupiditates et in vitam aperte luteam et terrestrem. Ex his autem coelum, i. e. coelestis puritas et sublimitas ecclesiastici status recessit quasi liber involutus i. e. in paucis bonis absconditus et in reliquis per plicas iniquitatum multiplices confusus. Rursus viris evangelicis in sui adventus principio zelantibus et praedicantibus fervide contra ista, evidentius

inclaruerunt omnibus mala praedicta ipsisque alte commemorantibus et praeconizantibus iram et adventum judicis in janua esse, multi reges et principes et divites et pauperes fuerunt vehementer perterriti, propter quod absconderunt se in speluncis et petris montium i. e. in secreta et firma conversatione sublimium sanctorum, recurrendo scilicet humiliter ad eorum refugium, dixeruntque montibus et petris i. e. sectis sublimibus et firmis in fide: cadite super nos, i. e. per piam affectionem et condescensionem, et abscondite nos sc. per vestram intercessionem, a facie, i. e. ab animadversione sedentis super thronum, i. e. deitatis regnantis, et ab ira agni, i. e. Christi hominis, et quis poterit stare sc. coram sic terribili et irata facie tanti judicis? qu. d. vix etiam ipsi justi, quanto magis nos impii?

Praeterea in initio ordinis b. Francisci factus est terrae motus in pluribus partibus, puta in comitatu Tolosano tunc temporis per crucesignatos dissipato, unde urbs Biterrae, in qua fui nutritus, fuit vel tertio vel quarto anno hujus ordinis diruta per eosdem. In Italia et in ultramarinis partibus fuerunt extunc procellosae commotiones et subversiones; extunc etiam Tartari publice subverserunt et ceperunt plurimas terras in oriente et aquilone, ita quod Ungariam circa XXX^{um} annum nostri ordinis intraverunt et fere dissipaverunt.

25. Quantum etiam ad tertium initium sextae apertionis fiet utique grandis terrae motus subvertens fidem plurium contra evangelicae regulae veritatem et contra speciem vitae ejus, et ideo tunc sol plenius fiet niger, et luna ut sanguis, (et furent) crudelius in electos, quam in se invicem per seditiones et bella, unde et suscitationem spiritus praeibunt in ecclesia quaedam bella subvertentia insulas et montes, i. e. regna et urbes; praeibunt etiam vel comitabuntur aliqua schismata in clero et religione subvertentia aliquorum status et collegia, unde plures stellae cadent per apostasiam de suo statu coelesti seu regulari, et plures de evangelico statu, qui prae ceteris videbantur stellae, cujus ratio est, quia non erant ficus maturae per devotae caritatis suavita-

tem, nec parvae per humilitatem sed grossae per inflantem superbiam et immaturae per internae virtutis defectum; et ideo a vento vanitatis et illius tentationis impellentur et corruent a ficulnea sanctitate status, propter quae omnia plures non solum boni sed etiam mali fortiter perterrebuntur, non solum a visu et perpessione tantorum malorum, sed etiam a suspicione et exspectatione majoris. Tunc plures signabuntur ad militiam spiritualem, quamvis sint pauci respectu multitudinis reproborum.

26. Si autem quaeras, cur Franciscus cum primis sui ordinis sociis non fuit personaliter in initio tertio et quarto sicut Christus cum suis apostolis fuit tempore suae praedicationis et crucifixionis in initio novae legis assimilato tertio initio hujus sextae apertionis, Petrus etiam et Paulus apostoli ejus fuerunt passi sub Nerone et Simone mago se Christum fingente, in quo tempore Judaea per Vespasianum a Nerone missum coeperat jam destrui et paulo post fuit tota subversa, quod quidem tempus assimilatur quarto initio hujus sextae apertionis, in quo carnalis ecclesia percutietur, et paulo post apparebit undecimum cornu bestiae, quod Nero et Antichristus magnus a cornu undecimo exaltatus sicut a Nerone fuit Simon Magus, quin potius fere totus iste XIII[us] centenarius praecurrit a tempore Francisci et ab initio ordinis sui. [1])

27. Ad hoc potest multiplex ratio dari, prima est generalis, non enim oportet, nec congruit quod posteriora prioribus sibi correspondentibus in omnibus conformentur, imo unicuique servandae sunt proprietates suae, unde ex unius proprietatibus et partibus non possunt concludi in altero totidem vel aequales.

---

[1]) Olivi vergleicht die Spiritualen mit Petrus wegen des ihnen zu übertragenden Primates, mit Paulus wegen der ihnen mitzutheilenden Weisheit, den sie verfolgenden Papst aber mit Nero und Simon Magus, weil er sich für den Statthalter Christi ausgebe.

Secunda est, quia personae Christi correspondeat in sexta apertione unus ordo plurium personarum sic secundum suam proportionem augendus, sicut Christus secundum corpus suum fuit usque ad perfectam aetatem viriliter auctus. Tertia est, quia fuit populus christianus per viros evangelicos multiplici et saltem trina citatione citandus ad poenitentiam et hoc cum congruis dilationibus seu exspectationibus, unde sicut sub Noë dati sunt centum anni dilationis et exspectationis hominum ad poenitentiam, sic et hic satis congrue tantundem vel circa; sub Isaia vero dati sunt decem tribubus LXV. anni ab initio prophetarum puta Oseae et annos capitivitatem X. tribuum prophetantium initium etc. *Quarta ratio est, quod prout super evangelium ostendi, Christus pauco tempore debuit inter nos vivere et pauciori praedicare, nec suis discipulis debuit altum spiritum dare usque post ejus mortem et resurrectionem, ac per consequens nec ecclesiam suam solemniter instruere per eosdem, nec ipse per se eguit multo tempore roborari ad sustinendum condemnationem a summis pontificibus Judaeorum et ab omnibus consentientibus eis; nisi autem ordo evangelicus per Franciscum renovatus esset in multis et saltem sub duabus vel tribus generationibus propagatus et solennizatus, non esset nec ipse, nec populus ab eo ducendus sufficienter dispositus ad tam authenticam condemnationem condemnationi Christi consimilem subeundam. Quinta est, quod tentatio hujus condemnationis debet esse valde seductoria, ita ut fere in errorem inducantur electi, debet etiam esse zeli acerrimi contra electos, et ideo oportuit praefatum ordinem praeivisse tanto tempore ante ipsam, quod ascendisset a mane usque ad meridiem ac deinde declinasset usque ad vesperam, et quod ex eo prodirent acerrimi zelatores carnalis gloriae ejus contra zelatores primi et purissimi spiritus ejus et etiam quod merito suae tepiditatis tantam et talem tentationem incurrat. Sexta est quod sicut Christi persona et vita fuit exemplar totius ecclesiae futurae, sic decuit, quod prima pars ordinis usque ad excidium Babylonis esset typica imago totius partis sequentis, ut scilicet principium corresponderet*

principio et medium medio et terminus termino. Septima est, ut prima pars conformaretur principio et medio et termino quinti status, cum quo convenit et etiam totius ecclesiae, cujus initium fuit humile et plenum aegestate, medium vero praeclarum et extensum in orbem, finis vero vespertinus et tepidus, et secundum quosdam coaptantur ei tres anni et tres menses a Christi baptismo usque ad mortem ejus elapsi, sumendo annum pro trigiuta annis, quos quidem Christus habuit cum baptizatus est, quidam vero his addunt tres menses praedicationis Johannis Baptistae ut sic sint CV anni. Sciendum tamen, quod hujusmodi coaptationes nihil habent certitudinis nisi aut per facti evidentiam inclarescant aut per revelationem indubitabilem, aut nisi per aliam authoritatem sacrarum scripturarum necessario probentur; multis enim modis et quasi innumeris possunt tales coaptationes formari. Juxta quod possemus dicere quod per unum annum intelligantur centum anni vel mille vel quadraginta vel decem, et sic de aliis. Octava ratio est, quod speciales errores contra regulam evangelicam oportuit prius callide et fortiter seminari et radicari, antequam perfectas spinas emittant et priusquam evomant suum totale venenum; institutio autem ordinis evangelici et regulae ejus dedit multis occasionem invidiae et zeli amari contra ipsum et excogitandi contraria sibi, unde et sicut primus Herodes necavit infantes ut occideret Christum infantem, sic circa primordialem infantiam hujus ordinis, regibus mundi devote adorantibus Christi paupertatem in ipso, novus Herodes doctorum carnalium damnavit statum evangelicum evangelicae mendicitatis, ex quo multi boni et teneri conceptus in pluribus sunt necati, isteque error varias radices misit et mittet, usquequo surgat secundus Herodes; oportuit etiam electos per oppositum zelum et exercitium erudiri contra hujusmodi errores fundamenta et machinamenta, ut in die tentationis minus feriantur et concutiantur a jaculis jam praevisis.[1])

28. Quia vero, quae hic scribuntur de sexta apertione, plenius spectant ad quartum initium ipsius, in quo nova

[1]) Nach Olivi wird das Volk ein Jahrhundert von der Erſcheinung

Babylon a decem regibus subvertetur, et ad significationem plurium post hoc trahendorum ad fidem et tandem a magno Antichristo martyrizandorum et iterum ad consignationem totius orbis post ejus mortem plenius fiendam, ideo literam exponamus prout spectat ad ista. Dicit ergo: et ecce terrae motus factus est magnus, de quo scilicet infra 18, 21.: „quod unus angelus — — non invenietur.“ Per mare autem designatur fluctus infidelium et mare praegrandis amaritudo tantae subversionis sive ruinae; de hoc dicitur etiam infra XI. post occisionem et resurrectionem duorum testium Christi et eorum ascensum in coelum, quod in illa hora factus — — corruit; quamvis illud literalius respiciat terrae motum, qui fiet in morte magni Antichristi, de quo Zachariae ultimo dicitur, quod egredietur — — regis Juda. Potest tamen dici quod secundum diversos respectus et sensus uterque terrae motus hic intelligitur, quia et plena consignatio seu conversio XII tribuum Israël non fiet usque post mortem Antichristi, quamvis secundum Joachim antea inchoetur; ipsi enim sunt recepturi Antichristum prout dicit Christus Joannis V°; ne autem priventur glorioso martyrio per Antichristum fiendo, dicit prius ex Israël nobilem militiam consignari ab Antichristo martyrizandam; utrumque autem tempus hic indistincte tangitur usitato more prophetiae sacrae. Sequitur: et factus est sol niger“ etc. hoc tangitur Matth. 28. secundum unum sensum verborum Christi dicentis: statim — — commovebuntur; *tunc enim totus status ecclesiae in praelatis et plebibus et religiosis funditus subvertetur, praeter id quod in paucis electis remanebit occulte; tunc etiam tam in oculis infidelium quam in oculis fidelium tunc apostatantium vel desperate morientium nigrescet solaris lux fidei, ipsaque ecclesia apparebit quasi luna*

---

des heiligen Franziskus an sich nicht bekehren, sondern immer verschlimmern, und daher am Schlusse desselben mit Ausnahme der electi, d. h. der Spiritualen, ausgerottet werden, da es wie ehevor die Menschen zu Noë's Zeit die ihm gegebene Bekehrungszeit verstreichen ließ.

cruentata non solum propter stragem occisorum ejus, sed etiam quia tunc plenius patebit, qualiter fuerat luxuriis abominabiliter inaestuata et nefandis iniquitatibus et crudelitatibus plena; tunc etiam innumeri apostatabunt, qui videbantur stellae, cum tamen essent hypocritae et sicut fieus intus vacuae et exterius grossae; tunc montes i. e. regna ecclesiae et insulae i. e. monasteria et magnae ecclesiae in hoc mundo, quasi in salo super mari sitae movebuntur de locis suis i. e. subvertentur et eorum populi in mortem vel in captivitatem ducentur; tunc etiam cum propter illud temporale exterminium, quod filii a Dei judicio velint nolint sentient supervenisse, tum propter desperatum timorem judicii aeterni eis post mortem mox superventuri, sic erunt omnes tam majores, quam medii et minores horribiliter attoniti et perterriti, quod praeeligerent montes et saxa cadere super eos, ex ipso etiam timore fugient et abscondent se in speluncis et intra saxa montium, *est enim tunc nova Babylon sic judicanda sicut fuit carnalis Jerusalem quia Christum non recepit, imo reprobavit et crucifixit, unde Lucae 23. praedicit eis Christus mala consimilia.*

29. Hic ergo angelus est Franciscus evangelicae vitae et regulae sexto et septimo tempore propagandae et magnificandae renovator et summus post Christum et matrem ejus observator, ascendens ab ortu solis, i. e. ab illa vita, quam Christus sol mundi in ortu suo i. e. in suo primo adventu attulit nobis, nam X. umbratiles lineas orologii Achaz Christus in Franeisco reascendit usque ad illud mane, in quo Christus est ortus; ascendit enim ab ortu solis, quia sui aseensus in Deum fundamentum et initium cepit a sede Romana, quae inter quinque patriarehales ecclesias est prineipaliter sedes et civitas solis i. e. Christi et fidei ejus, de qua dicitur Isaiae XIX^ae^. Ascendit enim ab ortu solis, i. e. cirea initium diei solaris sextae et septimae apertionis seu tertii generalis status mundi. Item per ipsum intelligitur eoetus discipulorum ejus in tertio et quarto initio sextae apertionis futurus et eonsimiliter ab ortu solis ascensurus, quibus ejus exemplar et meritum et virtuale de coelo

regimen singulariter coassistet, ita ut quidquid boni per eos fiet, sit sibi potius adscribendum quam eis. *Audivi enim a viro spirituali valde fide digno et fratri Leoni confessori et socio b. Francisci valde familiari quoddam huic scripturae consonum quod nec assero nec scio, nec censeo esse asserendum, sc. quod tam per verba fr. Leonis, quam per propriam revelationem sibi factam perceperat, quod Franciscus in illa pressura tentationis Babylonicae, in qua ejus status et regula quasi instar Christi crucifigetur, resurget gloriosus, ut sicut in vita et in crucis stigmatibus est Christo singulariter assimilatus, sic in resurrectione Christo assimiletur necessaria tunc suis discipulis confirmandis et super fundatione et gubernatione futurae ecclesiae informandis, sicut Christi resurrectio fuit necessaria apostolis confirmandis et super fundatione et gubernatione futurae ecclesiae informandis; ut autem resurrectio servi potenti gradu*[1]*) dignitatis distet a resurrectione Christi et suae matris, Christus statim post triduum resurrexit, et mater ejus post quadraginta dies resurrexisse dicitur a quibusdam non omnino spernendis, iste autem post totum tempus sui ordinis usque ad crucifixionem ipsius crucis Christi assimilatam et Francisci stigmatibus praesignatam*[2]*)*, sequitur habentem signum Dei vivi, tam scilicet in stigmatibus a Christo sibi impressis quam in tota vita interiori et exteriori et in statu professionis et in concordia temporis et officii singulariter Christo assimilatum et ejus similitudini consignatum.

30. Ex praedictis autem patent aliquae rationes, quare ante temporale exterminium novae Babylonis sit evangelicae vitae veritas a reprobis solenniter impugnanda et condemnanda, et econtra a spiritualibus suscitandis ferventius defendenda et observanda, et acutius et clarius intelligenda et praedicanda, ut merito sit ibi quoddam solenne initium sextae

---

[1]) C. Flor. patenti gradu.

[2]) C. Flor. fährt fort: Nec dissonat hoc ab eo, quod c. XI de duobus testibus a bestia occidendis dicitur, quod post tres dies et dimidium resurgent, aut ab eo quod Dan. XI, ubi post casum Antichristi de conversione omnis Israel agitur, dicitur: in tempore illo consurget etc.

apertionis. Quamvis vero a pluribus fide dignis audiverim, sanctum nostrum patrem Franciscum hanc tentationem pluries praedixisse, et etiam quod per ejus status professores esset malignius et principalius exercenda, nihilominus quasdam rationes breviter subinsinuo.

31. (Olivi ad ostendendum, qualiter ante temporale exterminium novae Babylonis sit evangelicae vitae veritas a reprobis impugnanda et a spiritualibus defendenda, assignat decem rationes, dicens sic.)

Decet enim ipsam praeire (sc. evangelicae regulae impugnationem et defensionem) primo ut justo Dei judicio carnalis ecclesia, prout meruit, exerceatur et ejus malitia crescat et consummetur usque ad impugnationem vitae et spiritus Christi; secundo ut finis ejus et secundi status generalis concordet fini synagogae et primi status generalis, finis enim illius fuit in Christi condemnatione et crucifixione. Tertio ut spiritus in evangelicis viris tepescens et quasi exstinctus seu consopitus suscitetur et fortissime accendatur, et per hoc disponantur ad patienter et etiam promereantur ad potenter sustinendam et triumphaliter devincendam subsequentem tentationem sub magno Antichristo venturam. *Quarto quod expedit veritatem evangelicae vitae et regulae per concertationem validam prius clarificari et exaltari ante magni Antichristi adventum,* quia aliter non posset sibi triumphaliter resisti, nec esset dare tunc plures perfectos Christi milites ab ipso martyrizandos. *Quinto ut subsequens judicium de carnali ecclesia per decem reges fiendum sit et appareat justius et Christo honorabilius, ex hoc enim evidenter patebit, quod non sua ecclesia, sed potius inimica et persecutrix est ab illis exterminata, ad cujus majorem evidentiam spectat, quod electi erunt ex tunc sic ab ea sequestrati, sicut apostoli et ceteri catholici fuerunt sequestrati a Synagoga a tempore Christi usque ad subversionem ejus factam per Titum et Vespasianum, propter quod infra XVIII., ubi de venturo casu Babylonis agitur, dicit vox de coelo: exite. — — Sexto Quia secundum ordinem veritatum Christi impugnandarum et per proelia clarificandarum debet prius impugnari ejus exem-*

plaris vita, quam gessit secundum quod homo et postmodum ejus deitas et suarum naturarum unio personalis cum ceteris subintellectualibus articulis fidei et doctrinae suae, quod utique fiet per magnum Antichristum et per sectam ejus. *Septimo quod prius expedit tyrones intra suos exerceri et probari, antequam mittantur longe ad universalia bella cum extrinsecis gentibus totius orbis committenda,* unde et istum ordinem Christus servavit in apostolis suis, nam primo dixit eis: „in viam gentium ne abieritis sed ite ad oves Israël;" dixit etiam: „sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto." *Octavo quod sicut caecitas Judaeorum et scelus fuit occasio salutis gentium* (Rom. XI.), ex hoc enim facilius susceperunt apostolos tamquam a Judaeis, quorum sectam odibant, rejectos, postquam enim fuerunt per apostolos conversae, proderat eis fortis aemulatio contra judaicum errorem et zelum, sic et in proposito dicendum. *Nona ratio sequitur ex errorum seminibus jam in ecclesia plantatis et radicatis, nam fere omnes clerici et regulares possidentes aliquid in communi videntur minus bene sentire de evangelica abrenuntiatione hujusmodi communium, multi enim abrenuntiationem hanc secundum rem vel secundum apparentiam praeferentes sic amant et existimant laxam vitam, quod usum pauperem seu moderate restrictum a voto professionis evangelicae dicunt esse exclusum, et etiam debere excludi. Omnes autem hi et illi sic videntur ambire praelationes ecclesiae altas et opulentas et sic anhelare ad habendum et procurandum privilegia dispensative laxantia regulares restrictiones primitus institutas, quod coecus est, qui non videt, quod de tanta radice colubri egredietur regulus absorbens volucrem, i. e. volatum evangelicae vitae et plures volantes cum alis ipsius. Decima est, quia nisi in multitudine carnalis ecclesiae praeiret grandis obcaecatio et obduratio* contra aliquid notabiliter spectans ad illuminationem et inflammationem spiritus tunc temporis necessariam et a Christo introducendam *in suis electis, non essent congrue et condigne dispositi ad apostatandum in sectam* Antichristi et in praeambula ejus, puta in saracenicam sectam vel philosophicam paganorum.

32. Sicut synagoga propagata est ex XII patriarchis et ecclesia de gentibus ex XII apostolis est specialiter propagata, sic finalis ecclesia reliquiarum Judaeorum et gentium est per XII viros evangelicos propaganda, unde et Franciscus habuit XII filios et socios, per quos et in quibus fuit fundatus et initiatus ordo evangelicus. [1])

33. Nota, quod Richardus per signatos intelligit sanctos veteris testamenti, qui fuerunt numero pauciores, quam sancti novi testamenti, quos dicit intelligi per turbam innumerabilem post signatos secutam, et ideo primi ponuntur sub certo et pauco numero, non autem secundi, *dicit enim, quod Christus est angelus habens signum Dei, quia in se immortalis divinitatis potentiam ostendit, qui etiam per carnis assumtionem descendit et per ejusdem glorificationem ascendit etiam dando nobis formam tendendi ad bona superna; ascendit etiam ab ortu solis, quia praedicator et largitor est paternae claritatis.* Contra vero hanc expositionem arguitur, quia ridiculum est dicere, quod ad sextam apertionem sexti status ecclesiae singulariter spectet signatio omnium electorum ante Christi adventum et post, aut etiam hujusmodi rei revelatio, imo potius spectat ad apertionem primi sigilli seu ad fontalem radicem ejus et omnium apertionum, quae etiam consequentia est post terrae motum seu potius exterminium maliciae in fine quinti status ecclesiam inundantis, loqui de signatione seu conversione electorum ante Christi adventum et per totum tempus ecclesiae praecedens hunc terrae motum sive exterminium. Item per eandem rationem deberet loqui de electis ab initio saeculi usque ad tempus XII filiorum et tribuum Israël. Praeterea quare electos ex Israël ante Christi adventum dicit esse a Christo signatos in frontibus signo Dei potius quam turbam electorum post Christum, cum isti magis explicite susceperunt fidem Christi et nobiliorem statum novae legis sint professi

[1]) D. meint nämlich, daß nach Israëls Bekehrung die ganze übrige Welt, welche zum Antichrist abgefallen war, wieder zu Christus bekehrt werden würde.

et gloriosius sint pro Christo passi. *Item sicut Christus non dicitur proprie esse ad imaginem Dei, sed potius ejus esse imago, sic nec proprie habere dicitur signum Dei, imo esse Deus et ipsa Deitas, bene tamen dicitur Joh. VI., quod ipsam signavit Deus Pater, i. e. Deitatem suam singulariter suae humanitati impressit vel per aeternam generationem suae personae dedit, vel quia ipsum Christum designavit et monstravit esse vere filium suum et salvatorem nostrum. Praeterea sicut angelus sextae tubae designat alium sanctum a Christo et sub Christo, quamvis Christus omnia bona opera septem angelorum tuba canentium principaliter faciat tamquam prima et summa omnium causa bonorum, sic et intelligendum est de angelo sexti signaculi.*

34. Et nota, quod prima horum trium est horrenda laxatio et excaecatio circa finem quinti temporis, ita ut potius videatur esse Babylon quam Jerusalem et potius synagoga reproborum persequens Christum et spiritum ejus, quam ecclesia Christi, secunda est destructio hujus Babylonis et subsequens tentatio magni Antichristi; tertia est tribulatio Gog synagogae et extremae damnationis judicium subsequens illam. —

(C. Flor. f. 108.) Et quintus angelus tuba cecinit, i. e. officium s. doctrinae exercuit. Et vidi stellam etc. Tria gravissima circa finem quintae aetatis: prima, laxatio clericorum, monachorum et laicorum; secunda sumens a praedicta occasionem, haereticorum Manichaeorum et Valdensium eis in multis consimilium et multa et pestifera inundatio. Tertia est aliorum ypocritalium religiosorum cum primis multiplicatio et spiritus Christi et vitae ejus ab omnibus impugnatio, quamvis sub diversis modis et fraudibus, ut fiat prolixior temptatio fere inducens in errorem electos. — Fons hujus laxationis est casus aliquorum episcoporum et abbatum in enormes cupiditates et ambitiones et laxationes, qui prius erant vel videbantur quasi stellae in coelo. Fumus ex puteo abyssi est omne extrinsecum malum opus et signum de cordiali flamma luxuriae et avaritiae et superbiae et irae et invidiae et malitiosae astutiae procedens.

35. Quamvis per has locustas possint designari omnes mali Christiani, quorum malitia est multa et publica et multorum laesiva et cruciativa, magis tamen proprie designat pravam multitudinem clericorum et monachorum et judicum et ceterorum curialium plurimos spiritualiter et temporaliter punientium et cruciantium, qui omnes de fumo putei exeunt, quia de pravo exemplo effrenationis praefatae occasionem et inductivam causam sui mali extraxerunt, et etiam quia quasi de puteo inferni cum praedicto fumo exempli pessimi exisse videntur. Vocantur autem locustae tum quia ad modum locustarum alte saliunt per elationem, et hoc postremis cruribus, quia vanam gloriam in omnibus finaliter intendunt et ad terram reeidunt per cupiditatem; tum quia instar locustarum postremis cruribus saliunt proponendo se. in fine poenitentiam agere, et sic semper sperant ad gloriam aeternam salire, pedibus vero anterioribus et toto ore terrae adhaerent, virentia cuncta rodentes; tum quia locusta est animal parvum et secundum legem mundum, habetque alas non ad altum nec diuturnum volatum, sed ad infimum et modicum, et ideo partim designat hypoeritas humilitatis et mundiciae et contemplativi volatus simulatores, aliorum vitam detractionibus corrodentes et aliorum bona temporalia devorantes, sive per authoritatem ecclesiasticam sive per oblationem quasi sanctis factam, sive per quaestum quasi sub specie pietatis exactum, sive per simoniaeam fraudem sive per falsa et iniqua judicia vel per alias impias exactiones; partim etiam designat leves et volatiles clericos et monachos carnalia sectantes et per ea multis nocentes.

(C. Flor. f. 114.) Pro tertia tentatione impugnativa vitae et spiritus Christi et praedisponente ad sectam magni Antichristi est sciendum, quod casus stellae de coelo in terram et habentis clavem putei abyssi ipsumque aperientis est quorundam altiorum et doctiorum et novissimorum religiosorum casus in terrenas cupiditates et in mundanorum philosophorum scientias curiosas et in multis erroneas et periculosas, acceperunt enim ingenium et clavem ad ape-

riendam et exponendam doctrinam Aristotelis et Averrois, commentatoris ejus, et ad excogitandum profunda et voraginosa dogmata obscurantia solem christianae sapientiae et evangelicae vitae et purum aerem religiosi status ipsius, in tantum quod quidam eorum dicunt, paupertatem altissimam non esse de substantia perfectionis ejus, et quod ejus est habere sufficientia aut saltem necessaria in communi; quidam vero, quod usus paupertatis i. e. altissimae paupertatis secundum debitas circumstantias proportionatus non est de substantia ejus. Quidam etiam talia dogmata philosophica sive paganica suis theologicis tractatibus inseruerunt, ut ipsi multi clerici Parisius philosophantes omnes articulos fidei rejecerint praeter unitatem Dei et solam philosophiam mundanam dixerint esse veram et humano regimini sufficientem. Dixeruntque mundum ab aeterno fuisse et Deum per se et immediate nihil posse operari de novo, sed quidquid immediate potuit, fecit necessario ab aeterno; ponuntque unum solum intellectum in omnibus hominibus, et fere negant arbitrii libertatem. De fumo autem praedicti casus et apertionis exierunt locustae i. e religiosi illorum sequentes ac leves et volatiles et cupidi et carnales et ypocritales et detractores et quasi contra omnes eis non faventes animosissime concitantur quasi equi currentes in bellis et etiam contra omnia multum spiritualia, contra quae zelum acrem assumunt. — Consummabuntur autem in fine, quando publice Christi vitam et Jerusalem in viris spiritualibus acerrime impugnabunt et solemniter condemnabunt, quamvis nec tunc permittantur laedere spiritum perfectorum neque etiam simplicium vigorem vitae spiritus Christi firmiter in se servantium et illorum malitias et errores abhorrentium et fugientium. —

(C. Flor. f. 115b.) In fine quinti status erat spiritus et vita Christi seu Christus in spiritu quasi crucifigendus et quinque plagis plagandus. Ideo quaelibet tribulatio trium praedictarum cruciat quinque plagis quasi quinque mensibus, quarum duae in manibus, et aliae duae in pedibus et quinta in latere. In prima enim tribulatione clericales con-

culcant plebejos quasi pedes per fastum arrogantiae et per contemtum contumeliae seu parvificentiae, sc. per rapinae molestiam et per calumniae fraudulentiam sunt eorum manus rapientes bona de manibus aliorum. Per lateralem autem sive visceralem aperturam luxuriae cruciant eorum corda et viscera. In primis autem duobus regnat et certat superbia quasi ob zelum et honorem ecclesiae et divinae autoritatis et religionis, quae debet a laicis et omnibus et subditis summe honorari et ipsa debet eminenter superexistere eis. In secundis vero duobus avaritia regnat, et praeliantur quasi sub zelo juris divini et ecclesiastici conservandi et divini cultus sustentandi. Quintum vero sive superiorum luxuria quasi cogit subditos ad similia. Ex omnibus autem trahitur inf.... et quasi ex insperato et quasi ex aculeata cauda scorpii scandalum fere inducens ad spernendum catholicam fidem et autoritatem ecclesiae et Dei providentiam et justitiam talia in sua ecclesia non punientem et tales exaltari et praevalere quasi providentem. In secunda autem tribulatione Manichaei transfigunt manum ecclesiae dexteram, ejus et suorum ministrorum potestatem denigrando per argumentum ex eorum inexcusabili pravitate tractum. Sinistram etiam transfigunt magnificando autoritatem suorum, qui apud eos perfecti nominantur, ostendendo eis deberi propter suam sanctitatem, quam exterius ypocritaliter simulant et ostentant; dicunt enim verisimilius esse Christi autoritatem esse in sanctis quam in pessimis. Pedes vero transfigunt per duo sc. per literalem corticem scripturae, quam pro se inducunt, dicentes plus standum esse literae quam expositioni nostrae, et iterum per rationum experientiam sequentem experientiam et apparentiam sensus, propter quod derident fidem nostram dicentem, corpus Christi esse in parva hostia et in qualibet parte ejus, aut quod Deus bonus nostra membra turpia et verenda et vermes et pulices et bufones et consimilia nobis nocua et taediosa creaverit. Latus vero transfigunt, tum quia suam vitam et persecutionem jactitant esse similem vitae et persecutioni Christi et apostolorum, nos vero comparant Judaeis perse-

quentibus Christum; tum quia sic ardenter currunt ad mortem quasi martirium, quod ex hoc obstupefaciunt et quasi transverberant corda multorum sensualium; tum quia fingunt socialem et pium et simplicem absque dolo affectum ad omnes quos trahere nitantur, unde secundum apostolum eorum sermo quasi cancer serpit.

36. Tertia vero tribulatio transfigit manus per apparentiam celebris authoritatis ecclesiae generalis, et plebejae multitudinis sibi subditae et per apparentiam contrarii in spiritualibus viris, unde et dicturi sunt eos esse inobedientes et contumaces praelatis suis et ecclesiae, et schismatice divisos a tota multitudine ecclesiae generalis; pedes autem per quos in fundamento solide figimur, transfigunt, quia contra scripturas et contra priorum Patrum communia exempla et documenta dicent, eos figi in propria stultitia temeraria et irrationabili et ad observandum impossibili, et quia a communi et antiqua successione et consuetudine et etiam Christi et apostolorum exemplo discedunt, nam Christus habuit loculos et recepit magna convivia juxta quod de Matthaeo scribitur in Luca, quod fecit sibi magnum convivium. Paulus etiam collectas pecuniae pro sanctis procuravit et detulit, gloriaturque se habere potestatem exigendi sumtus sicut et ceteri apostoli. Praeter hoc etiam adducent philosophorum authoritates et exempla, ex quo objicient illos etiam a fundamento naturalis rationis discessisse. Latus vero transfiget favor amicitiae et gloriae et multorum beneficiorum ab eorum sequacibus habitus, sanctisque oblatus, si eos sequuntur et e contrario.

(C. Flor. f. 115b.) Terror transfixionis sive punitionis letalis. Et nota, quod sicut plaga secunda sive Manicheorum promissa est a Deo velut in poenam primae et in confusionem cupidorum et carnalium clericorum et Monachorum, sic tertii zelant et zelabunt exterminium secundae i. e. haeresis Manicheorum et Valdensium et consimilium, quamvis a viris evangelicis a tempore ss. Francisci et Dominici fuerit purius et sincerius edomita et exstirpata et valde debilitata et jam quasi sepulta. Rex autem harum

locustarum recte nominatur exterminans, ut insinuetur esse ille de quo dicitur: eam exterminat aper de silva etc. quod dicitur, multi quidem haeretici transeuntes et praetergredientes viam intulerunt ecclesiae damna, quae ad tempus poterant tolerari, quia etsi perdebatur fructus, ipsa tamen in statu suo integra permanebat.

37. *Sed ille,*[1]) *qui dicitur aper de silva et singularis ferus, intolerabiliter exterminavit eam, ita ut non videatur esse vinea Dei, sed potius synagoga diaboli. Iste autem aper saepius dicitur mysticus Antichristus, assimilatus Caiphae Pontifici Christum condemnanti et Herodi Christum illudenti, sequens autem aper magnus sive Antichristus assimilatur Neroni pagano et imperanti toti orbi, et Simoni Mago dicenti se Deum et filium Dei. Sequitur: vae unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo vae, i. e. duae tribulationes maximae. Praedictam tribulationem, quamquam juxta modum praedictum sit trina, vocat unum vae, quia omnes simul sunt commixtae, et quia spectant ad idem quintum tempus, et in hoc quinto centenario ab imperio collato Carolo M. omnes tres praecipue inundarunt, et quia secunda et tertia (radicaliter) manant ex prima et fundantur in ipsa, et etiam quia omnes tres concurrent et convenient in fine contra spiritum Christi, sicut Pharisaei et Sadducaei et Pilatus et Herodes convenerunt in unum contra Christum quamvis essent inimici et diversarum sectarum.*

38. *Referendo tamen hoc ad tertium initium sexti status, in quo solventur hostes evangelici status, potest per hos quatuor designari tetrapartita divisio regum christianorum, designata per quatuor tetrarchas contemporaneos praedicationi et interfectioni Johannis et Christi, et iterum tetrapartita divisio cleri et religionis in contrarias sententias et contentiones earum. Utraque enim divisio designatur per quatuor partes vestium Christi et per quatuor milites divisores et sortitores earum; tunica autem inconsutilis et indivisa designat specialem ecclesiam illius temporis.*

---

[1]) Der Papſt.

39. Item prout possunt haec designata referri ad tertium initium sexti status, designatur per hoc aut discessio fere omnium ab obedientia s. Pontificis, de quo dicit apostolus II. Thess. 2: nisi venerit discessio etc., aut cessatio favoris ejus ad statum evangelicum per quam ejus aemuli sunt usque tunc impediti in ipsum irruere juxta votum, potestas enim Papae et multitudo plebium sibi obediens et favor ipsius est quasi magnus fluvius Euphrates impediens transitum et insultum aemulorum evangelici status in ipsum.

40. Sciendum est, quod sicut s. Pater noster Franciscus est post Christum et sub Christo primus et principalis fundator et initiator et exemplator sexti status et regulae ejus, sic ipse post Christum designatur primo per angelum septimum et in hujus signum et in curru igneo apparuit transfiguratus in solem, ut monstraretur venisse in spiritu et imagine Eliae, et simul cum hoc gerere imaginem perfectam veri solis, s. Christi; ipse enim fuit singulariter fortis in omni virtute et opere Dei et per summam humilitatem et recognitionem originis omnis naturae et gratiae, semper descendens de coelo et per aeream et subtilem sive spiritualem levitatem ab omni pondere terrenorum excussam, fuit amictus nube, i. e. altissima paupertate, aquis coelestibus plena, i. e. suprema possessione et imbibitione coelestium divitiarum; fuit etiam amictus nube, i. e. ex tacitae contemplationis caligine, quam secundum Dionysium designabat caliginosa nubes in qua Deus apparebat et loquebatur Mosi; habuit etiam in capite Irim i. e. arcualem refulgentiam solis, quia viscerosa caritas Christi ad nostras inferiores miserias aperta arcualiter dilatata fuit assidue et intime impressa menti s. Francisci; facies etiam ejus erat sicut sol, quia in singulari contemplatione Christi et evangelicae vitae ejus fuit non instar lunae defectivae vel modicae stellae vel lucis nocturnae sed instar solis et lucis divinae inflammatus et illuminatus et illuminans et inflammans; habuit etiam pedes rectos et solidos et igneos ut columnam ignis, quia non solum fuit summus contemplatione sed etiam in omni perfecta actione sicut ex historia

vitae suae superabunde patet; habuit etiam in manu, i. e. in pleno opere et in plena possessione et potestate libellum evangelii Christi apertum, sicut patet ex regula, quam servavit et scripsit et ex statu evangelico, quem instituit; *posuit etiam pedem dextrum super mare, quia ad Sarazenos convertendos (ad Christum) et ad martyrium accipiendum ab eis cum summo studio et fervore laboravit ter ire ad eos prout scribitur in IX. capitulo vitae suae, scil. sexto anno a conversione sua tamquam angelus sexti sigilli, et in signum quod per ejus ordinem sunt in sexto statu ecclesiae convertendi ad Christum, et iterum XIII° anno conversionis suae, in signum quod in XIII° centenario a passione et resurrectione Christi inchoando sunt Sarazeni et ceteri infideles per ejus ordinem cum multis martyriis convertendi. Unde et in sua regula singulariter instituit modum eundi ad praedicandum ad Sarazenos et alios infideles. Sicut enim decimo tertio die a nativitate Christus apparuit regibus Orientis et in consimili die baptizatus est et aquam in vinum convertit et in XIII° anno absentatus a matre est ab ea inventus in templo, sic in XIII° centenario a Christi adventu apparuit Franciscus et ejus evangelicus ordo, sed in XIII° a Christi morte et ascensione exaltabitur in cruce et ascendet ejus gloria super totum orbem, prout pie conjicitur ex scripturis et specialiter ex his quae tanguntur infra in quarta visione hujus libri.*

41. Quia vero haec et sequentia in futuris ejus operibus et discipulis clarius enitescunt, idcirco sciendum, quod a tempore solennis impugnationis et condemnationis evangelicae vitae et regulae sub mystico Antichristo fiendae et sub magno amplius consummandae, spiritualiter descendet Christus et ejus servus b. Franciscus et evangelicus discipulorum ejus coetus contra omnes errores et malicias mundi et contra totum exercitum daemonum et pravorum hominum, constans et fortis, impavidus sicut leo, tam ad juvandum quam ad patiendum et per profundissimam sui humiliationem et per sui originis adeo humilem recognitionem et per sui ad inferiores piam condescensionem descendet de coelo, eritque

scripturarum, non terrestrium et falsarum sed coelestium et purissimarum, quasi nube amictus et etiam agillima et altissima et foecunda simul et obscura seu humili paupertate, sicut enim nubes est supra inter nos et coelum suscipiens solis radios contemperans nobis eos et est praegnans aquis pluvialibus et foecundis ipsasque ad fructificationem terrae nascentium moderate effundens, sic et haec scriptura sacra spiritualiter in caritate et sapientia Dei erit ut sol ad irradiandum finaliter totum mundum et ad formandum solarem diem tertii generalis status mundi. Intelligentiam etiam libri sacrarum scripturarum et operum divinorum habebit non solum sibi sed etiam in plena potestate tradendi aliis et docendi. *Nam in prioribus quinque ecclesiae statibus non fuit concessum sanctis quantumcunque illuminatis aperire illa secreta hujus libri, quae in solo sexto et septimo statu erant apertius reseranda, sicut nec in primis quinque aetatibus veteris testamenti fuit concessum prophetis clare aperire secreta Christi et novi testamenti in sexta aetate saeculi reseranda et reserata. Ponet etiam pedem suum dextrum supra mare nationum infidelium et sinistrum super terram fidelium, quia principalis impetus et processus ejus erit ad totum orbem convertendum ad Christum, sic tamen quod ex hoc non deseret priorem ecclesiam fidelium. Sicut enim tempore apostolorum fuit principalis et quasi dexter processus eorum ad conversionem paganorum, secundarius vero et quasi sinister ad plebem Judaeorum, quia senserunt non se ita prosperaturos seu prospere piscaturos in terra Judaeorum sicut in mari paganorum, sic et angelus iste sentiet, non se ita prosperari in carnali ecclesia Latinorum, sicut in Graecis, Saracenis et Tartaris et tandem in Judaeis.* Etiam pedem dextrum super mare, quia promtior erit ad adversa toleranda et ad Antichristi proelia invadenda, quam ad prospera temporalis pacis et gloriae assumenda; pro tempore etiam, quod a Francisco usque nunc cucurrit, plus piscatus est hic angelus in mari laicorum secularibus curis fluctuantium, quam in terra regularium et clericalium, sim-

plices enim et idiotae facilius trahuntur ad prima quam magni clerici et monachi. Et nota, quod hic angelus non posuit supra se mare et terram, sed potius sub pedibus suis, quia per altissimam paupertatem, austeritatem et humilitatem omnes mundanas divitias et homines et delicias sub suis pedibus conculcabit nullique adulatorie aut pro mundano quaestu se carnaliter seu viliter subdet. Clamaturus est autem ut leo rugiens, primo quia contra errores et vitia induratorum cum forti indignatione et increpatione loquetur, et horribile judicium Dei etiam in proximo venturum, cum summa authoritate et terribili comminatione praedicet, ita ut bestias, i. e. bestiales contremiscere faciat; ratio autem suae magnitudinis indignationis erit ex hoc, quia cum clausus esset liber, videbantur aliquantulum excusationem habere, ex quo autem est apertus, nullum velamen excusationis relinquetur eis; alia ratio est propter nimiam resistentiam et nimiam multitudinem obduratorum; tertia est propter superfervidum zelum excitandi eos a somno mortis ad vitam fidei. Secundo clamabit ut leo rugiens, quia ut leo nimis constanter et esuriens curret ad animarum escam et praedam.

42. Et dixit mihi: oportet iterum te prophetare populis et gentibus et linguis et regibus multis; *in ipsa sapientia libri continetur expresse, quod oportet iterum praedicari evangelium in toto orbe et Judaeis et gentibus et totum orbem finaliter converti ad Christum, sed quod per istum hoc esset implendum, non poterat scire nisi per specialem revelationem, et hoc dico prout per Johannem hic designantur singulares personae, quia ut per ipsum designatur in communi ordo evangelicus et contemplativus, scitur ex ipsa intelligentia libri, quod per ipsum ordinem debet hoc impleri;* potest etiam dici quod eo ipso quod Dei instinctu et jussu accepit ab angelo singularem intellectum libri et cum singulari dulcore ipsum sibi invisceravit, et ex hoc, quod cum dolore praesensit passiones graves ecclesiae et sibi adfuturas, satis percepit, se ad praedicationem gentium destinari, sed nihilominus per sacros doctores hoc amplius asseritur.

Tamen ne propter tentationem Antichristi et propter nimiam multitudinem hostium hoc timeant impediri, potest etiam dici, quod istud potius dicitur praeceptorie et injungendo sibi officium praedicandi omnibus quantumcunque infidelibus et longinquis, unde dicit: oportet te prophetare etc. Quamvis praeter hoc possit dici hoc oportere per respectum ad infallibilitatem divinae praescientiae et praedestinationis et per respectum ad finalem necessitatem et utilitatem gentium convertendarum ad ejus verbum. *Sed quare dicit iterum? numquid iste jam antea praedicaverat? dicendum quod hoc iterum uno modo refertur ad praedicationem totius orbis factam primo per apostolos, quasi diceret: sicut tunc per ordinem apostolorum praedicatus est totus orbis, sic oportet secundo per te fieri. Potest et alio modo referri ad tempus praecurrens tentationem mystici Antichristi, in quo utique a tempore Francisci usque nunc ordo ille praedicavit, quamvis non sic late per totum orbem; potest etiam referri ad tempus praecurrens ad magnum Antichristum, nam in tempore medio inter mysticum Antichristum et magnum praedicaturus est ordo ille multis linguis et gentibus.*

43. Sed cum Graecorum ecclesiae sint per totum quintum statum a Romana ecclesia schismatice divisae, a tempore scilicet Caroli M. et citra, non videtur, quod per atrium tempore Antichristi rejiciendum intelliguntur Graeci, sed potius pravi religiosi et clerici et laici latinorum ecclesiae sanctae superficialiter juncti et per mundana negotia et desideria exterius stantes. Sicut enim in trituratione messium multitudo paleae segregatur a grano, sic in illa cribratione et trituratione ecclesiae separabuntur publice ab electis paleae et quisquiliae, et hoc tum per vim tribulationis paleas dispergentis et paleam apostatare seu veritati repugnare facientis; tum quia tunc spirituales et praecipue eorum rectores summe studebunt se et suos sequestrare a carnalibus et quibuscunque non consentaneis evangelicae veritati et puritati. Potest etiam per templum designari religio evangelica, per altare vero veritas fidei catholicae, seu ipse Christus, aut perfectores sancti religionis praefatae,

per adorantes vero Deum in eo omnes fideles sectatores religionis praedictae, ejus fidei et cultui devote et fideliter innitentes. Per mensurationem templi et altaris potest intelligi non solum regitiva gubernatio subditorum, sed et sincera et recta declaratio fidei et evangelicae vitae non secundum errores philosophicos, nec secundum sensum proprium et carnalem procedens, sed secundum regulam scripturae sacrae et catholicae fidei a Christo traditam.

44. Secundum Augustinum, Gregorium et Richardum hi duo testes sunt ad literam Elias et Enoch, et hoc communiter tenetur, quamvis et per eos designentur duo ordines praedicativi, quorum unus erit magis exteriori regimini et passionibus mancipatus, unde et Joann. ultimo designatur per Petrum, cui dixit Christus: pasce oves etc., et cum senueris, extendes manus tuas sc. in cruce, et sequere me sc. ad crucem. Alter vero magis datus contemplationi et paci, unde et designatur idem per Johannem, de quo dicit Christus: sic eum volo manere, donec veniam. Nec dico duos istos ordines testium esse diversae professionis seu religionis sicut nec Petrus et Johannes fuerunt, imo uterque fuit ejusdem professionis evangelicae, nec tamen per hoc nego, quin ordines diversarum professionum in hoc concurrant, sicut etiam jam fere per centum annos similiter cucurrerunt duo. Unde ex mysterio ternario non potest probari, quod Moses sit venturus pro tertio teste et maximo, quia ceteri sanctorum evangelicorum illius temporis aut aliquis alius ex eis poterit servire de tertio, ut sic sit ibi Enoch de statu legis naturae, Elias de statu legis Mosis, reliqui vero sint de statu legis gratiae. Praeterea hic non ponitur: dabo tribus testibus, sed dabo duobus testibus meis, nec dicuntur hic tres olivae et tria candelabra, sed duae olivae etc. Deinde subditur religiosa austeritas eorum cum praecellentia gratiae et officii et virtutis eorum, dicens, quod prophetabunt amicti saccis, i. e. vestibus cilicinis vel asperis et pauperculis. Hi sunt duae olivae, i. e. pinguedine caritatis et divinae unctionis et suavitatis pleni, et duo candelabra i. e. lumen divinae sapientiae in se alte et

praeclare gestantes et toti ecclesiae expandentes, in conspectu Domini terrae stantes i. e. tam per singularem contemplationem quam per promtae obedientiae et obsequii famulatum semper Deo assistentes, et secundum Joachim ideo tam hic quam Zach. IV. dicitur de istis, quod sunt in conspectu Domini terrae stantes qui ad hoc venturi sunt et ante faciem Christi ituri, ut annuntient advenisse tempus in quo debet regnare filius Dei in universa terra, ita ut tanquam de candelabris lucentibus illuminentur homines et tamquam de lampadibus oleo sacro plenis inungantur corda electorum spirituali gratia et doctrina. Vel si per Dominum terrae illustretur Antichristus tunc usurpatorie dominans terrae et terrenis, constat, quod isti stabunt coram eo tamquam sibi constanter resistentes et tamquam ipsum authothorizabiliter ex parte Dei monentes, sicut Moses et Aaron steterunt coram Pharaone et Petrus et Paulus coram Nerone. Primum tamen videtur de mente literae, quia in scriptura non est consuetum, quod sancti dicuntur stare in conspectu regis mundani, est autem consuetum dici, eos stare in conspectu Dei. Praeterea hic dicuntur stare in conspectu Domini sicut duo candelabra lucentia sive duo luminaria, quae stant coram uno Domino seu altari Dei, unum a dextris et aliud a sinistris, vel sicut duo principes vel consiliarii ministri magni regis stant et incedunt coram eo unus a dexteris et alter a sinistris.

45. De efficacia virtutis eorum contra adversarios, ubi et: si quis voluerit nocere eis, ignis exiet de ore illorum etc., super quo posset quaeri, an ad literam facient hujusmodi visibilia signa sive miracula. Videtur enim, quod non, tum quia non est verisimile, quod in totis tribus annis et dimidio in quibus praedicabunt, non pluat in aliqua parte orbis, aut quod ad literam ignis exeat de ore eorum, aut quod terram percutiant omni corporali plaga, tum quia melius est quod ipsi sequantur mansuetudinem et evangelicam formam Christi et apostolorum et signorum ejus, quam quod sequantur modos corporalis vindictae, per sanctos veteris testamenti visibiliter expletae; tum quia si tanta et

talia signa plagarum super Antichristum et suos facerent, potius faveret eis totus orbis quam Antichristo, et tamen valde pauci erunt tunc sequaces eorum respectu sequacium Antichristi. Potest dici primo, quod hic non dicitur, quod ipsi faciant, ne pluat tempore praedicationis eorum, aut quod convertant aquas in sanguinem vel percutiant terram plagis, sed solum quod habent potestatem hoc faciendi cum volucrint, in quo intelligitur, quod habent plenam potestatem faciendi miracula, non tamen facient nisi in quantum decuerit et expedierit, quia nec ipsi facere volent signa vana et non expedientia, nec sub aliquo modo vano et inutili. Unde et Joachim dicit, quod hoc minime facient secundum literam, sed solum spiritualiter. Secundo dicendum, quod per tria signa hic specificata et per quartum signum de omni plaga generaliter positum designantur spiritualia signa, per primum de igne significatur spiritualis et ignea et superfervida doctrina eorum aperte confundens et vincens errores et vitia hostium suorum et efficaciter contundens impios affectus et conatus eorum, et quod in eis, quos a suis erroribus et peccatis ad Christum convertent, consument et occident vitia et errores. Per secundum significatur, quod sicut Christus solis suis discipulis secreta revelabat et exponebat suam arcanam sapientiam et gratiam, ceteris autem in parabolis, ut videntes non viderent, prohibuitque tribus apostolis ut nemini dicerent visionem, quousque ipse mortuus esset, sic isti coelum, i. e. coelestem sapientiam abscondent indignis et claudent eam in cordibus spiritualium discipulorum suorum prohibendo eis, ne illam inutiliter effundant animalibus vel emulis i. e. porcis et canibus. Implebitur enim tunc illud Isaiae VI: excaeca etc. claudent et coelum reprobis i. e. ostendent coelestem gloriam et sapientiam et pluviam in ipsis esse clausam, convincent enim ipsos esse a coelesti regno et gratia alienos et exclusos. Abscondent etiam eis coelestem sapientiam et gratiam eo modo quo molem crassam attenuando et minuendo fere redigent in invisibile punctum. Isti enim sic alta et alte docebunt et sic humilia et humillime, quod

carnalibus et superbis non poterunt sapere nec placere et per consequens nec intelligere. Item ipsorum vita et doctrina sic eorum emulos ad invidiam et indignationem accendet, quod illam appretiare et amare nequibunt, sed potius spernere et impugnare habebunt. Significatur etiam per hoc, quod Deus videns zelum testium suorum sic irascetur contra hostes eorum, quod longe plus solito subtrahet pluviam salutarem et permittet eos a daemonibus et a propria malitia fortius excaecari et obdurari et ab omni humore gratiae exsiccari. Per tertium autem sc. conversionem aquae in sanguinem significatur, quod scientiam mundanam vel variam et erroneam et mundanorum carnalem cupiditatem et gloriam, quae sunt quasi aquae fluvius Aegypti, convertent in sanguinem i. e. monstrabunt esse abominabilem et mortiferam et impiam et nullo rationali imo nec a simplici jumento i. e. hominibus simplicibus viris esse bibendam, et aquas sacrae scripturae sic contra eorum vitia et errores inducent et exponent, quod videbitur eis conversa in sanguinem, i. e. in horrorem crudelem et mortiferum. Per quartum autem figuratur, quod terram, i. e. terrena et carnalia corda percutient plaga increpando acerrime vitia eorum et etiam concutiendo corda eorum, monstrando eis plagas mundi praeteritas, praesentes et futuras, quas ipsi carnales non attendunt nec spiritualiter sentiunt, nisi cum ab istis aperiuntur. Tota etiam clarificatio et sequela doctrinae et vitae sanctorum erit eorum emulis maxima plaga cordis. Item Joachim notat quod in pluvia designatur illa doctrina, quae rigat corda audientium ad proferendum fructum, in igne vero illa verba pungentia, quae carnem inflammando consumunt; primum autem prohibentur sancti, secundum autem nequaquam, quia illa verba, quae convincunt gentem apostaticam male agere, manifeste loquentur, illa vero spiritualia, quae aedificant humiles et obtemperantes, reprobis abscondent.

46. Cum testimonium finierint suum, bestia, quae ascendet ab abysso, faciet adversus illos bellum et vincet illos et occidet illos. Nota, quod nec diabolus nec sui permittuntur occi-

dere sanctos, quousque secundum Dei ordinem compleverint officium suum; per bestiam autem ascendentem de abysso intelligitur illa de qua infra c. XIII. dicitur. Bestia autem haec est multitudo gentium bestialium in infidelium amaris vitiis et erroribus fluctuantium velut mare et de infernali profunditate malitiae ascendentium in potentatum superbiam et exteriora opera summae nequitiae. Hic autem magis proprie accipitur pro sexto vel septimo capite bestiae, i. e. illius multitudinis, de qua ibidem dicitur: et vidi unum de capitibus quasi occisum etc.; *potius autem ascribitur haec occisio sanctorum bestiae ascendenti de abysso, quam bestiae ascendenti de terra, de qua infra XIII. subditur, quod per illam intelligitur pseudopapa cum suis pseudoprophetis, qui non ita immediate exercebit corporales interfectiones hominum, sicut bestia secularium laicorum, et regum et militum.* Nota etiam, quod non solum dicit, quod occidet sanctos, sed etiam quod vincet eos, quia secundum humanam apparentiam videbuntur confusi et convicti ab eo, ita quod simplices electi fere corruent in errorem. Unde Joachim dicit, quod vincet eos signis mendacibus et fraude daemonum et calliditate verborum. Quamvis enim tempore paganorum martyres occiderentur, nihilominus error idolatriae paganorum, contra quam martyres pugnabant, erat sic aperte confusus et vilis, virtus vero et fides martyrum sic per miracula clarescebat, quod aperte apparebant victores. Aliter autem fuit in Christi condemnatione et passione et multo aliter erit in passione sanctorum tempore magni Antichristi et etiam tempore mystici. Nota etiam, quod bestia quamvis faciat maximum et finale bellum contra duos testes cum finierunt testimonium suum, nihilominus faciet bellum contra eos per tres annos et dimidium prout dicitur infra XIII et paulo ante dictum est, quod civitatem sanctam calcabunt mensibus XLII.

47. Potest etiam dici, quod principales daemones per quos principaliter factae sunt principales tentationes ecclesiae, sunt septem capita draconis aut ejus septiformis astutia et malitia, per quam inchoavit et fecit vel facturus est tentationes

praedictas. Caiphas etiam pontifex Christum condemnans non minus fuit primum caput quam Herodes, decem autem imperatores pagani, per quos decem generales persecutiones martyrum factae fuerunt, possunt dici secundum primum caput, nam omnes in hoc convenerunt in unum. Sic etiam omnes Ariani seu haeretici imperatores et reges et principales Arianorum pontifices et omnes haeresiarchae conveniunt in unum tertium caput. Omnes etiam carnales et laxi et Abbates quinti temporis et praecipue illi, qui major fuerunt causa et occasio generalis laxationis quinti temporis, conveniunt in quintum caput. Sextum vero erit mysticus Antichristus. Septimus erit magnus Antichristus cum rege monarcha sibi cohaerente. Computando tamen mysticum Antichristum cum ceteris concurrentibus in quintum caput, tunc sextum erit magnus Antichristus, Gog vero erit unus. Sumendo vero magnum Antichristum pro septimo tunc erit Gog cauda et quasi caput octavum. Initiata etiam est apertio sexti sigilli, concurrendo tamen usque adhuc cum quinto. Franciscus enim tamquam angelus apertionis sexti sigilli est illo sexto anno conversus qui est et sextus annus XIII$^{i.}$ centenarii incarnationis Christi. Ex tunc autem omnis persecutio sui evangelici status spectat ad persecutiones Antichristi.

48. Attamen sciendum, quod, ubicunque in hoc libro agitur de Antichristo magno, implicatur in more prophetico tempus mystici Antichristi praecurrentis illum magnum, et secundum hoc per bestiam ascendentem de mari significatur hic bestialis vita et plebs carnalium et secularium christianorum, qui a fine quinti temporis et citra multa habent capita carnalium principum et praelatorum, quasi jam DC annos et in hoc XIII. centenario per evangelicum statum Francisci fuit unum caput ejus quasi occisum. Quanto enim altius et latius evangelica paupertas et perfectio imprimitur et magnificatur in ecclesia Christi, tanto fortius caput terrenae cupiditatis et ignis carnalitatis in ipsa occiditur. Sed jam hoc caput fere extinctum nimium reviviscit, ita ut omnes carnales christiani admirentur et sequantur

terrenam et carnalem gloriam ejus. *Cum autem apostatrix bestia de terra religiosorum ascendet in altum, cum duobus cornibus pseudorcligiosorum et pseudoprophetarum falso similibus veris cornibus agni, tunc erit validissima tentatio mystici Antichristi; surgent enim tunc pseudochristi et pseudoprophetae, qui facient ab omnibus adorari cupiditatem et carnalitatem seu terrenam bestiae gloriam scecularis, dabuntque ad hoc signa magna.*

Primo scilicet suae ecclesiasticae authoritatis, cui contradicere videbitur inobedientia, contumacia, rebellio schismatica. Secundo universalis sententiae omnium magistrorum et doctorum suorum et totius multitudinis seu communis opinionis omnium, cui contradicere videbitur stultum et insanum et haereticum. Tertio dabunt signa rationum et scripturarum falso intortarum et signa alicujus superficialis ac vetustae et multiformis religionis per longam successionem ab antiquo firmatae et solennizatae, ita ut cum his signis ignem irae divinae super contradictores videantur facere descendere, et econtra quasi ignem sancti et apostolici zeli videantur ipsi de coelo in suos discipulos facere descendere. Statuent etiam, ut qui non obedierit, anathematizetur et (Christi) de synagoga ejiciatur et si oportuerit, brachio seculari prioris bestiae tradatur; facient etiam ut imago bestiae primae i. e. pseudopapa a rege bestiae primae sublimatus, adoretur i. e. ut sibi plus quam Christo et ejus evangelio credatur et ut adulatorie quasi Deus hujus saeculi honoretur. Numerus autem nominis, i. e. primae bestiae et gloriae ejus erit DCLXVI, tum quia tres status gloriabitur se perficere, laicorum, clericorum, et religiosorum, seu inferiorum ac mediorum et superiorum. Et forte a tempore remissionis quarti status usque ad tempus istius erunt anni DCLXVI, nam quintus a Pipino usque nunc habet jam DLX annos, et a vastatione anachoretarum et ceterorum fidelium commorantium in Perside, Syria et Aegypto est numerus praedictus cito complendus; nam prout superius dixi a. DCXXXV. ceperunt Saraceni regnum Persarum et post biennium capta Damasco ceperunt Fenizem et Aegyptum et post aliud biennium ceperunt Jerusalem.

(C. Flor. f. 149.) Inchoatio eorum (finalium terminorum) a Christi incarnatione, quos ab illo initio clare et cum mira concordia ipsorum ad generationes V. T. prosequitur Joachim (in Concordia) usque ad tempus suum, habet magnam rationem et notabilem veritatem. Nam in sexto quadragesimae primae generationis initiatus est fundamentaliter tertius status concurrendo tamen adhuc cum secundo. Initiata etiam est apertio sexti sigilli concurrendo tamen usque adhuc quintae. Franciscus enim tamquam angelus apertionis sexti sigilli est illo sexto anno conversus, qui est etiam sextus annus duodecimi centenarii incarnationis Christi. Ex tunc autem omnis persecutio sui evangelici status spectat ad persecutiones Antichristi. Et secundum hoc in sequenti 42ª generatione coepit Parisius persecutio quorundam magistrorum condemnantium evangelicam mendicitatem. In ipsa etiam fuit Fridericus II. cum suis complicibus persequens ecclesiam propter quod in ipsa ab imperio depositus fuit in concilio generali per Innocentium IV. facto Lugduni. Prout autem inchoatur a Christi baptismo i. e. post 30 annos a primo initio, sic in 41ª generatione coepit ordo evangelicus per totam latinam ecclesiam esse in doctrina famosus. Et in 42ª coepit persecutio sive error dicentium statum religionis esse inferiorem saeculari statu clericorum curam animarum habentium. Et iterum error dicentium, quod habere aliquid in communi est de evangelica perfectione Christi et apostolorum, ac per consequens quod nihil tale in communi habere non est de evangelica perfectione. . Insurrexerunt item alii non modice contra evangelicam paupertatem errantes, contra quos est declaratio sive decretalis D. Nicolai IV. in eadem generatione edita. In eadem in Parisiis prodierunt errores philosophici sive potius paganici, qui a doctoribus estimantur magna seminaria sectae magni Antichristi, sicut etiam praecedentes sunt seminaria et etiam plantae errorum mystici Antichristi, prout vero inchoantur a Christi morte vel ascensione: sic in initio 41ae apparuit circiter per tres menses stella comata valde grandis et stupenda, tunc quum

Manfredus, Friderici filius, usurpatorie regnum Siciliae contra ecclesiam tenens et per Karolum devictus et occisus. Et paulo post Conradus, filius Conradi, filii Friderici, et in 42ª generatione Petrus, rex Aragoniae, invasit Siciliae regnum et ex tunc secuta sunt multa dissidia inter reges et regna, quae quibusdam non indoctis videntur esse praeparatoria regni mali. In fine autem hujus 42ae generationis contigit novitas electionis Coelestini Papae et successoris ejus et quorundam aliorum nunc ingravescentium, si vero inchoantur a septimo anno passionis Christi, in quo Petrus post cathedram Jerusalemiticam fertur secundam cathedram in gentibus et in urbe gentilium accepisse, sicut postmodum accepit tertiam Romae, sic in fine hujus decimi tertii centenarii incarnationis Christi terminabuntur quadraginta duae generationes seu 1240 anni, de quo numero non restant nunc nisi tres anni. [1])

49. Quidam ex pluribus, quae Joachim de Friderico II. et ejus semine scribit et ex quibusdam, quae b. Franciscus secrete fratri Leoni et quibusdam aliis sociis suis secrete revelasse fertur, opinantur, quod Fridericus praefatus cum suo semine sit respectu hujus temporis quasi caput oc-

---

[1]) Olivi bemerkt hier: wenn Joachim meint, die Verfolgung des Antichriſt werde ſich vollenden in den erſten vierzig Jahren dieſes Jahrhunderts, oder auch in den dreieinhalb Jahren des erſten Theiles desſelben, ſo darf es nicht Wunder nehmen, daß dem großen ihm verliehenen Lichte auch Finſterniß beigemiſcht war, da die nächtliche Finſterniß des fünften Zeitalters zu ſeiner Zeit hereinbrach. Von f. 150—157 in Cod. Flor. folgt eine Berechnung der altteſtamentlichen und älteſten chriſtlichen Zeit weiter bis 166. Nach Joachim u. A. iſt der Kopf des zweiten Thieres ein Pſeudoprophet, den der Herrſcher (der König des erſten Thieres) von dem ganzen Erdkreis wird anbeten machen, verblendet durch deſſen falſche Wunder und Philoſophie. F. 167: Die beiden Hörner bedeuten 1) die ſcheinbare Aehnlichkeit der doppelten Vollkommenheit Chriſti, der Wiſſenſchaft und Heiligkeit; 2) die ſcheinbare Beſtätigung aus der Kenntniß und Autorität der beiden Teſtamente, die de Christo und a Christo ſind; 3) die ſcheinbare Aehnlichkeit der doppelten Autorität und Macht Chriſti, nämlich der geiſtlichen, die das rechte Horn iſt, und der zeitlichen, die das linke iſt; 4) zwei Orden von Pſeudopropheten oder falſchen heuchleriſchen Propheten und Religioſen.

cisum, et quod tempore mystici Antichristi ita reviviscet in aliquo de semine ejus, ut non solum Romanum imperium sed etiam Francis ab ipso devictis obtineat regnum Francorum, quinque ceteris regibus Christianorum sibi cohaerentibus. Statuet in Pseudopapam quendam falsum religiosum qui contra regulam evangelicam excogitabit et faciet dispensationem dolosam, promovens in Episcopos professores regulae praefatae sibi consentientes, et exinde expellens Clericos et priores Episcopos, qui semini Friderici, specialiter illi imperatori et sibi et suo statui fuerant adversati, ac persequens omnes, qui regulam praedictam ad purum et plene voluerint observare et defensare. Praefatum autem cleri et regni Franciae casum et aliquem alium illi annexum velut (vel) primum dicunt designari per terrae motum in initio apertionis sexti sigilli factum, quamvis et praeter hoc designet spiritualem subversionem et excaecationem fere totius ecclesiae tunc fiendam. Quid autem horum erit vel non erit, dispositioni divinae censeo relinquendum; addunt etiam praedicti, quod tunc in parte implebitur illud apostoli II. Thess. 2. „nisi venerit discessio etc.;" (primum enim) dicunt, quod tunc fere omnes discedent ab obedientia veri Papae et sequentur illum pseudopapam, qui quidem erit pseudo, quia haeretico modo errabit contra veritatem evangelicae paupertatis et perfectionis, et quia forte ultra hoc non erit canonice electus, sed schismatice introductus.

50. Secundus autem angelus seu doctor praedicat amotionem praecipui (praedicti) impedimenti ad agendum praedicta seu expeditionem intrinseci et domestici obstaculi; praedicat enim casum Babylonis i. e. ecclesiae carnalis, dicens: cecidit Babylon. Illa magna ecclesia carnalis ideo vocatur Babylon hic et infra XVII. et XVIII. et tam ibi quam XIX. vocatur meretrix magna, tum quia ordo virtutum est in ipsa per deordinationem vitiorum enormiter confusus, Babylon enim confusio interpretatur, tum quia in malo non solum intensive, sed etiam extensive est magna, ita quod boni sic sunt in ea sicut pauca grana auri inter immensos acervos arenae et sicut pauca grana tritici sub immenso cumulo

palearum seu quisquiliarum vel scopiliarum; tum quia sicut filii Israel fuerunt in Babylone captivati et vehementer oppressi, ita ut David prophetice dicat: „super flumina Babylonis etc. — terra aliena," sic spiritus justorum hujus temporis supra modum angustatur et opprimitur a principatu et praedominio et innumerabili multitudine ecclesiae carnalis, cui oportet eos, velint nolint, servire; tum quia publice et impudentissime adulteratur a suo sponso Christo prout infra plenius tangetur, unde et hic subditur, quod de vino fornicationis suae potavit omnes gentes, sicut vinum carnaliter delectat et inebriat, et suo fervore et ebrietate ad iram effrenatam et furibundam provocat, sic carnalis ecclesia se et omnes gentes sibi subditas inebriavit et corrupit foedis carnalitatibus et simoniacis cupiditatibus et terrena gloria hujus mundi, et dum erat in paganismo, inebriavit omnes idolatria sua et tunc et nunc tamquam ebria exarsit in iram contra viros spirituales et contra vires et influxus spiritus sancti. Dicitur autem bis hic: „cecidit," tum ad majorem expressionem sui casus tum quia dupliciter cecidit, scilicet interius spiritualiter et exterius corporaliter, tum quia per temporale exterminium cecidit in mundo, deinde ad aeternum supplicium cecidit in inferno. Nota quod sicut ante ejus casum malitia et potestas ejus supra modum impedivit et angustavit spiritum electorum et conversionem totius orbis, sic ejus exterminium erit sanctis quasi exitus de carcere ad libertatis latitudinem et volatum, et quasi exitus de tenebrosissimo fumo fornacis ad lucem solarem et sicut exoneratio a lapide molari seu a monte immenso.

51. Tertius autem angelus sive Doctor comminatoria praedicatione incitat ad nullatenus adhaerendum bestiali sectae et vitae Antichristi et suorum; per suos autem intellige non solum reprobos sui temporis, sed generaliter omnis, prout ipsemet dicitur caput omnium reproborum; dicit ergo voce magna i. e. terribiliter et ardenter et audacter: „si quis adoraverit bestiam i. e. Antichristum et ejus bestialem sectam, sive imaginem ejus, sive in ejus honorem factam. Vel per bestiam intelligitur rex tunc monarcha,

et per imaginem pseudopapa, quem ille faciet adorare ut Deum, seu potius ut idolum simulac acceperit characterem. *Potest dici, quod hic principaliter designat evangelicum ordinem sanctorum Christo et evangelicae ejus vitae similium, et regiam seu pontificalem coronam, sicut enim completis quatuor decadibus generationum i. e. quadraginta generationibus ab Abraham supervenit messio per apostolos facta, sic nunc post quadraginta generationes ab illa messione, quae et fuit seminatio ecclesiae, sequetur messio populi Judaici et totius orbis per ordinem evangelicum fienda.*

52. (Ueber c. 16: „et quintus angelus effudit.") *Nota, quod sicut post quatuor animalia quatuor primos status sanctorum designantia sublimata est generalis sedes Romanae ecclesiae, ceteris patriarchalibus seu orientalibus ecclesiis a Christo et ab ejus vera fide rejectis, sic in eodem quinto tempore post quatuor bestias a Daniele visas quatuor primis sanctorum ordinibus contrarias sublimata est sedes bestiae i. e. bestialis catervae, ita ut numero et potestate praevaleat et fere absorbeat sedem Christi, cui localiter et nominaliter est commixta, unde et sic appellatur ecclesia fidelium sicut et illa, quae vere est per gratiam sedes et ecclesia Christi.*

53. *Super hujusmodi vero malitiam non cessant zelatores sancti hujus quinti temporis effundere phialam detestationis et celebris increpationis, ita quod regnum ejus velit nolit evidenter appareat omnibus et etiam ipsismet tenebrosum, foeda et enormi luxuria et avaritia et simonia et superbia et dolosa negotiatione et astutia et fere omnium malitia dissipatum et abominandum, unde et infra notatur Babylon meretrix habens in manu sua poculum abominationis.*

54. *Per hanc autem sedem bestiae principaliter designatur carnalis clerus in hoc quinto tempore regnans et toti ecclesiae praesidens, in quo quidem bestialis vita transcendenter praecellenter et singulariter regnat et sedet sicut in sua principali sede, et longe plus quam in laicis et plebibus sibi subjectis.*

55. Et quia secundum Joachim tales supra modum

ambient regnare super fratres suos instar diaboli, qui est rex super omnes filios superbiae, et quia quoad speciem habitus numerantur esse unius ordinis cum iis, qui effundunt super eos phialas irae, ideo magis indigne ferunt, quia quasi a coaequalibus vel etiam inferioribus increpantur, et ideo secundum eundem efficitur regnum ejus tenebrosum, tum quia ambitio coecat oculos eorum, tum quia odium, quod concipiunt contra eos, qui se increpant, aufert omnino lumen ab oculis eorum; quia etiam tales, quando a veris spiritualibus impediti obtinere non possunt, quod cupiunt, pro dolore cordis in detractionem eorum, qui se increpant, protinus erumpunt.

56. Nota quod quinque effusiones praedictae possunt per modum consimilem exponi et coaptari malis, qui erunt in tempore et circa tempora Antichristi tam mystici quam proprii, nam super synagogam terrestris ecclesiae et super mare infidelium et super haereticam doctrinam pseudoprophetarum et falsorum Doctorum et super hypocrisim pseudoreligiosorum et super superbam sedem et regnum bestialium sacerdotum et Episcoporum effundunt sancti phialas irae Dei.

57. Exponens illud: „sextus angelus“ dicit sic: *Quidam dicunt, quod per intestina proelia regum et regnorum ecclesiae Romanae siccabitur seu deficiet robur et multitudo suorum exercituum, et hoc erit praeambulum et praeparatio ad futuram destructionem carnalis ecclesiae et sui principatus et regni fiendam per decem reges et per regem undecimum eis praesidentem. —*

58. Potest etiam dici, quod tempore mystici Antichristi zelus sanctorum evangelicorum sic percutit excessivam opulentiam et fluctuosam superbiam et babylonicam scientiam et doctrinam carnalis ecclesiae, quod ex hoc contra sanctorum doctrinam et vitam et zelum acrius excaudescens quasi omnino siccabitur a spirituali sapientia et virtuali gratia et opulentia Christi.

59. Ex quo sequetur ulterius desicatio suae babylonicae scientiae juxta quod in Judaeis et Graecis a catholica ecclesia

recedentibus non solum exsiccata est virtus et sapientia Christi, sed etiam alia, ita ut pateant omni errori et subjectioni. Hoc igitur erit praeparatio ad facilius perducendum in carnalem ecclesiam errores Antichristi magni et orientalium regum.

60. De quorum adductione et per quorum suggestionem adducentur ostendit dicens: et vidi de ore draconem et de ore bestiam — ad diem magni Dei omnipotentis.

61. Per hos tres spiritus designantur suggestiones astutae et subtiles et quasi spirituales, puta quasi daemones per se et per ora malignorum hominum suggerentes et inducentes quasi quosdam homines astutos et dolosos Antichristi nuntios et ambasciatores et quasi coretarios ad congregandum omnes reges mundi, ut veniant in proelium contra Babylonem i. e. contra ecclesiam carnalem.

62. Dicuntur autem tres spiritus et a trino ore exire cum in mysterium trinitatis pessime sanctae trinitati personarum Dei et virtutum ejus oppositae, tum quia a duplici gente seu a duobus capitibus ejus, in quibus draco seu diabolus est principalis seu primus motor, mittentur, scilicet a gente pagana vel Sarracenica et a pseudopapa vel a pseudopropheta principe pseudoprophetarum; tum quia tres spiritus species nunciorum et suggestorum in hoc concurrent, milites seu militares, et hi exibunt seu mitteutur a bestia, et falsi magistri sive doctores vel praedicatores, et hi mittentur a pseudopropheta, inter hos autem erunt quidam pseudoreligiosi draconis fallacia et hypocrisi et fraudulentia magis pleni, et hi per quandam antonomasiam mitteatur a dracone.

63. Unde et quidam putant, quod tam Antichristus mysticus quam proprius et magnus erit pseudopapa, caput pseudoprophetarum, et quod per ejus et pseudoprophetarum suorum consilia et cooperationes acquireretur imperium illi regi, per quem statuetur in suo falso papatu, sed ille rex, qui statuit magnum eum, faciet ipsum ultra hoc adorari ut Deum.

64. Ecclesia carnalis, contra quam et super quam congregabuntur, erit tunc mons fumans et utrobique erit consurgens tentatio.

65. Secundum praeambulum destructionis ecclesiae est singularis immutatio totius saeculi et triformis divisio ecclesiae, unde subdit: „et ecce terrae motus — terram.“ Talis terrae motus sic magnus, prout spectat ad sextum tempus ecclesiae, est idem quam ille terrae motus, qui supra sub apertione sexti sigilli est tactus, prout vero spectat ad finem seculi, erit ille qui fiet circa extremum judicium; *prout tamen dicit praeambulum casus Babylonis sexto tempore fiendum, et est subversio et commotio sub mystico Antichristo fienda, per quam tota carnalis ecclesia terribiliter excaecabitur et commovebitur contra evangelicum spiritum Christi.*

66. Designatur etiam per hoc subsequens alia commotio adventus decem regum cum suis exercitibus super Babylonem i. e. super ecclesiam carnalem, et etiam commotio illius ecclesiae propter adventum illorum; in utraque autem harum commotionum erit maxima commotio electorum ad spiritum Christi.

67. *Ex his autem sequetur divisio, quae subditur: „et facta est civitas magna, quae habet regnum super reges terrae“; hoc ergo est ecclesia carnalis, quae in toto regno Romano seu Christianorum diffusa.* Trium autem partium erit ejus una electorum de solo Christo et ejus spiritu curantium, et ad omnem tribulationem patienter sustinendam praeparatorum, secunda erit carnalium Antichristo seu decem regibus rebellare conantium, tertia erit aliorum reproborum ad Antichristum consurgentium seu consurgere disponentium.

68. Potest etiam per hoc designari quaecunque intestina discordia et divisio tunc temporis futura in ipsa, nam et Zachar. XIII. dicitur evangelica religio consimiliter tunc temporis dividenda in tres partes, cum dicitur: „Et convertam manum meam, populus meus es;“ quamvis hoc in parte in primitiva ecclesia sub apostolis sit impletum.

69. Item fient in ea illae partes quae tanguntur in Ezechiel: „quia una pars fuit in obsidione consumta — captivata;“ fiet etiam tunc hoc, quod hic subditur: „et civitates gentium ceciderunt“, exercitibus enim Antichristi sive

orientalium regum multas urbes et terras gentium infidelium tunc temporis destruent et occupabunt, quod hic narratur ad insinuandum, quod exercitus illorum veniet cum potestate maxima et monarchica super ecclesiam.

70. Post dicta duo praeambula subditur judicium ecclesiae carnalis, cum dicitur: et Babylon magna venit in memoriam Dei. Babylon, ut superius dixi, vocatur meretrix magna, quia per enormem et effrenatam multitudinem vitiorum est in ea omnis status et ordo confusus.

71. *Et nota, quod haec mulier (Babylon meretrix) stat hic simul pro Romana gente et imperio cum prout fuit quondam in statu paganismi, quum prout postmodum fuit in fide Christi, multis tamen criminibus cum hoc mundo fornicata; vocatur meretrix magna, quia a fideli cultu et sincero amore et deliciis Christi sponsi sui recedens adhaesit huic seculo et divitiis et deliciis ejus et diabolo propter ista, et etiam regibus et magnatibus et praelatis et omnibus aliis amatoribus hujus seculi,* et etiam quia quondam per fornicationem idolatriae coluit falsos Deos quasi suos viros seu potius adulteros.

(C. Flor. f. 191.) Ebria sanguine sanctorum, quia de temporali gloria illorum meritis acquisita et data se inebriavit, et etiam quia per multa crimina sanguinem Christi et sanctorum contemsit et spiritualiter conculcavit. [1])

72. Hi decem reges unum consilium habent, i. e. concordi et unanimi consilio et consensu conveniunt insimul contra Christum et electos ejus et etiam contra meretricem i. e. contra ecclesiam a Christo meretricatam, ex quo patet, quod non successive unus post alium, imo simul regnabunt et concordabunt.

73. Nota, quod duplici ex causa prius locutus est de pugna, quam facient contra Christi electos, quam de pugna,

[1]) Myſtiſch werden alle dona intellectualia, die die fleiſchliche Kirche in ihrem Hochmuth mißbraucht, verſtanden unter dem goldenen Becher ꝛc.

„Trunken vom Blut der Heiligen" de occisione minorum secundum Rycardum et sanguine martyrum sive majorum. Hier wird erwähnt, was das Weib in ſeiner früheren heidniſchen Zeit gethan.

quam facient contra meretricem, quamvis vel utramque simul facient, vel istam primo dictam facient postremam. Prima causa est ad monstrandum, quod destructio meretricantis ecclesiae non erit in opprobrium Christi et suorum electorum, imo in gloriam ejus, quia ipse in suis electis triumphabit de illis, qui ipsam destruunt, et ideo primo voluit Christi triumphum, quam meretricis casum; secunda ad innuendum, quod principalis intentio illorum regum in hac pugna erit contra Christum et ejus fidem, non enim in destruendo meretricantem ecclesiam intendent vindicare Christum de illa, sed potius intendent fidem et cultum Christi delere de terra.

74. Subditur hic causa, quia de ira fornicationis ejus, i. e. secundum Richardum de ardore fornicationis ejus vel de fornicatione ejus, pro qua irascitur Deus, vel de deliciis fornicationis suae, pro quarum laesura vel impeditione irascitur, contra quoscunque impedientes vindex laesae concupiscentiae, bibernnt, i. e. voluptuose participaverunt omnes gentes, i. e. subditi et reges terrae, i. e. praelati et principes cum ea fornicati sunt, i. e. per simonias, carnales favores et glorias cum illa corrupte et impudenter conjuncti seu commixti et mercatores facti sunt, scilicet cum ea contractus simoniacos pro praebendis vel quibuscunque fecerunt, de virtute i. e. de forti ardore et sapore et grandi copia deliciarum ejus divites facti sunt, i. e. per varias et studiosas negotiationes se de illius gloria repleverunt non curantes de gloria Dei.

75. „Et audivi aliam vocem de coelo dicentem.“ Recte dicitur alia, quia prior fuit de damnatione reproborum, haec vero est de ammonitione electorum, ne communicent cum reprobis in culpa et tandem in poena, ait enim: exite de illa populo meus et ne participes sitis delictorum ejus et de plagis ejus ne accipiatis; idem dicitur — ubi Dei populo dicitur: „recedite de medio Babylonis et de terra Chaldaeorum — gregem,“ et subdit causam, quare cito capienda est et destruenda.

76. Et nota, quod hic principaliter loquitur de exitu ab

imitatione et participatione scelerum ejus, et etiam ab omni amicitia vel societate ipsius praebentis occasionem, plus autem praecipit hoc modo exire ab ea, quam a paganis, unde apostolus Cor. V. dicit: scripsi — mundi," nempe paganis tunc per totum mundum dispersis; alioquin debuerant de hoc mundo exisse, quia ipsi sunt replentes ubique totum mundum, et ideo subdit: „nec autem scripsi vobis — fratribus," i. e. Christianis qui sunt nominati i. e. famosi et per sententiam ecclesiae notati de vitiis, quae ibi subjungit. *Secundario autem potest loqui de corporali aut et locali recessu a terra ipsius pro illo tempore pro quo erit a decem regibus paganis obsidenda et destruenda, sicut etiam dicuntur Christiani per angelum moniti fuisse, ut exirent de Judaea et Jerusalem tempore obsidionis Romanae.*

77. *Si quaeratur, quomodo praecipit hic exire de Babylone, cum praemiserit mox (per mysterium) ipsam cecidisse et destructam esse, potest primo dici, quando ibi dicitur: cecidit Babylon," dixit hoc pro imminenti casu ejus ex quo reputabat illum quasi jam factum, sicut de aegro desperato et statim morituro dicimus: mortuus est. Secundo posset dici quod ibi locutus est de casu excaecationis ejus sub mystico Antichristo, quem sancti tunc temporis fortiter praedicabunt, dicentes, quod extunc non est ecclesia Christi sed Synagoga Satanae et habitatio daemonum.* Tertio potest dici, quod hic redit ad docendum electos pro his quae debent cavere ante casum et propter casum ejus. Quarto potest dici, quod electi semper debent recedere de prava mutatione malorum tam praeteritorum quam praesentium, semper enim usque ad finem seculi erunt in hoc mundo aliqui Babylonici i. e. reprobi, a quorum peccatis est recedendum. *Sequitur, quod in corde suo dicit superbiendo: sedeo regina, i. e. in magna praesidentia et gloria super regnum meum; domino et quiesco et vidua non sum, i. e. non sum destituta gloriosis episcopis et regibus.*

78. *(Post hoc audivi.) Descripta Babylonis damnatione subditur hic festivale gaudium sanctae ecclesiae, quod erit post damnationem Babylonis, sicut enim Vasthi regina a regno et conjugio regis Assueri abjecta, electa est Esther hu-*

milis et sancta ad ejusdem regis connubium et regnum, fecitque ex hoc rex magnificum convivium, sic rejecta synagoga electa est ecclesia plenitudinis gentium; sicque in sexto statu ecclesiae rejecta Babylone adultera oportet spiritualem ecclesiam exaltari ac celebre et spirituale convivium post ejus nuptias celebrari.

79. (Missi sunt hi duo.) Ex hoc quod dicit hi duo, patet, quod bestia et pseudopropheta designant personaliter duos viros, quorum unus est rex et caput bestiae i. e. bestialium nationum, aliud vero est pseudocaput prophetarum facientium signa, sed an iste sit pseudopapa et fingens se Deum et pseudopropheta praedicans papam ut Deum, non constat, quamvis a doctoribus credatur, quod hic secundus dicet se Deum.

80. Nos autem sumus in XX° centenario urbis Romae et in XIII° XXX. Christi designato secundum eum per quinque, verbum, quod in ultimo labiorum quasi aspirando profertur. Unde et secundum eum designat, quod in fine hujus centenarii carnalis ecclesia sive Babylon exspirabit, ut in sequenti centenario per X. literam, quae habet formam crucis et fuit per Caesarem Augustum circa Christi adventum inventa, renovetur et exaltetur crux Christi. Et post haec sequentur literae a Graecis ad Latinos deductae designantes dilatationem ecclesiae ad Graecos et ad omnes gentes. Haec breviter recitavi, nihil habens nihilominus hic certum, nec etiam rationem aliquam ad hoc vel ad oppositum nomine dignam, nisi quod scriptura nobis more suo utili designat a tempori sexti et septimi status extremum judicium imminere et quasi in januis esse, praedictam tamen horam mediam silentii sub septimi sigilli apertione fiendi adaptant ad numerum supradictum, dicunt enim quod a Christo usque ad crucifixionem ecclesiae fiendam sub Antichristo et in centenario designato per X sunt XIII centenarii ad minus, DCC autem anni vel DC dandi septimo statui sunt quasi medietates XIII centenariorum; dicunt etiam, quod per hoc non oportet sciri diem vel annum adventus Christi ad finale judicium, quia sub istis numeris generalibus non explicantur dierum vel

mensium vel annorum minutiae, quae quidem propter exigentiam variorum mysteriorum diversificantur et etiam ad claudendos praecisos et punctales terminos generalium numerorum.

81. (Cap. XXI. habebit murum.) Nota etiam, quod ad aedificandam urbem primo invenitur locus et fodiuntur fossata, secundo ponuntur fundamenta et aedificantur muri, tertio statuuntur portae et aedificatur domus; primum autem horum pertinet ad primum statum, qui fuit ante Christum humanatum, secundum ad secundum, tertium ad tertium. Primo enim electus est populus Israël ut fieret in eo praeparatio nobilis civitatis. Secundo in adventu Domini electi sunt duodecim Apostoli, ut essent in fundamentis civitatis, et post ipsos filii in fide de populo gentili ut transirent in muros civitatis. Cum autem venerit tempus conversionis Israël et iterum totius orbis, tunc statuentur XII. portae XII. apostolis similes per quas universus populus fidelis intret civitatem.

82. (Quae habet portas XII.) Sciendum igitur, quod licet per apostolos et alios sanctos secundi status ecclesiae intraverit multitudo populorum ad Christum tamquam per portas civitatis Dei, nihilominus magis appropriate competit hoc principalibus doctoribus tertii generalis status, per quos omnis Israël et iterum totus orbis intrabit ad Christum. Sicut enim apostolis magis competit esse cum Christo fundamenta totius ecclesiae et fidei christianae, sic istis plus competit esse portas apertas et apertores seu explicatores sapientiae christianae, nam sicut arbor dum est in sola radice, non potest sic tota omnibus explicari seu explicite monstrari, sicut quando est in ramis, floribus et fructibus consummata, sic arbor seu fabrica ecclesiae et divinae providentiae et sapientiae in ejus partibus diversimode refulgentis et participatae non sic potuit nec debuit ab initio explicari, sicut in sua consummatione poterit et debebit; et ideo sicut ab initio mundi usque ad Christum crevit successive illuminatio populi Dei et explicatio ordinis et processus veteris testamenti et providentiae Dei in fabricatione et gubernatione ipsius, sic est etiam de illuminationibus et de explicationibus christianae

sapientiae in statu novi testamenti. Quod autem per XII portas magis designentur illi, per quos XII tribus Israël intrabunt ad Christum, patet ex hoc, quod dicit, nomina XII tribuum Israël esse scripta in his portis sicut nomina duodecim apostolorum et agni agminum sunt scripta in fundamentis, unde bene dicuntur esse margaritae et ex margaritis, quia singulari cordis et operis mundicia et castimonia candescent tamquam ex rore coelico concepti et coagulati, margaritae enim dicuntur in conchilibus formari ex rore coelesti, et sicut margaritae sunt parvulae, sic ipsi erunt per evangelicam paupertatem et humilitatem parvuli.

83. Postquam autem dixit, quod materia muri erat ex jaspide, dicit, ipsa vero civitas s. quod erat aurum mundum simile vitro mundo, et infra, postquam egit de materia portarum, subdit et platea civitatis s. aurum mundum tamquam vitrum pellucidum et forte secundum literam postquam dixit de domibus ex quibus constabat civitas, ultima vero de toto fundo sive spatio intra muros contento, per utrumque autem designatur generalis ecclesia et specialiter contemplativorum, sicut per muros militia martyrum, et pugilum seu defensorum interioris ecclesiae, quae est per imitationem concordiae. Civitas enim et civium unitas et per fulgorem caritatis et sapientiae aurea et per puram confessionem veritatis peccata propria clare et humiliter confitentem et nihil falso simulantem est similis vitro mundo et per latitudinem caritatis et libertatem et comitatem evangelicae paupertatis est platea coelis patula, non tectis clausa nec domibus occupata, nec domorum distinctionibus divisa, nec isti vel illi instar domorum appropriata, sed omnibus communis et indivisa.

84. In prologo super lecturam apocalypseos dicitur sic: quum sint septem status ecclesiae in his visionibus descripti, sciendum, quod primus fundationis ecclesiae primitivae in judaismo sub apostolis fuit. Secundus fuit probationis et confirmationis ejusdem per martyria, quae potissime inflicta sunt a paganis in toto orbe; tertius fuit doctrinalis expositionis fidei rationabiliter confutantis et convincentis haereses insur-

gentes. Quartus fuit anachoreticae vitae mundum usque ad extremum solitudinis fugientis et carnem austeritate macerantis suoque exemplo totam ecclesiam instar solis et stellarum illuminantis. Quintus fuit vitae communis, partim zeli severi, partim condescensivi sub monachis et clericis temporales possessiones habentibus; sextus est renovationis evangelicae vitae et expugnationis antichristianae sectae et finalis conversationis cum finali conversione Judaeorum et gentium, seu iteratae reaedificationis ecclesiae similis primae; septimus vero prout spectat ad vitam istam, est quaedam quieta et mira participatio futurae gloriae ac si coelestis Jerusalem videatur descendisse in terram, prout tamen spectat ad aliam vitam, est status generalis resurrectionis et glorificationis sanctorum et consummationis omnium. Item cuilibet praedictorum statuum attribuit certa principia et certos fines.[1])

XLV.

Processo, sentenza et morte di Maestro Cecco Stabili da Ascoli seguita in Firenze il di 15 Aprile 1327. (Biblioth. Magliabech. cod. 459.)

Al nome di Dio. Amen.

Noi frate Accusio fiorentino dell' ordine de frati minori conventuali per autorità apostolica Inquisitore dell' Eresia nella provincia di Toscana facciamo palese a tutti li buoni christiani come esercitando l'offizio commessoci dello Inquisitore: precedente la fama publica o per dir meglio infamia sparsa da molte persone degne di fede ci venne all' orrecchio,

[1]) Primus status coepit a Spiritus sancti missione, licet alio modo coepit a Christi praedicatione. Secundus coepit a persecutione Neronica, alio modo von der Steinigung Stephani oder Christi Leiden. Der dritte von Constantius Bekehrung oder der Nicäner Synode. Der vierte von der Zeit des großen Anachoreten Antonius oder des Eremiten Paulus, oder nach Joachim von Justinians Zeit. Der fünfte von Karl M., der sechste einigermassen von dem heiligen Franziskus, vollständiger von der Verdammung der babyloniſchen Hure. Der siebente von der Tödtung des Antichriſt, der ſich Gott nennen wird, alio modo vom jüngſten Gericht. —

che Maestro Cecco figliuolo di Maestro Simone Stabili da Ascoli andava spargendo per la città di Firenze molte eresie con danno e pericolo non picciolo dell' anima sua e degli altri; e, quello che è cosa più brutta, dava a leggere per le scuole publiche un certo suo eretico e brutto libretto fatto da lui sopra la sfera celeste, e tutto operava persuadendo glielo il Diavolo per sua dannazione e contro al giuramento' altre volte da lui dato ritornando come il cane al vomito.

Adunque per ritrovar la verità per debito di nostro offizio, non potendo altrimenti fare salva la nostra coscienza, ci mettemmo ogni nostro tempo e fatica con fedeltà e avendo trovato tanto per detto libretto, il quale la divina bontà, per cui dispregio era composto, alle nostre mani condusse, quanto per testimonj degni di fede, le predette cose esser vere et esser piene di scandali, facemmo alla presenza nostra venire il detto Maestro Cecco e nell' esamine ricevendo primo il giuramento di dire la verità non solo di se, ma degli altri e colla riverenza e timore del detto giuramento senza altra strettezza e forza, ma di sua libera e spontanea volontà, costituito avanti noi et in giudizio disse e confessò:

Come essendo già stato citato e richiesto dal religioso reverendo frate Lamberto del Cingulo dell' ordine di predicatori, inquisitore dell' Eresia nella provincia di Lombardia, comparì avanti di quello e confessò in giudizio, siccome egli aveva detto et insegnato publicamente leggendo per le scuole, che l' uomo poteva nascere sotto tale costellazione, che necessariamente sarebbe o ricco o povero, o impiccato o mozzogli la testa, se Dio già non mutasse l' ordine di natura, nè altrimenti potrebbe essere parlando della potenza di Dio assoluta.

Ancora avea detto in una sua lezione, che dal dominio delle quarte dell' ottava sfera nascano uomini divini, che si chiamano Dii di Nabcoh o che mutano le leggi o più o manco, siccome fu Moisè, Merlino e Simon Mago.

Ancora disse aver insegnato, che per aver Christo nella sua natività il segno della libra et il decimo grado di quella

per Ascendente, la sua morte doveva esser giusta e mediante la predicazione, e che doveva morire di quella morte, ch' ei morì, e perche Christo aveva nell' angolo della terra il segno del capricorno, doveva nascere in una stalla, e perche aveva lo scorpione nella seconda casa, doveva essere povero, e perche aveva Mercurio nel segno di Gemini nella propria casa e nella nona parte del cielo, doveva avere una scienza profonda data sotto metafora. Avea detto che Anticristo doveva nascere d' una vergine e che verrebbe finiti gli anni due mile dalla natività di Christo.

Avea detto, che Anticristo doveva venire in forma di soldato valente et accompagnato da persone nobili. Ancora disse e confessò, come egli avanti il detto frate Lamberto Inquisitore di Lombardia aveva con giuramento promesso di lasciare ogni eresia e credenza et ogni favore degli Eretici e massime degli Astrologi, e promesse osservare la fede cattolica e ricevette la penitenza da detto Inquisitore e nel giuramento fatto per detto Maestro Cecco, la qual penitenza benchè non sene ricordi, disse averla interamente fatta.

Ancora disse che dopo il dato giuramento e fatta la penitenza e poichè venne in Firenze, gli fu dimandato, se per scienza d' Astrologia si poteva sapere, se la fortuna o disgrazia d' un esercito o d' un principe dipendesse dalla fortuna o disavventura d' un principe o capitano di detto esercito; alle quali cose prestando fede rispose, che si poteva sapere mediante l' influenza de' corpi superiori e per il giudizio del cielo e delle stelle, che l' infortunio o fortuna d' un esercito depende dalla fortuna o infortunio d' un capitano, e che siccome il capitano è fortunato o sfortunato cosi è fortunato o sfortunato l' esercito, che è sotto di lui, e questo l' ha provato e difeso e lo provarebbe e difenderebbe per veri argomenti e ragioni d' Astrologia.

Ancora disse, che tutte le predette cose si possono sapere per via della scienza dell' Astrologia siccome una cosa che è possibile, si può comprendere mediante una scienza. Ancora disse che del mese di Maggio prossimo passato un certo cittadino, del nome del quale non si

ricorda, gli domandò dell' arrivo del Bavaro, che veniva per l' imperio, se egli arriverebbe o nò, e rispose che è vero, che verrà, ma non con tanto onore e gloria, quanto desiderava, e soggiunse, che detto Bavaro morrebbe presto e domandatogli quando, rispose: quando detto Bavaro s' incoronerà, dicendogli il dì e l' ora della morte e la qualità di essa, e che questo si può sapere perchè nel ricevere del pericolo e d' un onore si grande i corpi celesti erano nella medesima disposizione, che al tempo della natività e concezione, e che il luogo ancora si poteva sapere secondo altri mezzi, ma in particolare per il luogo arenoso, acquoso, montano e piano.

Ancora disse aver consigliato i Signori, non esser bene per ora combattere con i nostri soldati contro detto Bavaro, e che se gli concedesse il passo e la licenza d' andare dove voleva insino a tanto che mediante i corpi superiori e le virtù celesti con vera scienza di Astrologia si potesse ripigliare il tempo e il giorno atto alla guerra e al combattere con lui, e disse credere che le predette cose si possano sapere per scienza d' Astrologia e che non crede esser questo contro la fede.

Ancora disse e confessò aver detto più volte da detto tempo in quà avanti a più persone di Firenze, come si può sapere per scienza d' Astrologia la vittoria d' una città sopra l' altra in questo modo, che si consideri il suo Ascendente o il segno quando fu gettata la prima pietra di detta città, e allora si vede il dominio dell' Ascendente o segno predetto, e se tal segno o Ascendente ha predominio sopra all' Ascendente o segno, quando fu gettato il primo sasso dell' altra città, allora quando il segno d' una città ha dominio sopra il segno d' un' altra, ne nasce la vittoria di quello, che ha il segno dominante, et a provare e a dichiarare questo disse e confessò aver detto: la città di Firenze esser fondata sotto il segno dell' Ariete, perche questo apparisce dalle donne di questa, le quali vanno colla testa acconcia di trecce e ricci a modo dell' Ariete, e la città di Lucca sotto il Granchio, aggiungendo che quando il segno

dell' Ariete avesse dominio sopra quel segno, sotto il quale è fondata Lucca, allora se i Fiorentini uscissero contro a Lucchesi, comincerebbero a predominargli e questo si saprebbe per vera scienza d' Astrologia.

Confessò aver detto più volte avanti di più persone da detto tempo in quà, che siccome dal getto del primo sasso dell' edificazione d' una città, cosi interviene nel gettare il seme nella matrice d' una donna, del qual tempo depende la potenza dello stato futuro del nato; cosi ancora ogni ordinazione o riuscita della guerra depende e l' esito fortunato o sfortunato della medesima guerra per la scienza di tal costellazione, e questo secondo Tolomeo.

Confessò che per via d' Astrologia si potrebbe sapere gli accidenti o contrarj o favorevoli, come per esempio: Viene uno a casa mia e dice: maestro, io vo alla corte per chiedere un beneficio e vorrei sapere, se debbo conseguire alcuna dignità o quello mi sia per succedere. Disse maestro Cecco, che si può rispondere in 4 modi come dimostra Ermete, che si possono sapere gli accidenti degli uomini, cioè per natura, mediante il principio della natività del primogenito e del questo molto tempo inanzi con effetto e sollicitudine pensato, perchè l' intelligenze, che muovono i cieli, hanno influsso sopra degli uomini inclinandogli a fare un quesito in modo che in tali quesiti gli uomini sono piuttosto spinti da altri che da loro medesimi; e che cosi pongono tutti li filosofi e astrologi antichi, asserendo ancora pigliare nelle predette cose la disposizione de' cieli e vedere la contrarietà de' corpi celesti e la convenienza d' essi corpi nell' ora della concezione o natività e cosi giudicare l' accidente buono o cattivo; e cosi avanti che venisse a Firenze e poichè fù in Firenze rispose a chi gli domandò consiglio e massime a nobili e religiosi e persone letterate, e questo secondo la vera scienza d' Astrologia e secondo che si contiene ne' libri degli antichi astrologi et filosofi che era apparecchiato a dire e fare questo a chi gli ne richiedesse e difenderlo da tutti.

Confessò aver osservato le costellazioni e corpi celesti

credendo che secondo il corso delle stelle si conoscano i costumi, azioni e accidenti degli uomini che nascono; e che ancora secondo quelle aveva giudicato nel comprare o vendere per augumentare il bene e sfuggire il male nel fare gli esercizj e altre cose umane.

Confessò che essendo stato domandato da un Fiorentino, rispose che credeva esser vere quelle cose, che si contengono nell' arte magica e negromanzia; e riplicando il fiorentino, che, se ciò fusse vero, i principi e uomini potenti del mondo acquisterebbero tutto il mondo, egli rispose e disse che non l' acquistavano, perche non sono nel mondo tre astrologi che sappiano servirsi bene di tal arte, e questo asserì averlo detto per se medesimo che aveva fatto più profitto nell' astrologia che alcun altro che sia stato mai nel mondo da Tolomeo in quà.

Confessò aver detto al medesimo fiorentino la regola ed il modo ed insegnatoli come per via d' astrologia si poteva sapere dell' adulterio che aveva commesso la donna con un uomo e disse cosi: se tu domandi alla donna peccante, poni quella nel luogo dell' Ascendente e l' uomo nel luogo della settima; e se domandi all' uomo, fa il contrario, cioè poni l' uomo nel luogo della settima e di poi guarda i pianeti se sono in un segno e si guardano di benigno aspetto significando incesto e congiunzione dell' uomo colla donna; e che domandato da detto fiorentino che gli dichiarasse il libro dell' Aliabizzo che tratta di segni e cognizione di segni della natività degli uomini e dell' eleggere i tempi del comprare e del vendere e degli altri atti e esercizj umani secondo l' arte astrologica, gli disse che aveva fatto un comento sopra detto libro che perciò procurasse d' averlo.

Confessò che venendolo a trovare qualcuno per domandargli qualche cosa, diceva che egli poteva sapere per via d' astrologia quel che pensasse quel tale che lo voleva domandare e di che cose volesse interrogare et ancora, se portava coperto in mano alcuna cosa sopra quello avesse in mano e ciò quanto alla naturale condizione non già quanto all' artificiale; verbi grazia se avesse avuto un fiorino d' oro,

dicera: tu ai dell' oro, benche non dicesse un fiorino, cosi ancora direbbe: tu ai del ferro, e non direbbe un coltello, e similmente se fusse bianco o nero, benche non sapesse, se fusse neve o carbone. Et in questo diceva che considerava la natura dell' Ascendente et de' Pianeti e secondo quella disposizione delle cognizioni e pensieri rispondeva. Ancora considerava qualunque pianeta e sopra a che cose avesse dominio, giudicava secondo quel dominio, e perche il sole ha dominio sopra l' oro, quando veniva alcuno che portava qualche cosa in mano dinotante il sole diceva: tu ai in mano dell' oro, e perche Marte è dominio e significa sopra il ferro, allora se veniva alcuno a trovarlo portando qualcosa in mano, diceva: ta ai del ferro. Similmente perche Mercurio ha significato e dominio sopra le cose miste, se Mercurio dominava, allora che a lui veniva alcuno portando qualche cosa in mano, diceva che era cosa molto sciocca, e questo quando colui è mosso la prima volta per voler sapere la verità e non viene con animo di tentare, e cosi d' ogni altra cosa simile. E disse saper questo ogni giorno e rispondere il certo e la verità a chi lo domandava; e che questo è la minima parte della scienza d' astrologia, soggiungendo e dichiarando, che saprebbe quei pensieri in confuso et in generale, onde se venisse alcuno coll' imaginazione perfetta, guarda il dominio delle stelle ascendenti nella quarta parte del cielo, che significa oro, campi, cose occulte et il fine delle cose e direbbe in confuso: tu pensi sopra alcun campo e sopra un tesoro ascoso o del fine d' alcuna cosa; e cosi in confuso risponderebbe sopra ad alcuna cosa pensata per via di scienza, e che questo è possibile, ma non per necessità, perche i pensieri dell' individuo et in particolare appartiene il saperlo solo a Dio e non a una creatura umana nè all' astrologo nè ad altri, e disse: che tali cose si possono sapere solo in confuso, perche tal pensiero corrisponde alla costellazione delle stelle in quel punto quando si comincia a pensare.

Disse aver composto un libro sopra alla sfera del mondo che comincia: Gloria est mortem vivere in mente humanorum,

e finisce: scriptum supra sphera mundi secundum magistrum Ciccum de Ascoli dum juvenis erat, electum per universitatem Bononiae ad legendum. Asserendo essere stato egli autore di detto libro e disse d' essere stato corretto da frate Lamberto Inquisitore predetto.

Confessò che dopo che egli giurò di non peccare più nell' eresia e fece la penitenza, poiche fù in Firenze, un fiorentino lo venne a trovare e l' interrogò d' alcune cose, alle quali rispose positivamente e con asserzione di verità secondo la scienza d' astrologia, sicche trasgredì al preso giuramento fatto d' avanti all' inquisizione di Lombardia et ha di poi avanti a noi confessato, che le predette cose e quelle che si contengono in detto libro non viste per detto Inquisitore sono con mancamento orribile e sciocche e contrarie alla natura e nemiche alla verità cattolica. Che cosa dunque è più orribile ed eretica e più a Dio e agli uomini infetta, che dire o insegnare di quel singolare pastore e Dio che pose l' anima sua per le sue pecorelle e per sua liberalità divina ci lavò da' peccati nostri nel sangue di Gèsu Cristo nostro signore, per il quale sono state fatte tutte le cose e senza lui non è stata fatta cosa alcuna, fosse soggetto alle costellazioni de' cieli? E non è un' eresia la più detestabile il dire che la divina sapienza sopportò la sua passione e morte per necessità de' corpi superiori e virtù delle costellazioni celesti, e che costringendola la necessità loro bisognò che fusse povero? Che maggiore ignoranza che dire, Anticristo avere a nascere d' una virgine e finiti gli anni 2000 della natività de Cristo abbia da venire nel mondo in forma di soldato valente accompagnato da nobili e non come poltrone accompagnato da poltroni? Qual maggiore eretica falsità è che il porre il tempo, l' ora, il luogo e la qualità della morte, le quali cose sono al tutto incognite al genere umano, et ancora gli accidenti degli uomini buoni o cattivi, prosperi o avversi nel fare gli esercizj, quanto nel fare l' elezzione del tempo della guerra e nell' ottenere le vittorie et in qualunque altre azioni umane giudicare secondo la disposizione et operazione de' corpi celesti e superiori,

per lo che si tolga al tutto il libero arbitrio e per conseguenza il merito o demerito sia tolto via, come dice il detto maestro Cecco. De' quali errori poiche con giuramento renunziò all' eresia e promesse di fare bene, scordevole del beneficio riccvuto dalla chiesa prodigo di se medesimo e disavveduto della sua morte, con grande offesa di Dio e pericolo della anima sua diceva, giudicava e instruiva e voleva essere inteso expressamente; e benchè egli al presente preponesse la divina potenza e il libero arbitrio, nondimeno è stato convinto per testimonj che hanno contro di lui deposto. E dato che avesse supposto, che gli uomini per disposizione de' corpi celesti avessero ad essere o ricchi o poveri, o impiccati o decapitati, e se siano tirati più dall' influenze celesti che da loro medesimi, e che gli accidenti degli uomini tanto della vita che della morte si potessin sapere et ancora quello che è proprio di Dio sapere si potesse et i segreti pensieri degli uomini, che si potrebbe dire quando s' avesse a operare con tale supposizione e che cose si potrebbe fare col libero arbitrio? Resta adunque più chiaro che la luce del sole secondo la fallace pazzia di quest' uomo, tutte queste cose procedere per natural corso et altrimenti non potere essere, se già Dio per assoluta potenza non mutasse l' ordine della natura. E questa è quella potenza di Dio assoluta, che dice stare di sopra, la quale supposizione non scusa in alcun parte gli errori predetti, nè vengono scusati tali errori per dire che queste cose non procedono di necessità, dicendo la scienza dimostra quello che tu pensi, quello che tu porti chiuso in mano, nero o bianco, oro or argento e cosi l' altre cose sopradette, nelle quali in fatto suppone e colle parole nega. Ne debbe essere costui scusato dicendo che crede, non essere contro la fede, che per scienza d' astrologia si possa pigliare il tempo ed il giorno ad elegger la guerra, perche sarebbe un' ignoranza molto sciocca e grossa, anzi un' opinione eretica e pazza, siccome si può pienamente provare per più vere ragioni di Teologia.

Il dice ancora, i suoi scritti essere stati corretti per

il detto Inquisitore di Bologna, questo non è vero nè verisimile, anzi è contrario, come apparisce per le proprie lettere dell' istesso Inquisitore; e posto che fussero corretti, egli gli ha mostro, come di sopra ha detto e se n'è egli servito ne' casi dove sono i maggiori errori. Ne lo debbe scusare che nella fine di detti scritti apparisca esser detto che, se in quelli fussero alcune cose non bene dette, se ne rimette alla correzione della s. Madre Chiesa, perche in quelli si sono trovate espresse eresie scritte, poiche ha giurato e basta che una sola volta abbia ingannato la chiesa; e perche questa protestazione è direttamente contraria al fatto stesso, però non rileva, ma l' aggrava maggiormente.

Per tanto noi Inquisitore predetto volendo siccome non possiamo nè dobbiamo passare alla chiesa tali e tante cose fatte per detto maestro degli errori in dispregio dell' eterna maestà e lesione della fede cristiana; vista e considerata diligentemente la sentenza data per detto frate Lamberto, inquisitore di Bologna contro M. Cecco et il giuramento che fece e la penitenza che riceve, della quale non si curando disse non si ricordare essendo molto notabile et pur cosa che toccava a lui proprio; e viste l' altre cose che dal medesimo Inquisitore avramo ricevute, e visti li testimonj e loro detto deposto avanti di noi contro detto Maestro, e le confessioni che ha fatto et ancora datogli il termine per finirle.

Poiche gli sono state fate note tutte le cose che contro di lui s' opponsono e dato il termine del defendersi e mostrar quello che gli pareva e voleva e poteva per scusarsi; infra il qual termine e di poi non fece alcuna scusa ne fare procurò da se nè per mezzo d' altri et essendo stato più tempo benignamente aspettato; anzi nel giorno che seguiva detto termine in presenza del venerabile padre Monsignore Ugolino vescovo di Città di Castello Cancelliere del Ven. Padre Mons. Giovanni Diacono Cardinale e legato con autorità apostolica nella parte di Toscana et in questa parte Luogotenente del legato predetto e di M. Buoso eletto Aretino e diM. Filippo Cancelliere di detto legato e di più

altre persone quivi esistenti avendo letto al detto Maestro degli errori le confessioni e giuramenti predetti, quelle raffermò di sua spontanea volontà e di nuovo disse esser vero tutto; e visto ancora tutti gli atti fatti in detta causa ed il processo e il detto de' testimonj esaminati con debito modo nel processo e la loro publicazione; e dichiarati e dimostrati al religioso uomo M. Conte d' Eugubio rettore della chiesa di s. Stephano Generale vicario del venerabile P. Mons. Francesco per la grazia di Dio vescovo Fiorentino assente, e più altre persone e dottori di legge chiamati da noi; e consigliandoci doversi procedere alla sentenza contro al Maestro degli errori come cascato nella pena dell' inosservanza del giuramento dato di non attendere più all' eresia, ed avuto ancora sopra le predette cose parlamento con più e diverse persone religiose e teologi e con altri tanto clerici che laici e periti in legge et avuta con noi medesimi deliberazione e considerazione matura etc.

Invocata la grazia dello spirito santo sedendo al tribunale seguitando la forma et ordine de predetti consigli e di consenso di rev. uomo M. Eurizio di s. Lupidio, Vicario del ven. P. Mons. Vescovo di Firenze et in questa parte vicelegato ci ha concesso in questo la plenaria autorità:

Pronunciamo in questi scritti il detto M. Cecco Eretico constituto in nostra presenza esser cascato nell' eresia, nella quale con giuramento aveva già promesso di non cascare; e pertanto doversi dare e concedere al giudizio secolare e così lo concediamo al nobile soldato M. Jacopo da Brescia, con onor ducale Vicario fiorentino presente et accettante detto M. Cecco per punirlo colla debita pena et anco il libro o libretto superstitioso, sciocco e negromantico sopradetto da esso Maestro composto sopra la sfera, pieno d' eresia e inganni; ed un altro libro in volgare nominato l' acerba vita, dal qual nome ne segue che non contiene in se maturità alcuna o dolcezza cattolica; ma vi abbiamo trovato molte acerbità eretiche presupponendo che molte cose che appartengano alla virtù et a costumi nascano dalle stelle et a quelle ritornino come a loro cause; e riprovando tutti

i suoi ammaestramenti senza dottrina composti e donandogli; doversi finalmente abbrucciare detto Maestro Cecco; e cosi ordiniamo e comandiamo; e similmente desiderando troncare vene si pestifere dell' eretico fonte, avvertiamo qualunque persona di qualunque stato e grado si sia, chi abbia o sappia o per l' avvenire avrà o saprà chi avesse i detti libri o alcuno di quelli o altra scrittura o libro astrologico fatto da detto M. Cecco e sotto la pena della scomunica et altri pregiudizj tanto per sentenza spirituale quanto imperiale e temporale ordinate contro gli eretici, nelle quali vogliamo che incorra chi contrafarà e che da ora per allora pronunziamo sentenza contro di loro essere incorsi in tal pene ipso facto; comandiamo qualmente infra 10 giorni del di che sarà publicata tal sentenza producano e con effetto realmente rivelino e si ingegnino di rivelare a detto M. Vescovo o all' Inquisitore del luogo i predetti libri, libretti o scritture; e che per nessun tempo ritengano, leggano o studino nelle scuole o altrove direttamente o indirettamente si servano o alleghino detti libri o dottrina di tali scritti o libri anzi sciocchezj ovvero difendano o scusino in alcun modo con parole o con fatti detti libri et il loro autore dannato. Et ancora dichiariamo tutti li beni mobili, ragioni et azioni che appartenessino a detto M. Cecco dal dì del commesso peccato posti in qualunque luogo e sotto qualunque confino e vocabolo esser confiscati e quegli doversi pigliare et occupare e potersi e doversi dividere e distribuire secondo le sagre canoniche costituzioni.

La sopradetta sentenza e relazione fu data e fatta per il detto Inquisitore sedendo per tribunale nel coro della chiesa de' frati minori di Firenze presente M. Jacopo Vicario e i suoi assessori, soldati e famiglia riceventi il prefato M. Cecco alla presenza del popolo quivi ragunato nell' anno dell' incarnazione del nostro Signore 1327 ind. X di 15. Sept. presente detto M. Cecco rilasciato come sopra e presenti per testimonj frate Bernardo Riccio compagno dell' Inquisitore, frate Antonio del Grave, Ser Lotto da s. Mar. Nov. Borghino di M. Chiarito da Prato, Bianco di Puccio, Giov.

di Serafino, Neri di Giannino e Manovello di Jacopo, familiari e servitori dell' offizio dell' inquisizione e molt' altre persone.

Nello stesso giorno detto Signore Vicario senza alcuna dilazione mandò col suo bargello e famiglia il detto M. Cecco al luogo della giustizia e lo fece quivi abbruciare davanti a molto popolo ragunato in tal luogo, siccome meritavano i suoi peccati o per terrore ed esempio di tutti gli altri, siccome Ser Vanni dal Borgo, Borghino di M. Chiarito da Prato, Manovello di Jacopo e Giov. di Serafino familiari e servidori dell' offizio andando a tal luogo riferirono tutto aver visto co' loro occhi.

Si trovano in altro autore le seguenti parole:

Cecco d' Ascoli del quale apparisce un libro volgarmente scritto, aveva inteso dal demonio dover lui morire di morte accidentale infra l' Affrica e campo di fiori; perloche cercando di conservare la reputazione sua ordinò di non andar mai nelle parti d' Affrica; e credendo tal fallacia e di potere sbeffare la gente pubblicamente in Italia esecutava l' arte della negromanzia, et essendo per questo preso in Firenze e per la sua confessione essendo già giudicato al fuoco e legato al palo nè vedendo alcun segno della sua liberazione avendo prima fatto i soliti scongiuri domandò alle persone che erano all' intorno, se quivi vicino era alcun luogo che si chiamasse Affrica et essendogli risposto di si, cioè un fiumicello che correva ivi presso, il quale discende da Fiesole ed è chiamato Affrica, considerando che il demonio per lo campo de' fiori aveva inteso Fiorenza e per l' Affrica quel fiumicello, ostinato nella sua perfidia disse al manigoldo che quanto prima attaccasse il fuoco. Fu arso il detto M. Cecco e si disse esserne in gran parte cagione, l' aver egli detto che Madonna Giovanna figliuola del duca di Calabria era nata in punto di dover essere in lussuria disordinata; di che il duce prese sdegno che per altro non avrebbe voluto che fosse morto un tant' uomo. La chiesa pero che non opera alla cieca, dispose giustissimamente.

XLVI.

Formules des lettres et sentences et autres actes de l'inquisition. Extraits d'un livre de l'inquisition de Carcassonne. (Mſcr. der Pariſer k. Bibliothek.)

Forma sententiae haeretici obstinati: — Ecclesia Romana est mater fornicationum et Babylon ebria sanguine sanctorum, basilica diaboli et Sathanae synagoga. Omnia sacramenta falsa, inania et vana. — Christum non vere, sed solum in similitudine passum fuisse et surrexisse et alia nostrae salutis opera peregisse nec cum ea ad Patris dextram ascendisse. — Suam et suorum ecclesiam, quam dicunt esse veram poenitentiam, confingunt esse Mariam Virginem. Resurrectionem corporum negant confingentes quaedam spiritualia corpora et quendam interiorem hominem, in quibus et qualibus corporibus se et suos resurrecturos asserunt.

In der Formel der Sentenz gegen Einen, der ſich in die Endura geſetzt hatte, heißt es: quinimo ad cumulum suae damnationis tanquam perditionis filius mortem corporalem sibi accelerans et properans ad aeternam ab eo tempore quo captus extitit, noluit quidquam comedere nec bibere nisi aquam frigidam tanquam sui spiritus proprius homicida; idcirco etc.

Sentenz gegen einen Waldenſer: Sectam Valdensem tenere et servare coepit participando et communicando cum Valdensibus professoribus dictae sectae, sciens ipsos esse tales, comedendo et bibendo ac secundum ritum eorum cum eisdem orando flexis genibus inclinatus, verba et praedicationem eorum quam suis credentibus faciunt in suis conventiculis audiendo, et in domo propria receptando, nec non peccata sua eis aliquoties vel pluries confitendo et absolutionem ac poenitentiam, quam melioramentum de peccatis vocant, recipiendo simpliciter ab eisdem; fuitque postmodum consequenter receptus secundum modum et ritum ipsorum ad sectam et ordinem illum, quem dicunt professionem et observantiam evangelicae et apostolicae paupertatis. — Jurare esse omnino illicitum pro quacunque causa sive in judicio sive extra ju-

dicium. Tenent se et suos complices non esse subjectos Papae nec aliis Praelatis Romanae Ecclesiae, quia eos ipsa Romana Ecclesia ut dicunt injuste persequitur et condemnat. Item asseverant, se non posse excommunicari ab eisdem Romano Pontifice et Praelatis nec esse obediendum alicui ex eisdem praecipiendo sectatoribus et professoribus dictae sectae quod ipsam deserant et abjurent. — Dicunt se tenere verba sancti Evangelii et S. Jacobi apostoli de non jurando. — Dogmatizant omne judicium esse a Deo prohibitum et per consequens esse peccatum et contra Dei prohibitionem existere, quod judex aliquis in quocunque casu vel in quacunque causa hominem judicet ad supplicium corporis aut poenam sanguinis sive ad mortem, verba evangelii: nolite judicare etc. sine expositione debita ad hoc applicantes. — Tenent et docent se habere potestatem a Deo sicut sancti apostoli habuerunt audiendi confessiones peccatorum sibi volentium confiteri et absolvendi et poenitentiam injungendi. — Indulgentias irridendo asserunt non valere. — Negant esse post hanc vitam purgatorium et consequenter orationes et elemosynas ac missarum celebrationes et alia suffragia pietatis quae fiunt a fidelibus pro defunctis asserunt non prodesse. — Item asserunt praelatos et clericos Romanae ecclesiae esse coecos et duces coecorum et non servare evangelii veritatem nec sequi evangelicam et apostolicam paupertatem ipsamque Romanam ecclesiam esse domum mendacii. Item se vitae et perfectioni apostolicae comparantes et meritis coaequantes in se ipsis inaniter gloriantur jactantes se tenere et servare vitam Christi et apostolicam et evangelicam paupertatem.

Incidenter autem sectae Valdensium tres ordines in isto loco extra formam sententiae describuntur hoc modo:

Item dicta secta tres ordines esse in sua ecclesia confitetur, videlicet diaconum, presbyterum et episcopum. Episcopus autem eorum major omnium appellatur et ab omnibus presbyteris et diaconis eligitur in majorem et facta electione concordi et oratione communi et peccatorum confessione privata ac deinde publica non quidem in specie, sed

in genere peccatorum, demum si aliquis major inter eos fuerit praesens, alioquin presbyter aliquis ex eisdem orando et dicendo, Pater noster etc. imponit manum super caput electi ut accipiat spiritum sanctum, et post eum omnes alii tam presbyteri quam diaconi imponunt super caput ejus manus suas per ordinem singillatim et sic sine aliqua alia forma verborum et absque traditione cujuscunque rei et sine venditione(?) quacunque et sine insigniis pontificalibus per solam orationem et manuum impositionem apud eos episcopus ordinatur, ad cujus potestatem pertinere dicunt sacramenta poenitentiae et ordinis et eucharistiae ministrare nec non evangelium ubicunque voluerit praedicare et potestatem praedicandi evangelium et confessiones audiendi presbyteris dare. Item dictus major potest absolvere quemcunque sibi confitentem a peccatis sibi confessis qualiacunque sint peccata. Item potest remittere totam poenam debitam peccatis vel partem, licet communiter hoc non fiat; quando autem absolvit a peccatis dicit ita: „Deus te absolvat ab omnibus peccatis tuis et ego injungo tibi contritionem de peccatis tuis usque ad mortem et talem poenitentiam faciendam, puta orationes vel jejunia vel utraque. — Presbyter autem apud eos taliter ordinatur: postquam enim electus fuerit in presbyterum, praemissa oratione et peccatorum confessione major ipsorum imponit manus super caput presbyteri ordinandi et post eum presbyteri ibi praesentes, ut accipiat Spiritum sanctum; in impositione vero manuum a majori confertur ordo. Ad potestatem autem presbyteri taliter ordinati pertinet confessiones peccatorum audire, non tamen potest poenas peccatorum (remittere); potest tamen ordinare majorem seu majoralem ipsorum in eo casu, in quo omnes alii essent mortui, quia dicunt, quod per hoc, quia diaconi et presbyteri sunt in statu eorum, in quo omnia propter Christum reliquerunt, sunt ordines et gradus apostolorum.

Diaconus vero taliter ordinatur: facta electione et ordinatione ut supra et confessione peccatorum solus major dicendo „Pater noster“ imponit manus super caput diaconi ordinandi, ut accipiat spiritum sanctum et nihil aliud fit circa eum et

est taliter ordinatus. Diaconus efficitur de eorum statu cum voto, quod facit, paupertatis, castitatis et obedientiae, nec ante receptionem dicti ordinis aliquis est perfectus in eorum statu, sed alii, qui non ordinantur, vocantur credentes et amici eorum, a quibus etiam recipiunt sustentationem; ad diaconum autem pertinet ministrare tam majori quam presbyteris necessaria corporis; non tamen habet potestatem audiendi confessiones. Item sine alia forma verborum cum sola oratione sicut dictum est, et sine collatione sive traditione alicujus rei corporalis per solam manus impositionem apud eos tam episcopi quam presbyteri et diaconi ordinantur indifferenter tam laici et idiotae, quam etiam litterati, dummodo prius probati fuerint in dicta secta et electi postmodum, sicut superius est expressum.

Forma sententiae haeretici de secta quorundam, qui se dicunt Beguinos sive paupéres Christi sive de quodam tertio ordine separantes se a communitate aliorum et potestatem Papae et ecclesiae enervantes. Dicit se credere, quod non est obediendum alicui Praelato praecipienti quibusdam professoribus regulae S. Francisci quod deponant quosdam habitus curtos et strictos difformes ab habitibus communicatis aliorum dictae regulae professorum, quos per se ipsos assumserunt; item quod nullus mortalium potest eos cogere ad ipsos habitus dimittendos, ex eo quod illud, quod est contra observantiam regulae S. Francisci et ejus intelligentiam, est per consequens contra evangelium et contra fidem et etiam e converso, alias (quia?) dicta regula esset penitus idem, quod regula evangelica et impugnare tales habitus et cogere portantes eos ad deponendum est contra veritatem dictae regulae et per consequens contra evangelium et fidem et est verbo et facto Christi evangelium et ejus regulam impugnare, et quod ex hoc sequeretur destructio vitae Christi. Item quod illi, qui procedunt contra fratres portantes habitus curtos et strictos sunt in errore contra veritatem evangelicae regulae et per consequens contra veritatem evangelii et fidei. Item quod Dominus Papa non habuit nec habet potestatem faciendi quandam constitutionem, quam fecit de

consilio cardinalium, in quo praelatorum dicti ordinis judicio commissum est determinare et arbitrari, cujus longitudinis et latitudinis formae sive figurae et similium accidentium esse habitus professorum dictae regulae et cujus quantaeque vilitatis vestimentis indui oporteat ipsos fratres et insuper determinare et arbitrari, quo casu qualiter, ubi et quando et quoties gratiam, panem et vinum pro vitae fratrum necessariis fratres ipsi quaerere debent conservare sive reponere. Item asserit, quod nec Papae nec praelatis ordinis obediendum est in his, quae in praefata constitutione continentur, ex eo quod in eadem constitutione contenta sunt contra consilium Christi et contra dictam regulam, contra quae Papa facere non potest. Item quod nullus Papa potest tollere ordinem fratrum Minorum nec in alium commutare; item quod tertium ordinem beati Francisci Papa non potest tollere nec mutare; item quod non potest facere quod fratres minores, qui volunt tenere regulam beati Francisci, se debeant conformare communitati ordinis in granariis sive cellariis habendis, in habitibus laneis et superfluis portandis. Item quod constitutio Papae Joannis XXII de supradictis nec rite nec juste facta fuit; item quod illi fratres minores, qui propter hujusmodi inobedientiam et rebellionem fuerunt per inquisitores apud Massiliam judicati et relicti brachio saeculari, fuerunt injuste et contra Deum et veritatem puniti et quod propter hoc fuerunt veri martyres effecti. Item asserit se credere doctrinam fratris Petri Joannis de ordine fratrum minorum esse necessariam ecclesiae et nullum continere errorem, et quod illi qui impugnant eam, impugnant doctrinam Domini Jesu Christi et sunt haeretici. Item asserit quod condemnare doctrinam praedicti fratris Petri Joannis, quem dicit esse et nominat sanctum patrem, non est aliud nisi condemnare vitam Christi et apostolorum ejus et sacram scripturam et exempla Christi et sanctorum ejus et decreta sanctorum patrum. Item dicit et asserit, Dominum Jesum Christum in cruce fuisse vivum et nondum in cruce mortuum lanceatum.

Zu der Sentenz der Inquisition heißt es: Non attendentes

insensati, quod si regula beati Francisci Christi evangelium est, aut quinque evangelia ponuntur aut abrogatis quatuor prioribus novum unum et solum Evangelium praedicatur.

Forma sententiae immurationis cum signo hostiae rotundae contra personam, quae de et cum corpore Christi sortilegium aut maleficium aliquod perpetravit. — Forma sententiae contra domum, in qua aliquis fuit haereticatus sciente domino domus; (mit Berufung auf eine lex imperialis Paduae promulgata et a sede apostolica confirmata. Das Haus ſoll niedergeriſſen und die Materie desſelben verbrannt werden; auch darf an derſelben Stelle kein neues gebaut werden).

In der Sentenz, welche gegen die Urheber eines Aufſtandes gegen die Inquiſition zu Carcaſſone gefällt wurde, heißt es: die hospitia der Inquiſitoren ſeien zerſtört, die Gefängniſſe erbrochen, die Eingeſchloſſenen herausgezogen worden: ex praedictis autem impedimentis praestitis inquisitoribus et officio ipsorum secuta sunt multa mala in illa civitate et in partibus circumvicinis in tantum quod inquisitores non poterant libere exequi officium inquisitionis in illis partibus de multis annis, ob quam causam convenerunt multi haeretici perfecti de partibus Lombardiae et Siciliae ad praedictas partes et infecerunt multos.

Forma citandi illum, qui cruces deposuit nomine poenitentiae sibi impositas et aufugit. — Forma denuntiandi excommunicatum esse fugitivum de muro nec non citandi ipsum ut peremtori compareat. — Forma ad convocandum peritos ad concilium pro agentibus in remotis: Fr. viro venerabili, provido et discreto: Cum tali die in tali loco tractare vobiscum et cum aliis sapientibus et peritis tam pro poenitentiis pro commissis in causa haeresis injungendi quam de aliis quibusdam ad commissum nobis inquisitionis negotium spiritibus intendamus, rogamus vos et requirimus, quatenus ad praedictam diem et locum veniatis una cum aliis — super praemissis consilium impensurus juxta gratiam et sapientiam a Deo vobis datam.

Forma litterae testimonialis de amotione sive depositione crucum facta publice in sermone — de eductione

muri. — Forma imponendi poenitentiam minorem alicui juveni extra sermonem supra his quae commisit in haeresi in juvenili aetate. — Forma litterae commutandi aliquam poenitentiam in ingressum religionis ex aliqua pia causa.

Forma litterae relaxandi de muro reum simpliciter, vel ad tempus ex aliqua causa speciali. — Forma commutandi peregrinationes in alia opera pietatis.

Forma scribendi ad applicandam materiam alicujus domus piis usibus, quae propter haeresin fuit destruenda. Forma scribendi contra molestantes eos, quibus cruces ad portandum nomine poenitentiae sunt injunctae: Cum sancta Mater Ecclesia nulli claudat gremium redeunti, imo gaudens suscipit, fovet et protegit poenitentes — idcirco — sub poena excommunicationis praecipimus, ne tales de tali loco extrudantur, quibus tanquam poenitentibus cruces sunt impositae ad portandum et peregrinationes injunctae — nec aliquis audeat irridere nec a locis propriis sive omnibus commereiis excludere vel quoquo modo alias molestare, ne ex hoc retardetur conversio peccatorum et ne conversi propter scandalum abjecta poenitentia relabantur, imo libere permittantur tam in locis unde traxerant originem, quam alibi, ubi commodius poterint habitare suamque agere poenitentiam sine molestia et in pace; alias enim contra molestantes, prout justum fuit, per censuram ecclesiae procedamus.

Agenda in generali sermone inquisitoris in partibus Tolosanis et Carcassonensibus: I. Sermo brevis; quo facto pronuncietur indulgentia consueta. II. Juramentum officialium curiae regalis et consulum et aliorum praesentium jurisdictionem habentium temporalem. III. Ablegung der Kreuze derjenigen Personen, denen dieses gestattet wurde. IV. Entlassung derjenigen aus dem Gefängnisse, bei denen dieses rathsam befunden wurde, mit Auflegung der Kreuze und Wallfahrten. V. Ablesung der Vergehen derer, die zur Buße angewiesen oder verurtheilt waren: solche, die als falsche Zeugen waren befunden worden, zur Buße oder zur immuratio verurtheilt; Geistliche wurden vor ihrer immuratio degradirt. Es folgen die relapsi in heresin

in judicio abjuratam saeculari brachio relinquendi; dann die haeretici perfecti, qui converti nolunt; endlich die, welche zuerſt die Häreſie gerichtlich eingeſtanden, dann widerrufen hatten.

XLVII.

De haereticis diffidandis et banniendis. (Archivio delle Reformagioni, Firenze.)

Rubrica XL.

Omnes haereticos cujuscunque haeresis diffidare et exbannire debeant rectores civitatis Florentiae publice in consilio, quando de exercendo officium suum praestiterint juramentum. Et idem fiat in prima et secunda dominica de Adventu, quando dominus episcopus civitatis florentiae requisiverit eosdem in canonicam ecclesiae sanctae Reparatae intra missarum solemnia. Et etiam semper prius et postea teneantur ipsos nihilominus exbannitos habere, donec ad mandata ecclesiae redierint. Et si dictus episcopus aliquem de haeresi suspectum rectoribus denunciaverit vel denunciari fecerit haereticum, ipsi rectores cum capi facere teneantur et captum infra octo dies postquam esset ab ipso episcopo condemnatus puniri, nisi rediret, et redire voluerit ad mandatum ecclesiae. Et quod domus haereticorum, in qua haeretici aliquo modo vel ausu temerario stare, vel sese congregare praesumpserint, nullo reficiendi tempore funditus destruatur. Hoc idem de domibus illorum, qui manus impositionem receperint ab haereticis observetur. Et quod in secta credentium haereticis erroribus postquam ipsi credentes fuerint per ecclesiam denotati et condemnati nisi mandato ecclesiae redire voluerint, supradicta omnia observentur in eis et eorum bonis. Et non audiantur modo aliquo in aliquo eorum jure nec quisquam eis in aliquo respondere teneatur. Judices autem, advocati vel notarii nulli praestent patrocinium suum, alioquin suum exequi officium nullatenus permittantur. Nullus praedictorum praeterea audiatur ad testimonium vel aliquod officium publicum vel privatum seu

ad Commnnis vel populi consilium eligatur vel assumatur. Et qui talem elegerit vel assumpserit, ut fautor haereticorum poena librarum quinquaginta f. p. mulctetur. Et quod dicti rectores legi facere hoc capitulum in consilio vel parlamento civitatis Florentiae vulgariter teneantur.

De Fraticellis.

Rubrica XLI.

In orthodoxa civitate Florentiae et ejus locis christiani nominis inimico procurante Sathana apparuerunt nuperrime certi fraticelli variis nominibus interdum nuncupati, eorum aliqui apostatae ordinis Beati Francisci aliquando patres minores, aliquando fratres della povera vita, aliquando pauperes evangelici sectatores damnatae memoriae Michaelis sive Michelini de Cesena, olim Generalis fratrum minorum haeretici et de haeresi ab ecclesia damnati, eorum variis et pravis doctrinis saeculares simplices a recta via devertentes novas opiniones et errores seminando et a divinis officiis et a perceptione sacramentorum et ab ecclesiastica sepultura dissuadendo opiniones falsas et novas infra populum christianum pullulare nitentes. Inter ceteros errores Papam Joannem XXII et ceteros, qui post ipsum Summi Pontifices fuerunt non erubescentes in suarum animarum praejudicium et saeculos cardinales asserere haereticos, in temerariam praesumptionem audentes se solos sacerdotes et sacramenta ecclesiastica posse conferre. Et quod ad ipsos solos electio Papae et totius universalis ecclesiae reformatio spectat. Et quod nullus verus Papa deinceps dici potest, ipsique soli sunt universalis ecclesia; aliisque multis erroribus christiani nominis culmen inficere nituntur. Qua de re ut eorum temeritas reprimatur ultore ferro damnentur. Omnes et singulos fraticellos sequentes, credentes vel affirmantes in totum vel in partem eorum errores stare, morari, conversari in civitate, comitatu vel districtu Florentiae prohibemus unicuique licentiam (dantes) auctoritate propria licite et impune ipsos et eorum sequaces capiendi et in fortiam inquisitoris haereticae pravitatis producendi, eorum delictis condignam poenam pas-

suros; offieialesque civitatis, comitatus et districtus Florentiae, quotics requisiti fuerint pro parte domini inquisitoris suam familiam dare sub poena librarum quingentarum f. p cuilibet pro qualibet viee auferenda et omne auxilium, consilium et favorem ad eos eapiendos et in carceribus dieti inquisitoris dedueendos praestare procurent. Cuilibet officiali negligenti aliquod praedictorum poenam librarum quingentarum f. p. auferri volumus summarie et dc plano communi Florentiae applicanda.

Exemplum quarundam litterarum papalium in hanc formam.

Martinus episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis inquisitoribus pravitatis haereticae in civitate ae dioeeesi florentina constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Traditae vobis virtutes a Domino quae laudabilium fructus operum repromittunt, nobis fiduciam afferunt, quod inquisitionis officium ad exterminium pravitatis haereticae vobis ab apostolica sede commissum, ad laudem divini nominis prosequamini diligenter. Verum ex parte dilectorum filiorum . . potestatis consilii et eommunis florentini fuit propositum coram nobis; quod ex eo inibi videtur generari scandalum et posset gravius suseitari, quod si quis a retro temporibus invenitur haeretieus exstitisse, bona quondam ipsius, quae suo crimine non detecto nec contra ipsum aliqua inquisitione speciali pendente, quocunque alienationis vel concessionis titulo forte distraxit, etiam si per plures manus interdum res sie alienata vel concessa transiverit, a bonae fidei possessoribus dicitis avoeandam. Quamvis autem a praedeecssoribus nostris Romanis Pontifieibus exstiterit diffinitum quantum ad praesentem articulum debere servari, quod observatur in laesae crimine majestatis nec in hac parte recedamus a vestigiis eorundem, volumus tamen (et per apostoliea vobis scripta mandamus quatenus ad revocationem talium bonorum in civitate ac dioecesi florentina minime procedatis ad praesens nisi forsan intervenisse constiterit fraudem vel malitiam, propter quam merito sit ad revocationem hujusmodi procedendum, vel nisi alienator alie-

nationis hujusmodi tempore de pravitate haeretica infamatus fuerit publice vel suspectus. Datum apud Montem frasconem X. calendas decembris Pontificatus nostri anno secundo; quae quidem litterae sigillatae erant sigillo plumbeo cordâ pendenti, in quo quidem sigillo erant ex parte una: Martinus Papa IV et ex alia erant hae litterae: S. Paule. S. Petre cum quadam eruce in medio inter scripturam Sancti Pauli et Sancti Petri.

Ego Jacobinus Bonacursi Notarius authentieum hujus exempli vidi et legi non abolitum, non vitiatum et quidquid in eo scriptum reperi, ita hic per ordinem fideliter exemplando transcripsi et percipiente mihi domino Johanne Priore saneti Michaelis Bertelde Vicarii eeclesiae florentinae vacantis et eo suam authoritatem interponente in publicam formam redegi. In millesimo dueentesimo octogesimo tertio; indictione undecima, die III. Aprilis. Praesentibus videntibus, legentibus et auseultantibus testibus: Johanne Manetti Gratia Arrigi Gratiae. Gherardo Orlandi de Glaceieto et Simone Dulcis omnibus notariis.

Ex provisione habita in consilio majori populi sub die IV. Januarii anni 1286.

Item in eodem consilio praedictus dominus potestas auctoritate, voluntate et expresso consensu dominorum priorum artium et consilii antedicti et ipsi domini Priores consiliarii et capitudines unanimiter cum domino potestate praedicto pro se ipsis et quolibet eorum ac etiam pro ipso communi et ipsi communis nomine et vice fecerunt, constituerunt et ordinaverunt eorum et cujuslibet eorum — ac etiam dicti communis procuratorem, syndicum et nuntium specialem Ruffolum filium, olim Loctherii Ruffoli de Ruffolis civem florentiae licet absentem ad nanciscendum, apprehendendum et retinendum tenutam et eorporalem possessionem omnium et singulorum bonorum cujuslibet patareni vel haeretici, quocunque nomine censeatur, de mandato vel assensu potestatis sive Rectoris civitatis florentiae vel vicarii seu assessoris sui seu inquisitoris pravitatis haereticae aut officialium dicti communis, qui sunt vel pro tempore fuerint

ad dictum officium inquisitionis contra haereticam pravitatem exequendum, sive ipsi patareni vel haeretici sint vel fuerint vivi vel defuncti, nec non ad omnia et singula bona occupanda, capienda, retinenda et possidenda, quae confiscata sive publicata sint et confiscanda sive publicanda fuerint in futurum occasione criminis haereseos; vel assignata sive declarata generaliter sive specialiter eidem syndico per quemcunque inquisitorem pravitatis praemissae, sive illa bona fuerint patarenorum vel haereticorum sive credentium haereticorum sive quorumcunque aliorum, qui in praemissum crimen sive circa praemissa crimina quomodolibet commiserunt vel commisisse dicantur. Et ad exigendum cum effectu omnes et singulas condempnationes factas et faciendas in posterum occasione criminis praedicti et poenas ad quas praenominatae personae solvendas se obligarunt vel obligaverint et hoc tam illis personis, quae condemnatae sunt, vel fuerint vel quae ad poenas solvendas se obligarunt vel obligaverint, quam ab illis qui fideijussores steterunt vel steterint pro eisdem. Et ad ipsa bona et possessiones et res et quamlibet eorum de assensu dicti domini potestatis seu rectoris vel ejus vicarii seu inquisitoris pravitatis praedictae distrahendam, vendendam et alienandam pro pretio, quod ipse syndicus ex his habere poterit vel de quo cum emptore vel emptoribus concordabit. Et ad locandum ad pensionem seu ad affictum et ad recipiendum et confitendum pretium ac etiam quantitates, quae nomine pensionis vel affictus percipietur ex bonis vel rebus praedictis vel aliqua eorum. Et ad ipsum pretium et quantitatem pecuniae ex praedictis vel aliquo praedictionis ac etiam ex condemnationibus sive poenis praemisit percipiendum et percipiendam, assignandam et distribuendam secundum constitutiones papales de consensu inquisitoris pravitatis praemissae, qui pro tempore fuerit dando et assignando communi Florentiae partem ipsi communi contingentem ex praedictis et quolibet praedictorum et ad promittendum nomine dicti communis legitimam defensionem et poenam et interesse et omnia, quae in praedictis convenire videbuntur et

in talibus contractibus consueverunt apponi et de quibus cum emptoribus seu conductoribus praedictorum, idem syndicus concordabit, nec non ad alia omnia et singula facienda et exercenda in dicto syndicatus officio, quae per papales constitutiones contra haereticam pravitatem editas ac etiam per jura communia conceduntur et quomodo libet permittuntur. Statuentes etiam et volentes, quod ipse jam dictus syndicus per alium quando sibi videbitur possit praemissa omnia et singula facere et liberaliter exercere. Nec non promittentes nomine suo et communis florentiae perpetuo rata et firma habere et tenere omnia et singula, quae praefatus procurator et syndicus per se vel alium in praedictis et de praedictis vel aliquo praedictorum seu eorum vel alicujus eorum occasione duxerit faciendum sub dicti communis bonorum omnium hypotheco. Acta fuerunt haec in palatio communis Florentiae praesentibus testibus Ser Guidone Aldobrandini de Ravenna, notario potestatis, Ser Bencivenni Hugolini notario dictorum dominorum priorum et Paulino Bencivenni praecone communis et aliis, et ego Bonsegnore, olim Guezzi civis Mutinensis, imperiali auctoritate notarius et nunc consiliorum et instrumentorum syndicatus dicti communis scriba his omnibus interfui et ea publice scripsi.

XLVIII.

Acta Inquisit. Carcass. Vol. VII.

Apostoli. Modus receptionis talis esse dicitur, sicut dictum est ab aliquibus eorum in judicio deprehensis. Ille qui debet recipiaut profiteri illum ordinem, prius informatur per aliquem seu aliquos alios ejusdem sectae vel ordinis de modo et ritu vivendi ipsorum et de perfectione illius vitae, quam dicunt esse apostolicam, et postmodum in aliqua ecclesia coram aliquo altari vel etiam in aliqua platea communi praesentibus aliquibus ejusdem sectae vel ordinis vel etiam aliquibus aliis ille exuit se omnibus vestimentis suis in signum exspoliationis et renuntiationis omnium quae possidet, in signum evangelicae paupertatis et in corde suo

facit votum Deo, quod deinceps vivet in paupertate evangelica, et ex tunc non debet recipere poenitentiam (pecuniam?), nec habere, nec portare, sed debet vivere de eleemosinis, quae sibi gratis et sponte ab aliis offerentur nihil in crastinum reservando. Item non promittit obedientiam alicui homini mortali, sed soli Deo et ex tunc reputat se esse in statu apostolicae et evangelicae paupertatis et perfectionis et soli Deo et nulli homini esse subjectum, sicut fuerant apostoli subjecti Christo et nulli alii. — —

Modus persuadendi et informandi ipsorum in principio, maxime quando publice se ostendunt, communiter talis est. Dicunt quaedam, quae videntur aperte laudabilia, ut sic attrahant et alliciant audientes, v. g. vigilate et orate, quia hoc est bonum pro anima. Item dicunt Pater Noster et Ave Maria et Credo alta voce. Item cantant eundo per villas, aliquando in plateis, vel ubi inveniunt audientes: Poenitentiam agite, apropinquabit enim regnum coelorum, et de apostolis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Item: non turbetur cor vestrum neque formidet, cantando. Item cantant Salve Regina et quosdam alios cantus, ut alliciant audientes et praetendunt exterius quaedam signa devotionis ad Deum, specialiter conantur ut appareant exterius habentes poenitentiam et vitam perfectam agentes, et comedunt in carreriis publice in aliqua mensa ibi apposita de illis quae sibi tunc aportentur, et de illis quae supersunt de panc et vino et de aliis quae oblata sunt eis, quando inde surgunt, nihil recipiunt, nec secum ferunt, sed dimittunt ibi in signum, quod sint perfecti pauperes Christi, qui non cogitant de crastino et qui non habeant domum neque mansionem, et isto modo mendicant victum suum.

XLIX.

Aufzählung der Sätze der Albigenser, der Secte de Bagnolo und der Secte de Concorreggio, qui habent haeresim suam de Sclavonia. (Cod. Scotor. Vienn.)

Quidam alii de Bulgaria credunt tantum unum Deum omnipotentem sine principio, qui creavit angelos et quatuor elementa et dicunt, quod Lucifer et complices sui peccaverunt in coelis, sed unde processit eorum peccatum dubitant. Quidam dicunt, arcanum est. Alii dicunt, quod quidam spiritus habens quatuor facies, unam hominis, aliam volucris, tertiam piscis, quartam animalis, fuit sine principio et manebat in hoc chaos nullam habens potestatem creandi, et Lucifer adhuc bonus descendit et videns speciem hujus spiritus admiratus est et collusione et suggestione illius spiritus maligni seductus est et revertens in coelum seduxit alios, et projecti sunt de coelo, et dona naturalia non perdiderunt; et dicunt, quod Lucifer et ille spiritus nequam volebant distinguere elementa et non poterant, sed Lucifer impetravit a Deo bonum angelum coadjutorem et ita concessione et adjutorio boni angeli et virtute et sapientia sua distinxerunt elementa, et dicunt quod Lucifer est ille Deus, qui dicitur in Genesi creasse coelum et terram et opera sex dierum et qui formavit Adam de limo terrae et in illa forma insufflavit bonum angelum et fecit ei etiam (mulierem), ut per eam faceret eum peccare, et dicunt, quod comestio ligni prohibiti fuit fornicatio. Et quidam istorum dicunt quod pars illorum qui ceciderunt salvandi sunt, scilicet quia non ex voluntate sed quasi coactione peccaverunt, et qui ex deliberatione peccaverunt, damnandi sunt, et dicunt, quod alii spiritus creati sunt a Deo, qui dicuntur supplere locum illorum non salvandorum.

Albigenses dicunt quod Lucifer fuit filius mali dei et ascendit in coelum et invenit uxorem illius superni regis sine viro suo i. e. Deo et ibi tantum fecit quod jacuit cum ea, et ipsa primo defendente se dixit ei Lucifer, quod si

filium procrearet, faceret eum Deum in regno suo et faceret eum adorari tanquam Deum, et sic acquievit ei, et inducunt illud Apoc.: Factum est regnum hujus mundi etc. et sic dicunt Christum natum et ipsum sic duxisse carnem de coelo, et illud est magnum secretum ipsorum. Volunt etiam dicere quod non fuit verus homo, sed angelus incarnatus et quod non fuit filius B. Mariae et sic non sumsit carnem ex ea et quod non comedit neque bibit corporaliter.

L.

Cod. S. Udalr. Augustan.

Hye hebent sich an di Artikel der Ungelaubigen Laut genant dye Ketzer.

Sie bekänen des allerersten daz si einem Layen gebeicht habent all ir Sünd, dye si wegangen habent von iren kinchehen tagen, und der selb Lay hat den gewalt den menschen ze pinden und enpinden von allen seinen sünden und der selb mensch sol auch hailig sein, und sprechent, der selb mensch sey gesant worden von Got auz dem paradyse dez hailigen lebens, und dye sünde di sie dem selben menschen gebeicht haben, di haben sie fürbaz keinem Pfaffen nicht gesagt. Dann schlecht täglig sünd haben sie dem Pfaffen gebicht, wann sie jahen ez hab kein Pabst noch Kardinal noch Legat noch Patriarch noch kein Bysschoff noch kein Pfaff kein Gewalt den menschen von den sünden ze (en) pinden, dann allein dye maister die aus dem paradyse gesant sint. So man sie dann fragt, war umb sye dann zu gotzlichnam gand, so sprechen sie: daz tun wir von ein Schins wegen vor den Kristen daz man unsers lebens de minder verstand, wann sye anders nit gelauben: ez sey ein brot alz ein ander brot. Auch gelauben sye nit an den heiligen Tauff, und sprechen, ez sey ein wasser alz ein anders wasser, wann si unverstenlich sind gewesen do man sye getauft hab; auch sprechen si, daz daz Pater noster bringe dem menschen mer genaden, dann daz Ave Maria und müg der mensch daz Ave Maria oder lassen darnach ob ez im ge-

vellt. Sie sprechen ez sull auch kain fegfiure seyn, dann wann der mensch hye in armut sey, daz sull sein fegfiure sein. Auch sprechen sye, daz unser lieben fraw noch alle zwelf poten noch all hailigen mit an ander dem menschen nichtz erwerben mugen umb Got. Auch sprechen sye daz all Kristenmenschen mit irm Gelauben sint die verloren menschen, und sye mit irm gelauben die die wehaltenn und sye heizzen vor Got dye erkanten und wir Kristen vor Got dye unbekanten. Auch mer sye gelauben daz kain tag über Jar sey ze feiren, dan der Suntag und der Kristtag den feyren sye dar umb wann do Got geboren wart; do sturben alle Ketzer slecht tods dez nachtz do Got von seiner mutter auf ertrich geborn wart. Wann er nit geborn volt, si musten hin, dar umb feiren si den Kristtag. Si gelauben auch daz Lutzifer noch sulli gewaltig werden, und mit dem so beweren sye daz si sullen sein der wehalten menschen und wir Kristenmenschen der unbehalten. Auch wenn si bichten und zu ein ander kommen, und er inen gepredigt und so er aus gepredigt, so nimpt er dye aller schönste dye under in allen ist und hat mit der seinen willen, und mit dem so leschen si ein liecht so vellet je ains auf daz ander, und ain man auf den andern und ain wip auf ain wip wie ez sich dann gefügt, ain jeglicher muz ansehen mit seinen Augen daz im sein wip oder sein Tochter ain ander Ketzer, wann si jehen daz der mensch underhalb des gurtel mit niettiw sünden müg getun; in dem gelauben sint si. Auch wisint si irin Kint von tag ze tag dar auf daz si icht sprechen werlich oder auf min aid noch auf min trin, und daz si sich hüten und ziehen mit allen irn Sachen von den Kristenlanten, und mit in nit geschiken haben, dann daz si nicht übrig mugen gesein. So gelauben si kainen irn Kinden nit biz daz si besehen biz daz ez besteti wil haben und verswigen wil sein, so nenen si ez und füren ez zu irm bichtiger und tut sein erst bicht, so wiset er ez dann an mit seinen süzzen Worten den gelauben alz vor geschriben stat. al so muz er in dem ersten jar drey stund biten den seinen maister, so mag er fürbaz aus

dem Ketzer gelauben nimmer mer kömen. Wie daz ist daz man sye versucht und Jn Crütz anhenket, da mit wellen sye sich fristen irs lebens wann ez sagen dye recht daz man si an dem ersten versuchen sol und nit verprennen sol, daz man jn daz Crütz an henken sol und funt man si fürbaz anders so sol man si prennen on all genad.

Aueh haben si ein gewonheit, wann ir einer sterben wil, so komen ettlich zu im di dez selben gelauben sind und manen in, daz er schike an di grub, so schiket jr jtleicher nach seinen vermugen an di selben Ketzer grub, dez underwinden sich jr Meister und ver tunt daz durch iren willen, der sint xlij in Eystetter pistum und jr fürt jr jtlicher ein jungen mit jm umb daz der jung von dem alten lerni, wann der alt abge, daz der jung an sein stat trette daz der gelaub nicht zergang, und waz si for den Kristen tun ez sey beichten oder vasten oder firen wie ez dann genant sey niur zu einem schin daz man irr warheit dez minnar innan werde. Auch sprechen sye, het unser fraw gewalt in himelrich si würde alz unmüssig alz ain bad mayd alz offt und man si in aller weld anruft. Der gelauben ist noch vil mer dye si haben dye man nit dar gesagen noch geschriben vor ainvaltigen leuten, wann het Got sein gnad darzu nit geben daz man ir bezeit innan worden ver, si hätten Kristengelauben kürtzlich verdrungen.

LI.

Ex Collyrio fidei contra haereses et errores compositio a Fr. Alvaro Hispano Doctore Decretorum et Episcopo Silvensi. (Cod. Paris. Biblioth. imp. 3372.)

Haec sunt haereses et errores de quibus Thomas Scotus Apostata Fratrum Minorum et Praedicatorum est publice diffamatus in quibusdam partibus Hispaniae et alibi et de quibusdam confessus in jure et de quibusdam convictus, qui Ulixbone in carcere detinetur. Dixit, quod numerus annorum, quo vivebant antiquo tempore — de quo fit mentio in multis locis in Genesi, non erat verus, seu

quod tanto tempore viverent homines. Asseruit et dictus Scotus et confessus fuit, quod prophetia illa Isai. 7: ecce virgo concipiet, non intelligebatur de virgine Maria, sicut et Judaei dicunt, et dixit, quod illud: ecce virgo etc. dixit Isaias de quadam sua ancilla vel concubina. Disseminavit etiam iste impius haereticus Thomas in Hispania, quod tres deceptores fuerunt in mundo sc. Moyses, qui deceperat Judaeos, et Christus, qui deceperat Christianos, et Mahumetes, qui deceperat Saracenos. Item iste impius Thomas dogmatizavit Ulixbone loquens de Antichristo, quod oportebat, quod in quolibet tempore veniret unus homo, qui mundum deciperet. Item dixit Thomas seductor in Scolis decretalium publice Ulixbone, quod Isai. IX. (IV.?) Deus fortis futuri saeculi, quod illud „Deus fortis“ erat proprium nomen et quod non erat dictum propter Deum Jesum Christum. Rursus asseruit Thomas, animas post mortem in nihilum redigi. Iterum coram me et multis aliis asseruit Ulixbone, quod Christus erat filius Dei adoptivus, non proprius vel naturalis. Iterum dixit iste immundus concubinarius Thomas haereticus, quod St. Maria fuerat virgo, usque quo fuit corrupta, et sic negavit virginis Mariae virginitatem. Item dixit coram me et aliis saecularibus in scolis decretalium, quod fides melius probatur per philosophiam, quam per decretum et decretales et testamentum Vetus et Novum. Idem haereticus in sua philosophia inani gloriatur, quod mundus melius regeretur per philosophiam, quam per decreta et alia jura. Item dictus Thomas dixit, quod St. Augustinus et S. Bernardus fuerant traditores, et quod nihil valebat, quidquid fecerant et scripserant et fr. Antonius de Ord. FF. Minor. qui fuit canonizatus, quod tenuerat concubinam propter quod mandaverat eum Papa incarcerari. Dixit etiam quod beatus Bernardus tenuerat concubinam, et quod fratres sui eam poterant tenere. Item tenuit in scolis dictus Thomas hic, quod virtus patris curativa descendit ad filium, quod est error, quia si virtus illa a Deo est, per successionem non datur. Item tenuit in scolis coram me disputante contra eum de suis haeresibus, quod Christus non

dederat beato Petro et successoribus suis et episcopis potestatem, quam habebat in terra, sicut ipse habebat — in qua haeresi faventes habuit in scolis aliquos pseudo-religiosos, qui frequenter impingunt in potestatem papalem, decreta ecclesiae, parvi pendentes ecclesiae anathema contra eos prolatum, ut eis dixi. Item dixit, quod ante Adam fuerunt homines, et per illos homines factus fuerat Adam, et sic infert, quod semper fuerit mundus, et in eo homines semper fuerint, quia ipse cum suo idolatra Aristotele mundum ponit aeternum. — Item dixit publice Ulixbone, in ecclesia Sanctorum, quod potestatem, quam Christus dederat beato Petro et Apostolis, non dederat successoribus eorum. Item dixit, quod mundus non debebat habere finem, et hoc ideo dixit, quod ponit cum pagano philosopho mundum aeternum. Item blasphemavit dicens, quod melior erat Aristoteles, quam Christus, qui fuerat homo malus et suspensus pro suis peccatis et qui separabat se cum mulierculis. Dixit dictus Thomas quod Aristoteles fuerat sapientior et subtilior et altius fuerat locutus quam Moyses, nec mirum, quod hodie dicat, quia in alia haeresi est, quae incipit disseminari, quae nempe haeresis dixit, quod Moyses fuerat deceptor Judaeorum. Blasphemavit etiam contra Christum, dicens, quod non virtute divina, sed per artem magicam et virtutem naturalem miracula faciebat. Negat etiam esse Angelos et Daemones. Quomodo iste negat, Daemones esse, cum sua meretrix concubina cum aliis suis familiariter perhibeant contra eum, quod qualibet nocte extincta candela et arrepto gladio cum frequenti strepitu Daemones invocando et sentiendo clauso ostio meretrix expulsa quasi mortuus cadebat et jacebat in terra, quousque meretrix aperto ostio intrabat et eum de terra levabat et in lectulo reponebat et se ei miscebat.

LII.

Cod. Vindob. Palat. 328 bei Denis I, 1264.

Puncta quaedam haereticis examinandis proponenda.

Quaeratur ab haeretico examinando, si aliqua sacra verba didicerit, quando incepit et cum quibus, an non laicos

docuerit. Item an unquam audierit occultas praedicari doctrinas esse prohibitos et propter talia combustos homines et tamen postea fecerit. Item an profiteatur nomen alicujus ordinis seu pauperum de Lugduno et similium. Item qualiter debeat homo in mandatis Dei salvari. Cui obediendum est primo post Deum, cum dicat auctoritas: Melior est obedientia quam victima. An papae et clericis audierit unquam non obediendum esse. Item an unquam laico confessionem fecerit. Laicos appello non ordinatos a nostris episcopis, qui vadunt sine tonsura cum gladiis, sicut et alii. Item quid ille sibi injunxerit in satisfactionem. Item quaere statim: injunxitne tibi, ut nunquam ab illa fraternitate quacunque necessitate recederes, sed semper fratribus benefaceres. Item an inhibuerint idipsum clericis unquam revelare. Item an illi doctores vituperaverint clericum dicentes: caeci sunt duces caecorum et pharisaei, qui claudunt regnum coelorum, non homines. Item an credat aut unquam crediderit omnem laicum bonum esse sacerdotem Christi, omnem malum presbyterum pharisaeum. Item quid de statutis ab homine, quae non viderentur inveniri in biblia, ut de ordinibus, de unctione, de ecclesiarum structura, de alto cantu in ecclesia, de missis defunctorum, de suffragiis animarum, de peregrinationibus, de candelis in ecclesia. Item an sint duae viae, supra et infra, et non tertia. Item quid valeat offerre presbyteris, an praedicta cum aliis unquam fecerint. Item in quibus eleemosynae optime locari possint, et si dixerit, in pauperibus, an unquam audierit, quod ipsi sint veri pauperes Christi. Item an credant quemlibet bonum laicum posse ligare ac solvere. Item si jam esset occidendus, quaere sub maxima conjuratione, a quo potius sumere vellet communionem, vel de manu sui magistri, vel mali presbyteri. Item an post eucharistiam confectam a fornicatore presbytero vel a magistro suo laico. Item si se dicit de his penitus nihil scire, an velit hoc eligere, si convincatur, quod quasi pro haeresi condemnetur. Item si se dicit fuisse in hac vita, an velit abjurare illam, et si dicit se poenitere, an velit jurare, se prodere omnes conscios ta-

lium, ita, ut si inventus fuerit scienter mentitus esse, tamquam haereticus condemnetur. Item an velit jurare nunquam de cetero tales ac talia diligere. Si nullo modo velit jurare, conjuretur per patrem et filium et spiritum sanctum, per Christi memoriam, per passionem, per tremendum judicium, per excommunicationem Petri et Pauli, si credat papam et suos aliquem posse ligare, ut prodat tales. Item unde habet, quod sit peccatum jurare. Item quid crediderit vel credat de combustis in tali fide, an sint de numero salvandorum et martyres. Item quid audierit magistros dicere de esu carnium, de jejunio, quid dicant, an eis placeat nec ne. Item an unquam collectam fecerint ad mittendum fratribus in Lombardia. Item si talem familiaritatem unquam confessus fuerit sacerdoti suo et utrum suaserit integraliter presbyteris confitendum nec ne.

Haeretici Leonistae jactant se de perfectione vitae eo quod doctrinam evangelicam plene servent, unde prius moritur haereticus, quam velit jurare, quia dicit Christus: nolite jurare. Quaeras ergo ab haeretico, si habens duas (tunicas) det unam. Si duas escas etc. Si habet octo beatitudines. Si non solvat mandatum, et doceat, si irascitur reus erit. Si videat mulierem. Si oculus scandalizet, an eruat. Si dextera manus, si pes. Si non resistat malo. Si maxillam praebeat percutienti. Si pallium dimittat. Si mille passus eat. Si ablata non repetat. Si alteri facit, quod sibi vult. Si diligit inimicos, bene facit odienti et oret pro eo. Si misericors est et perfectus ut Deus. Si nesciat sinistra, quid faciat dextera. Si caput ungit, cum jejunat; si vendit, quae possidet. Si non est sollicitus, quid manducet vel quomodo induatur. Si non cogitat de crastino. Si non judicat. Si dimittit. Si in via non portat pecuniam nec panem, nec duas tunicas, nec calceamenta. Si quid in aure audit, praedicat super tectis. Si non timet cecidi. Si diligit ex toto corde. Si verbum otiosum non dicit.

Si renuntiat omnibus. Si abnegat se. Si est ut parvulus. Si septuagies dimittit. Si tantum coecos et claudos invitat. Si semper orat. Si semper vigilat etc. Si vulneratum ducit

in stabulo. Si pedes lavat. Si ubique praedicat. Si eis omnia sint communia. Si omnia vendat. Si non habet proprium. Si per impositionem manuum dat spiritum sanctum visibiliter. Si curat omnes infirmos.

LIII.

Cod. Vindob. Palat. 329, bei Denis I, 1286.

Articuli heresium in Maguntia.

Anno domini M°CCC°XC° circa festum sancti Michaelis. In Maguntia inventi sunt isti articuli hereticorum Waldensium. Primus. Quod sacerdotes qui represententur a iudeis et christianis non possunt conficere corpus dominicum. Secundus. Quod sequentes sacerdotes et eorum doctrinam non possunt salvari. Tertius. Quod purgatorium non sit, sed qui bene facit, post mortem statim habebit vitam aeternam, qui male facit, statim intrabit in infernum. Quartus. Quod orationes, quae fiunt in ecclesiis pro defunctis, non prosunt eis. Quintus. Quod beata virgo et alii sancti existentes in coelo non possunt intercedere pro hominibus existentibus in terra. Sextus. Quod Indulgentiae concessae ab ecclesia sint trufe et inventae propter pecunias. Septimus. Quod aqua benedicta et sal exorzisatum nullum effectum salutis habeat. Octavus. Quod cantus qui fit in ecclesia dei, non sit deo acceptus quia fit propter superbiam. Nonus. Quod aedificare ecclesias altas et magnas sit contra deum. Decimus. Quod ipsi haeretici sint meliores sacerdotibus quia plus orant et saepius ieiunant quam ipsi sacerdotes et non iurant nec mentiuntur sicut sacerdotes. Undecimus. Quod orationes ipsorum sint magis acceptae deo quam sacerdotum, quia ipsi dicunt orationem dominicam precise quam Christus instituit. Duodecimus. Quod salutatio Angelica non debet dici, quia non est oratio nec a deo ordinata sed a sacerdotibus inventa. Tredecimus. Quod inter ipsos praedicantes verbum dei, confessiones audientes et sacramenta ministrantes iustius et melius faciunt quam sacerdotes facientes praedicta. Quartodecimus. Quod

ipsi sacramenta possunt conficere et eadem suis ministrare. Quintodecimus. Quod imagines sunt contra mandata dei et inventa propter avaritiam. Sextodecimus. Quod lignum crucis non sit maioris virtutis quam aliud lignum. Septimodecimus. Quod confessio quae in ambone (fit) pro populo, non valeat quidquam ibidem confitenti sed est unum figmentum.

LIV.

Excerpta ex Poenitentialibus Mss. (Cod. Weihenstephan. 67. Membranac.)

Fol. 20b: Si quis haereticos Cataros, Publicanos, Patarinos aut alios similes defenderit, aut in domo sua aut in terra sua tenere vel fovere aut negotiationem suam cum eis exercere praesumserit, anathema sit. Si autem in hoc peccato decesserit, neque sub privilegiorum nostrorum quibuscunque indultorum obtentu, neque sub alia quacunque occasione oblatio pro eo fiat, aut inter christianos accipiat sepulturam.

Cod. Monacensis ZZ. 573. Membranac. (Saec. XIV.) Poenitentiale.

Fol. 143: **De haereticis convictis et clericis degradatis.**

Cum secundum praedicta constat ecclesiam non debere sanguinem effundere neque manu neque lingua, videtur esse reprobabile, quod cum haeretici et Publiacani convincuntur in foro ecclesiastico de infidelitate sua, statim traduntur curiae id est seculari potestati ad comburendum vel occidendum, et quod pejus est non possunt evadere quin occidantur, vel judicium subeant ferri candentis. Si enim veros se dicunt esse Christianos, non creditur eis, nisi per judicium ferri candentis probent; si vero dixerint se fuisse haereticos, sed veros modo poenitentes, non creditur eis nisi simili modo hoc probent, cum tamen non sit tutum viro ecclesiastico hoc modo tentare Deum. Si autem in tali judicio deprehensi fuerint et se esse haereticos et poenitere nolle con-

fessi, statim occiduntur. Videtur tamen eadem observatio de eis esse consideranda quae observatur de Judaeis, de quibus scriptum est: Ne occidas eos, ne quando obliviscantur. Si enim volunt esse sub jugo nostrae servitutis in pace, neque fidem nostram impugnare, neque nos, sustinendi sunt inter nos et deputandi ad sordida officia, ne se possint extollere super Christianos. Verumtamen ideo praecipue sustinentur Judaei, quia capsarii nostri sunt, et portant testimonium legis contra se pro nobis. A multis etiam bonis viris audivimus quod si haeretici vel excommunicati contra Christianos velint insurgere vel impugnare fidem publicis persuasionibus et praedicationibus, non est peccatum eos occidere, sed si quieti velint esse et pacifici, non sunt occidendi, quod videtur posse haberi ex canone ita dicente: „Excommunicatorum interfectoribus, prout in ordine Rom. ecclesiae didicisti, secundum intentionem modum congruum satisfactionis injunge. Non enim eos homicidas arbitramur, quos, adversus excommunicatos catholicae zelo matris ecclesiae ardentes aliquos eorum trucidasse contigerit.“*) Nec credimus quod haeretici super infidelitate sua in foro ecclesiastico condemnati curiae sunt tradendi, ita quod a sacerdotibus dicatur judicibus: Occidite istos haereticos; sed sustinet ecclesia ut statim rapiantur a viris saecularibus ad supplicium, nec aliquod eis praestat patrocinium sicut Judaeis, et sicut etiam praestat clericis degradatis.

In aliqua regione prava fuit consuetudo, quod cum aliquis moriebatur, amicus ejus aliquis judicio aquae frigidae probavit, quod poenitens fuit in morte et ita in coemetrio fuit sepultus. Talia autem judicia aquae frigidae et ferri candentis modo in ecclesia generaliter prohibentur. Quare subire hujusmodi judicium nihil aliud est, quam dominum temptare. Sciendum tamen, quod eo tempore, quo omnes fuerunt torneamentores excommunicati, quidam miles in torneamento occisus, extra coemeterium est sepultus. Amici

*) Dieß iſt der aus einem Schreiben des P. Urban II. entnommene Kanon 47, c. 23, q. 5 bei Gratian.

autem ejus ad dominum papam venerunt, et quod manus dextera mortui supra vultum ejus ad faciendam crucem inventa fuerit, probaverunt et per hoc probatum fuit, quod in morte poenituit. Summus ergo pontifex illum in coemeterio sepelire praecepit.

Si quis nominatim excommunicatus fuerit, et moriatur, dummodo in morte fuerit poenitens possit probari, verisimile est, quod in coemeterio debeat sepeliri.

De hystrionibus et officiis inutilibus.

Praeterea videndum est sacerdotibus, ut inquirant a poenitente, quod sit ei officium. Sunt enim quaedam officia, quae ex toto sunt peccata, ut meretricum et histrionum. Quaedam enim sunt, quae sine peccato vix exerceri possunt, ut mercatorum. Quia, sicut ait Gregorius, difficile est, inter vendentis et ementis commercium non intervenire peccatum. Quaedam autem ex toto sunt inutilia, ut eorum, qui coronas faciunt floridas et decios, sive talos ad ludendum. Quaedam vero officia sunt necessaria, sed vix fideliter exercentur, ut mercenariorum, et magistrorum puerorum et similia. Cum igitur meretrices ad confessionem venerint, vel hystriones, non est eis danda poenitentia, nisi ex toto talia relinquant officia, aliter enim salvari non possunt. Idem etiam agendum est de usurariis, qui de usura tantum vivunt. Sed notandum, quod tria sunt hystrionum genera. Quidam enim transformant et transfigurant corpora sua per turpes saltus vel gestus, vel corpora sua turpiter denudando, vel horribiles loricas induendo et omnes tales damnabiles sunt, nisi officia relinquant. Sunt et alii hystriones, qui nihil operantur, sed curiose agunt, non certum habentes domicilium, sed curias circumeunt magnatum et ignominias loquuntur, et opprobria absentibus. Tales etiam sunt damnabiles, quia prohibet Apostolus cum talibus cibum sumere et dicuntur scurrae vagi, quia ad nihil aliud utiles sunt, nisi ad devorandum et maledicendum. Est etiam tertium genus hystrionum, qui instrumenta habent musica ad delectandum homines. Sed talium sunt duo genera. Quidam enim

choreas et publicas potationes frequentant et homines ad lasciviam provocant et tales sicut alii damnabiles sunt.

Quaeritur autem, quare ecclesia meretrices sustineat, cum teneatur omnia publica et notoria extirpare peccata, et incorrigibiles per excommunicationis sententiam coercere. Quare foeneratores magis quam meretrices, praesertim cum dominus indicat in lege: non enim erit scortum in Israel. Et Canon: meretrices esse etc.

Si ergo Dominus prohibet, quare ecclesia sustinet? Praeterea, ut praedictum est, si qua diu praeter matrimonium alicui adhaereret, excommunicaretur, nisi alter alterum abjuraret, vel cum eo contraheret. Quare ergo non excommunicatur mulier, quae diu multis adhaesit? Videtur itaque jam non esse peccatum, quod ita sustinetur ab ecclesia. Praesertim cum mulierculae non solum sequuntur curias saecularium principum sed etiam episcoporum. Et est manifesta ratio. Cum enim fragilitas carnis praesentis temporis valide sit ad libidinem prona, et vix possit aliquis vel compelli vel persuaderi ad continentiam, ad deteriorem vitandam libidinem, meretrices et scortatores in ecclesia et ab ecclesia sustinentur. Sicut Moyses cum videret populum suum ad occidendum uxores suas pronum, ad vitandum homicidium permisit, dare libellum repudii, et sustinuit, ut dimitterent uxores suas poliposas (sic) vel jugi scabie rabidas, ne occiderent. Qui sic tamen uxorem dimisit, mortaliter peccavit. Similiter ecclesia sustinet tales, ne deterior libido assumatur in usum. Ita tamen sustinendi sunt ab ecclesia meretrices, quod semper arceantur ab Eucharistia, nisi poenituerint. Quia sicut ait Canon, meretrices et scenici et hystriones ad ecclesiasticam communionem non debent admitti. Non debent enim manducare pingues terrae, nisi adorent. Illi autem non adorant, qui crimen suum publice profitentur, et sine poenitentia sequuntur.

LV.

Cod. Paris. Biblioth. 5178.

Copia literarum de quadam secta in partibus Alemanniae noviter exorta.

Episcopo Ratisbonensi domino et amico carissimo, reverendo in Christo patri. Post recommendationem: Delati sunt nobis duo fratres de Wirseburg, unus Johannes, alius Levinus appellati, moram trahentes zum Hoflen prope Egram in dioecesi paternitatis vestrae, tamquam seminatores cujusdam novae et stultissimae sectae, quae tamen ad exterminationem totius status ecclesiae exceptis quatuor ordinibus mendicantium tendit. Tenent etiam cum complicibus suis, quorum hinc inde magnus numerus esse dicitur, quod natus sit homo de muliere amicta sole, de qua in Apocalypsi dicitur, quod peperit filium, qui sit vel dicatur unctus salvatoris, qui tertium et finale testamentum introducere debeat, qui sit ille pastor, de quo Christus dicit, quod erit unus pastor et unum ovile, per quem omnes in eum credentes debent illuminari speciali et interiori luce etiam ad cognoscendam sanctam trinitatem, sicut in se est, et quod Papa sit Antichristus, et omnes praelati et sacerdotes, immo et omnes catholici, qui in istum unctum salvatoris non credent, sunt membra Antichristi. Et est quidam, qui se appellat Johannem de Oriente, qui dicitur esse praecursor illius uncti, praesumitur, quod dictus Joannes de Werssenburg sit ille. Habent autem duo illi fratres multos libros super illa secta conscriptos, in quibus omnia de Christo a prophetis et in evangeliis scripta corrupte applicant ad istum unctum, et ea, quae de scribis et Pharisaeis scripta sunt, applicant ad papam, praelatos et sacerdotes. Huiusmodi autem libros dispergunt hinc inde et seducunt multos, ut intelleximus, et praecipue religiosos Ord. mendicantium, et est dictum nobis de quodam alio honesto laico, quod ita involutus et firmatus sit in ista perfidia, quod pro ea moreretur, cum tamen non cognoscat illum diabolum un-

ctum; dicti autem fratres eum noscere et in eum credere debent. Praeterea dictum est nobis, quod valde difficulter apprehendi possent, quid dicant et confiteantur; putant enim sibi licere mentiri praelatis et confessoribus suis ex verbo evangelii: Estote prudentes sicut serpentes etc. Unde non confitentur de hoc, et si Papa mandaret eis sub censuris, ut dicant veritatem, non iurant; sed in futuro anno sit annus auditionis, in quo publice surgent omnes de illa secta et publice praedicabunt illam. Etiam audivi a quodam magno nobili, quod dictus Levinus (Cod. Ley.) Bonius confessus ei fuerit, quod tanta est multitudo in ejusmodi secta in diversis partibus Alemanniae, quod si simul essent omnes constituti, possent resistere unicuique magno principi, et quum praedicti fratres, qui principales seminatores hujusmodi perfidiae dicuntur, in dioecesi vestrae Paternitatis constituti sunt, nolumus ommittere, quin hoc vestrae Paternitati, cui ex officio incumbit, contra tales inquirere et eos vel revocare, vel punire, scriberemus. Agat igitur in hoc vestra Paternitas, prout tenetur, ne de negligentia per sedem apost. notari possit. Datum Wratislaviae ii Jan. 1466 ad vota v. P. paratus R. Episcopus Lavantinus nuncius Apostolicus.

In ista secta confecerunt librum, qui incipit voce terroris; dicunt, quod nemo possit excommunicari; dicunt, quod ipsis non liceat contendere cum contradicentibus sectae, dicunt, quod clerici saeculares non debent habere proprium nec propria; gloriantur, quod sedes Apostolica hanc sectam ignoret.

LVI.

Münchner Reichsarchiv. Religionsakta T. III. Supplem. 7. Scheint aus der Zeit 1450—1460 zu sein.

Diess hernach geschrieben hat Bartholomaeus Rautenstock, Ketzermeister, bekannt.

Item. Er hat sich etlich Zeit zu Tirschenreut enthalten, und ist bei einem gelegen, genannt Hans Mendel.

Item. Am Dienstag nach Judica hat er sich von Tirschenreut erhoben, und ist gangen gen Kemnath.

Item. Von Kemnat ist er gangen gen Castel unter Kemnat gelegen. Da ist er die erste Nacht bei einem offenen Wirth gelegen, dess er nicht genennen konnt oder wollt. Demselben Wirth hat er zu Wahrzeichen gesagt, sein Gewerb nämlich, dass er Rohr allda zu Castel in Blätter zu setzen zu dem Wirken gehörend gesucht hätt, die gefielen ihm nicht, und er wollt der nicht mehr suchen.

Item. Am Mittwoch zu Nacht ist er zu Pegnitz gelegen, bei einem Wirth, ist ein Schmid und schenkt Bier.

Item. Am Donnerstag zu Nacht ist er in einem Markt zwischen Pegnitz und Nürnberg gelegen, und den will er nicht nennen (zu Eschnau).

Item. Am Freitag zu Nacht ist er zu Nürnberg gelegen bei dem Regensburger-Thor.

Am Freitag gen der Linden.

Item. Am Samstag ist er gen Burgbernheim gangen, und die Nacht allda belieben.

Item. Am Sonntag ist er gen Eiffelstadt gangen zu Herrn Ulrich, seinem Vettern, dem Pfarrer.

Item. Am Montag ist er wieder gen Burgbernheim gangen, und aber die Nacht da blieben.

Item. Am Dienstag hat er wieder gen Nürnberg und gen Beheim wollen gehen, allda ist er zu Gefängniss kommen.

Item. Er hat auf dem Rathhaus bekannt, er sei vor einem Jahr auch hie aussen gewesst, in dem Herbst, hat sein Schwager Heinz Weingartmann gelebt, und als er jetzo wieder kommen, ist er gestorben.

Item. Es ist bei XII Jahr, dass der Ketzermeister Heinzen Weingarten, seinem Schwager, gelehrt hat den Unglauben.

Item. Am ersten, dass er Mariam nicht anbeten sollt, und da sie gegenwärtig stund, so wollt er sie doch nicht anbeten, denn man allein Gott anbeten soll, und halten die X Gebot.

Item. Dessgleichen von den Zwölfboten und den Heiligen, die sollt man nieht anbeten noch bitten.

Item. Er hat dabei gesagt, die Heiligen zeichen nicht, sondern sie thun das dureh den Teufel.

Item. Es sei kein Fegfeuer, und stürb einer in Todsünden, so führ er von Stund in die Hölle. Vergeb ihm aber Gott die Todsünd, so wären ihm die täglichen Sünd vorhin vergeben, und führ von Stund in das ewige Leben.

Item. Von dem Sakrament: dass die Priester uns das Sakrament nieht geben, als sie es niessen, denn sie fälschen es, und geben uns nicht das in dem Wein, als sie es nehmen.

Item. Man soll kein Gleiehniss oder Bild machen weder von Gott noeh den Heiligen.

Item. Nach dem Krieg zuhand in demselben Jahr ist er auch mit seinem Sohn hinaussen gewesst.

Item. Er ist vor und naeh dem Krieg, dieweil sein Sehwager sein Weib gehabt, zu fünfmalen hinaussen gewesst.

Jörg Pöll, Schneider von Rotenburg, Heussner Schusters Frau sind seine Freund.

Zu Ilessheim hat sein Sohn einen Sehwäher, heisst Hans Kuppler.

Item. Von der offnen Beieht sagt er: man sage Lügen daran, und sag zu Zeiten Sünd in der offenen Beicht, die keiner nie gethan hat.

Item. Von dem Ablass, dass die Päpst und Bisehof irdisch Ding suehen, und den Ablass um Geld geben und verkaufen.

Item. Diess hernach geschrieben hat Bartholomaens Rautenstock, Ketzermeister, in dem Gefängniss unbezwungenlieh bekannt und gesagt.

Item. Des Ersten: Wie dass er zu Prag in die Schul gangen sei, aber nicht in das Collegium, sondern in einen Hof dabei; da sei Meister Peter von Dressen und einer Meister Niklas genannt, ein halber Meister, Schulmeister und

Lehrer gewesst, von denen er den Unglauben und Ketzerei gelernt habe.

Item. In Beheim ist ein Schloss, genannt Lippnitz, darauf haben die Beheimen und Ungläubigen einen München gefangen gehabt, derselb ist ein Weihbischof gewesen, den haben sie dazu genöthigt und gedrungen, dass er in ihrem Glauben Priester geweiht hat.

Item. Als nun Etlich aus dem Hof zu Prag, darin er gelernt hat, dazu gefordert und geben worden sind, sich zu Priestern weihen zu lassen, hab man ihn auch für einen genommen.

Item. Als er also auf das Schloss, sich weihen zu lassen, kommen sei, hab der gefangene Weihbischof also geweiht, und ihn sonderlich gefordert und gefragt, wannen er sei; hab er ihm geantwortet, er sei von Franken. Also hab der Bischof ein Mitleiden mit ihm gehabt, ihn gestraft und gesagt, wie sein Weihen keine Kraft habe, noch göttlich seyn möge, denn er dazu bezwungen werde. Also hab man ihm ein Format und Brief geschrieben, und Geld von ihm wollen haben, auch an ihn gemuth, zu schwören. Das hab er nicht wollen thun, und hab solches den Gewaltigen fürbracht, die haben ihm aufgetragen, und einer, der ein Doktor seyn sollt, das Geld selbst für ihn ausgeben. Also sei er darauf zu vier Quatembern geweiht worden zum Priester.

Item. Zum See hat er Mess gehalten, der Ketzer Glauben gepredigt, Beicht gehört und die Leut gecommunicirt unter beeder Gestalt, das hat er ein Jahr getrieben, als er bekannt hat.

Item. Darnach als ihn sein Gewissen ermahnt hat, dass solches nicht göttlich, und unrecht zum Priester geweiht worden sei, habe er ein Weib in Beheim genommen, und sich mit ihr heraus gen Bernheim gezogen, und sei bei X Jahr allda gesessen, bis ihm das Weib gestarb. Darnach sei er wieder gen Beheim gezogen, und hab sich zu Türschenreuth und überall allda enthalten, bis er jetztund wieder heraus kommen sei.

LVII.

Aus den Tractactus consultatorii des Henricus de Gorychum. (Cod. Monacens.)

Asserunt (hujssitae) papam, cardinales aut episcopos, nisi sancti fuerint aut justi, non habere potestatem indulgentias conferendi aut excommunicandi, ligandi vel solvendi, nam quo modo ajunt aliis possint dare, quod (ipsi-) met non habent. Secundo asserunt, papae et aliis praelatis, si non fuerint boni, non fore obediendum, neque eorum excommunicationem esse nocivam aut timendam. Nam etsi frequenter fuerint a papa excommunicati, tamen successus eis arrisit prosperitatis. Tertio dicunt: curam non esse expellere sacerdotes et ecclesiae ministros praesentes et nunc viventes, quia eis expulsis providebit deus de aliis ministris bonis et justis. Simile adducunt, quia, dum expellitur diabolus, deo datur locus. Quarto dicunt, illam ecclesiae constitutionem fore iniquam, quod nemo ad sacerdotium debet ordinari, nisi de competentia victus antea sit assecuratus. Quinto dicunt, quod a papa et a toto clero a maximo usque ad minimum debent divitiae auferri, debent quam (?) depauperari. Nam et sancti Apostoli fuerunt propria non habentes neque possessionem super terram aut secularem potestatem. Sexto dicunt, quod iniquum et haereticum est, recipere munera, causa pro mortuis orandi aut missas pro defunctis legendi. Addunt etiam, quod non possunt ecclesiastici a secularibus recipere possessiones causa orandi pro suis benefactoribus, sed eas tenentur restituere, nec tales orationes prosunt ad liberandum animas a purgatorio; ubi ad hoc adjungunt: quod quia tales possessiones obtinendo ecclesiastici frequenter lites movent, magis expedit, eas totaliter auferri. Septimo dicunt, nullis ecclesiasticis decimas fore solvendas, quamvis in antiqua lege dare decimas fuerit institutum, dicunt enim per passionem Christi in nova lege illud praeceptum expirasse. Octavo dicunt, quod evertendo loca signanter religiosorum et alia monasteria

non derogant divino officio. Quinimo dicunt, se destruere nidos diaboli scholasque haereticorum et causam adjungunt. Nam quia Christus non instituit aliquem ordinem, conveniens est, eos eradicari juxta illud: Omnis plantatio, quam non plantavit pater coelestis, eradicabitur. Nono dicunt, sicut non licet papae, episcopis et ecclesiasticis personaliter armis pugnare, ita non licet eis instigare saeculares ad invadendum eos vel alios bellicis armis, ubi subjungunt quasi rationem, quia ecclesiastici solo verbo praedicationis debent insistere. Decimo dicunt, quod quia inter homines de statu ecclesiastico existentes nonnulla vitia inveniantur, propter hoc status iste venit redarguendus. Undecimo dicunt, quod sacrum corpus Christi debet ministrari cuilibet christiano sub utraque specie. Rationem hujus subjungunt, quia sic deus ordinavit et sancti Evangelistae scripserunt. Duodecimo dicunt, quod verbum dei praedicari debet a quolibet ad hoc ordinato, ad quodcunque regnum declinaverit, sic quod a nemine impediatur palam aut occulte. Decimo tertio dicunt, quod omnia peccata mortalia aperta debent prohiberi tam clericorum, quam laicorum, hujus causam addicunt dicentes, quod ita mandat sacra scriptura. Decimo quarto dicunt, quod contra eos injuste agitur, ex hoc, quod ipsis non auditis armorum violentia contra ipsos proceditur. Addunt insuper, quod supra controversia inter romanam ecclesiam et eos sit disputandum publice etiam coram laicis; hujus rationem assignant, quia Christus audivit diabolum pejorem eis, non igitur audientia eis est deneganda. Et quia veritas vinci non timet, talis disputatio merito fieri debet publice coram quibuscunque; nisi enim more praefato cum eis agatur, justitia non cum eis, sicut nec cum Johanne Huysso et Hieronymo servata fuit, servatur. His autem erroribus quaedam temeraria judicia in eorum scriptis inveniuntur inserta; dicunt enim, papam et praelatos non zelo fidei, sed cautela, sua peccata et haereses occultandi, instigare principes et saeculares ad bellandum contra eos. Adhuc ajunt, quod volentes presbyterari sacerdotium intrant, non propter divinam justitiam, aut, quia velint praedicare

aut verbum dei dilatari, sed propter otiosam vitam et propter bene comedere et bibere, et ut super terram in honore habeantur. Deinde aliud praeferunt judicium circa vitam ecclesiasticorum ut puta circa pomposum incessum in habitu, crapulosum victum, avidam pecuniarum aecumulationem, aliaque vitia enumerando solisque ecclesiasticis illa impingendo. Praehabitis quoque interserunt satis aegre ferendum: Etenim jactant, se melius scire, qualiter credere debeant de purgatorio et Maria matre domini, nec non de dilectis sanctis dei, quam eos possemus informare. His igitur praelibatis nullatenus silentio censemus praetereundum, quod praememoratorum deliramenta vulgari idiomate conscripta confuso more et truncatim et nude nobis sunt exhibita; ut plurimum enim absque motivis et apparentiis absque rationum deductionibus sunt nobis praesentata.

LVIII.

Aus den Collationes des Wiener Theologen Thomas Ebendorfer von Haselbach. (Cod. S. Zeno 80 nunc Monac.)

Collatio II[a] de inventione Stephani f. 69. a. 1445.

Solent haeretici alia dicere aperte et alia occulta tenere. — Haeretici etiam latenter praedicant, quatenus eorum praedicatio tanto sancta quanto et occulta videatur, et quaedam nova semper exquirunt, quae dum alii nesciunt apud imperitos, de scientiae singularitate gloriantur. — — Qualiter in parte inventum est in isto Johanne Trinhuber, qui super pluribus articulis erroneis et haereticis ac scandalosis et injuriosis delatus, quibus fidem maculavit, et scandalum ipsos apud alios publicando suscitavit. Ideo hodie suam fidem profiteri et poenitentiam agere humiliter postulavit, quatenus eos quos turbavit vel tristia suffudit, laetificet et quos scandalizavit reformet. Et ut articuli in quibus erravit, intelligantur, pauca dicenda sunt.

Jczwinus confessus est, se credidisse quod mundus stetisset ab aeterno et quod non haberet finem a parte post,

ex quo sequitur quod non sit dies novissima. Iste articulus est haereticus et fidei contrarius et contra vetus et novum testamentum. — Circa hunc articulum rusticani et simplices diabolica suggestione, quum non perpendunt, in Alpibus et aliis mansionibus separatis convenientes argumentantur: si mundus de novo factus est, ut christiani asserunt, ubi fuit Deus ante mundi creationem? 2° quid faciebat antequam faceret coelum et terram? 3° quomodo de novo potuit creare mundum sine suae voluntatis mutatione? 4° Vehementer convictus est quod dixerit pluries quod presbyteri non aliud praedicant, nisi fictitia et mendacia, et transeuntes vel recedentes ad sermones dum vidit (dixit): Eeee venit unus fictor de alio fingente. Licet negavit, confessus tamen est, se dixisse: Wann ich pfennig hiet davon, ich wollt als viel predigen, als die pfaffen. In hoc decepti sunt Waldenses in Bohemia et multi hodie, qui speculatorum spiritualium excessus imo beneficia sinistre interpretantur et quantum possunt indebite puniunt; item isti qui praedicationi verbi Dei non obediunt aut non credunt. — Professio etiam sua est suspicione vehementi de fautoria Waldensium plena pro eo quod Laicus indoctus, qui et orationem dominicam et symbolum apostolorum ignoravit tempore suae captivitatis, sed in captivitate in parte didicit. In hoc etiam temerarium se ostendit et injuriosum quia laicis praedicatio verbi Dei est prohibita et aliis non missis sub gravi poena. 5° etiam confessus est, quod Galilaei sint omnes sancti. Iste est erroneus et sapiens haeresin, nam vel per Galilaeos intelligit Pauperes de Lugduno alias Waldenses, qui increduli sunt, et damnati sunt haeretici. — Vel intelligit natos in Galilaea regione, quae sita est in terra promissionis, similiter erroneus et haereticus. Vel 6° intelligit etiam christianos, sic iterum erroneus, quia sient multi christiani reprobi facti sunt, ita damnati. Quinto etiam suspectus est, quod credit, sicut et fassus est se audivisse a cantantibus cantilenas, quod beata Anna in antiqua Altenburg habuerit residentiam suam, pater vero Johannis Baptistae in Petronell, imo probatum est, cum sic

dixisse ore non semel. Item 7° delatus et convictus testimoniis quod dixerit, Christum non esse passum in magna feria sexta, sed praecedenti feria quinta. Super quo confessus est se hie audivisse apud Carmelitas, et subjunxit rationem dicens, quod Judaei festivant diem sabbati et quod crederet quod die Veneris sc. magna feria sexta inciperent festivare sabbatum. 8° suspectus est quod aliquando dixit, Adam pro Christo esse passum, quod est haeresis manifesta; — coneessit tamen se dixisse, ex eo quod Adam peccavit, merito etiam, si esset — crucem pro nobis sustinuisset, non tamen crederet quod pro nobis sit crucifixus. — 9° fassus est, pluries dixisse quod sit natione de Stira haereticus, et si non aufugisset de Stira, dudum fuisset combustus et crematus, et quod in domo paterna fuerit fovea haereticorum: dixit tamen hoc se dixisse ex levitate. An talia verba et plura alia, quae audita esse ab eo asseruntur, et alio circumstante circa ipsum examine examinata, quae transeo, merito ipsum reddent suspectum de fide, patet satis doctis, praesertim quia saepe visus est dicere: Ego habeo fidem quam et volo tenere, quando pro tempore super certis verbis fuit redargutus, sicut et ipse confessus est, et quando vidit filium suum instrui jam 17 annorum, nescientem symbolum, prohibuit ne addisceret. 10° etiam injuriam fecit religiosis Patribus ad Scotos, quum in nocte nativitatis cantassent vocibus horrendis — entrisch — Matutinum, ad similitudinem istorum de veteri lege, quae devotio cantus illorum est nobis omnibus nota. — Licet autem Johannes praefatus fuerit erroneus in fide et crediderit haeresin, tamen quia non est pertinax, sed paratus recipere informationem suorum superiorum, quam etiam receepit, et praemissos articulos et omnem haeresin pridie sponte abjuravit, paratus etiam coram omnibus vobis revocare errorem suum et fidem suam profiteri, ac pro praemissis suis excessibus poenitentiam etiam publicam sibi injungendam suscipere humiliter, ideo non est haereticus judicandus, sed poenitens. — Ideo pro eo quia frater noster est, oremus, ut ipsum Deus illuminet in fide et in bono confortet ad

laudem et gloriam nominis sui et ad salutem animae suae et omnibus fidelibus per eum contristatis ad laetitiam. Amen. Nunc sequitur revocatio errorum et suae fidei professio et poenitentia publica, quam videbitis et statim auditis; omnibus enim et singulis juxta superius scripta catholice profitebitur contradictorium, et quia scandalizati estis in errante, nunc etiam congaudete in poenitenti et veritatem fidei agnoscenti et profitenti; nam secundum Augustinum humanum errare, sed diabolicum in errore perseverare.

LIX.

Summa Picardicarum rerum tum in Bohemia tum in Moravia. (Cod. Viennens. lat. 967 ap. Denis I, 3258.)

Summarium et breve extractum, in quibus articulis hujus temporis picardi, qui per Bohemiam et Moraviam degunt, inter se et in sua professione, itemque falsa religione dissident et discordant. Est autem argumentum hujus compendii. Quod serenissimo et clementissimo Romanorum, Hungariae et Bohemiae regi nostro duo sunt oblati libelli, quorum alter impressus est in Bohemia, anno salutis nostrae 1532, alter vero hoc anno currenti 1535 scriptus, ad praefatum regem nostrum inclytum. Discordant itaque nunc memorati Picardi in sequentibus articulis:

Primo itaque loco inter se duplices illi nostrorum temporum picardi discordant in eo, quod Moravi recipiunt scripta doctorum Ecclesiae, praecipue veterum, Bohemi vero nullam de doctoribus ecclesiae mentionem faciunt. Nam pauca et fere nihil tribuunt illis, quasi non etiam illi, tanquam dei homines spiritu sancto inspirati, locuti fuerint.

2. Picardi, qui et Valdenses, Moravi docent, poenitentes cum peccatis suis accedere presbyterum, cui sua scelera confiteri oporteat, et per hunc absolutionem accipere, hanc quam plurimi faciunt ex voce Christi dicentis: Cui remiseritis peccata. Tale quid a picardis in Bohemia doceri non invenio.

3. Picardi Bohemi rebaptizant eos omnes, qui noviter ad se et suam sectam venerint, anteaquam admittantur; sed ii qui Regiae Majestati suam dedere professionem, quantum coniecturare licet, ex Moravia, dicunt, hunc rebaptizandi usum apud eos aliquando fuisse, sed nunc e scripturis didicerint quod iste rebaptizandi modus neque teneri neque fieri debeat.

4. Picardi Bohemi valde multum tribuunt soli fidei, probare volentes solam fidem iustificare, solaque fide salvari hominem. Sed Picardi Moravi reprehendunt eos gravissime, qui solam fidem praedicant.

5. Picardi, qui Regi nostro clementissimo professionem suam dederunt, docent bona opera facienda esse, non ut homines per ipsa iustificationem vel salutem aut peccatorum remissionem consequantur. Alii vero Picardi dicunt quod bona opera sunt hominibus utilia ad salutem.

6. Picardi Moravi docent, per patientiam neminem quicquam sibi promereri. Hujus contrarium tenent, atque id recte, Picardi Bohemi.

7. Picardi ad regem scribentes dicunt, quod homo se in bonis operibus studiose exercens peccet. Alii tenent contrarium.

8. Valdenses sive Picardi, qui regi nostro dedere rationem suae religionis, docent, quod ecclesia catholica sit dispersa per universum orbem, neque apud eos sit haec universalis ecclesia. Bohemi vero putant, apud eos esse ecclesiam catholicam, in qua omnes salvari oportet.

9. Picardi tenent, post baptismum et acceptam gratiam remanere peccatum. Moravi vero tenent pueros baptizari in salutem, atque per baptismum in gratiam Dei recipi.

10. Moravi Valdenses dicunt, fomitem peccati peccatum esse maximum, tamen remissibile. Hoc reliqui non tenent Picardi.

11. Picardi Moravi ponunt inter irremissibilia peccata incredulitatem, duritiam, pertinaciam, blasphemiam, irrisionem, idololatriam. Ab hac assertione abstinent alii Picardi.

12. Picardi ad regem nostrum scribentes de Antichristo

sentiunt et dicunt, quasi non sit personaliter venturus homo; alii non faciunt.

13. Picardi Moravi multas falsas glossellas super nonnullos sacrae scripturae locos faciunt, quae sunt omnino contra sensum Evangelii, videnturque inter presbyterum et Episcopum nullum facere discrimen; alii vero tres ordines affirmare videntur, utpote diaconatum, sacerdotium et episcopalem dignitatem.

14. Picardi ad regem nostrum (scribentes) tenent, omnia sacramenta de necessitate salutis esse, reliqui vero non tenent. Nam etsi matrimonium sit sacramentum in ecclesia Dei, presbyteris tamen coelibatum persuadent, per id inferentes, matrimonium non esse sacramentum necessitatis.

15. Picardi Bohemi dicunt, sacerdotes Romanae ecclesiae plurimum errare circa baptismum parvulorum. Hoc reliqui non faciunt.

16. Picardi Bohemi nullam rationem ad filium (?) tenere videntur, quod ab aliis alienum est.

17. Picardi ad regem nostrum scribentes dicunt, quod Christus calicem dederit, et hunc testetur esse vinum; hoc alii non tam aperte dicunt.

18. Horribilis est error Picardorum, qui regi suam religionem dederunt, quod dicunt, in Sacramento venerabili corpus esse per se, et sanguinem esse per se; hoc videntur alii non tenere, licet etiam multum errant.

19. Picardi Bohemi nolunt, ut quispiam se erga Sacramentum inclinet seu honoret, aut orationes faciat. Hoc in aliis reprehendere non possum.

20. Picardi Bohemi docent, Sacramentum institutum a Christo in commemorationem beneficiorum; alii videntur propius accedere ad sententiam Pauli.

21. Picardi Bohemi tenent, sacramentum hoc non esse sacrificium, sed memoriale dumtaxat; nescio an teneant alii.

22. Picardi regi nostro scribentes tenent et docent, oportere circa sacramentum altaris simplicem tenere fidem. Picardi vero Bohemi per duodecim integra folia docent, quid circa sacramentum hoc credere oporteat.

23. Picardi Bohemi docent triplicem Christi spiritualem praesentiam; hanc distinctionem reliqui non habent, forte nec tenent.

24. Picardi Bohemi docent, quod hoc Sacramentum elevari non debeat, neque circumferri, et id genus multa contra venerabile Sacramentum evomuerunt. Quod alii Picardi Moravi non fecerunt, forte regis catholici gravem indignationem fugientes.

25. Picardi Bohemi falso citant contra Sacramentum, ut Christus non dixerit: hic vel alibi sum ego totus et vivens Christus, inclinate et orate; alii abstinent ab eo dicto.

26. Dicunt, sacramentum non debere administrari nisi fideles unanimiter, determinato tempore, sint congregati, non autem ut cuipiam hodie, alteri crastina die detur; hoc alii non tenent.

27. Picardi Bohemi tenent, quod ministri tam bene debent Sacramentum hoc accipere quam populus; tale nihil in medium proferunt Picardi reliqui.

28. Tenent Picardi Bohemi, quod Christus instituerit, ut usus panis et vini frequenter fieri debeat; hoc modo non loquuntur Picardi reliqui.

29. Docent Picardi Moravi, quotidie ad minus septies in die cadere justum; alii non docent.

30. Picardi Bohemi student Sacramenti altaris multa recitare nomina; quod tamen magis proprium et commune est in ecclesia Dei vera et orthodoxa, quae Sacramentum hoc Eucharistiam vocat, a gratiarum actione et a bona optima gratia non docent (dicunt). Hoc alii non faciunt.

31. Picardi Bohemi differunt ab aliis plurimum propter caeremonias et gloriantur, se de amictu et apparatu ministrorum nihil curare; reliqui non faciunt.

32. Picardi, qui regi nostro suae fidei rationem dedisse videntur, dicunt se tenere festa virginis Mariae, Apostolorum et aliorum Sanctorum. Picardi vero Bohemi dicunt, haec festa contraria et non placita Deo esse, imo pro idololatria habenda.

33. Picardi Bohemi per quadragesimam et alios jeju-

niorum dies non habent delectum vel discrimen sive rationem ciborum, forsitan in hoc marchioni Brandenburgensi, cui scripserant haec, placere volentes; alii non faciunt.

34. Picardi Bohemi dicunt: Cum baptizamus credentes, utimur ad hoc simplici, pura, fluviali et fontana aqua et funditur ista aqua supra pelvim in manus baptizantium. Et illi lavant sibi manus et faciem; in hoc, inquiunt, nos non multum fundamus, quod ista pars aut alia corporis sive caput, manus, pedes abluta sunt, vel quod integer homo in aquam mergi debeat; nihil tale disputant Bohemi reliqui.

35. Picardi Bohemi, qui multis gradibus reliquis abominabiliores sunt, circa baptisma puerorum sic dicunt: non utimur his caeremoniis, utpote consecratione salis et aquae, ejectione daemonis de pueris, inspiratione et per hoc spiritus sancti donatione, olei unctione, salis in os ingestione, signatura crucis. Nam hae res ab hominibus sunt excogitatae; nihil tale docent Picardi Moravi.

36. Picardi Bohemi dicunt, se vinum rubrum ponere in qualecumque vas, sive sit ligneum, figulinum aut vitreum, aliqua luminaria incendunt, nonnumquam obmittunt; tale nihil dicunt Moravi, forte dissimulando erga regem.

37. Bohemi Picardi sic dicunt: minister ministrat sine amictu sacerdotali, sine alba, sine humerali, in veste communi, honesta, non assumit ullas cruces in toto illo ministerio, datque benedictionem populo absque crucibus.

Ab his iterum cavent sibi Picardi reliqui; cuperem ego videre benedictionem hanc, quae fit sine cruce, quanquam non mereatur apud illos habere benedictionis nomen. Sed haec secta noluit benedictionem et elongabitur ab ea.

38. Picardi Moravi tenent, quod in coelibatu nemo possit sibi quicquam promereri; alii vero non tenent.

Ultimo Picardi ad regem nostrum scribentes praesumptuosissime dicunt et scribunt: Quisquis hoc suum dogma non approbaverit, is sacras scripturas, vetustos orthodoxos doctores et sanctam ecclesiam condemnaverit; nihil tale docent reliqui Bohemi.

Haec sunt quae brevi compendio intra breve tempus-

culum excerpta sunt ad hanc solam intentionem et in hunc finem, ut manifestum fieret, quibus in locis etiam nostrorum temporum Picardi, Bohemi et Moravi, inter se dissideant.

Longum autem fuerit enarrare, ut primi Picardi, quos Adamitas vocabant, dein secundi ordinis Picardi sub Vladislao rege Hungariae, et Bohemiae, ab his Picardis, qui nunc veniunt, dissenserint. Sed omnium tum praeteritorum, tum praesentium errata, haereses revera detestabiles, impias ac totis eradicandas viribus enarrare si quispiam velit aut tentet, justae magnitudinis libros procul dubio conscribere deberet. Felix doctrina: Cavete a fermento pharisaeorum, et doctrinis variis ac peregrinis nolite abduci, fiat, fiat.

Omnia quaecumque scripta sunt in hoc quaterno P. V. R^me. oblato, non aliud in se continent quam quandam concordiam per regem Wladislaum gloriosae memoriae ac alios barones et nobiles, atque civitates factam: Quomodo quaelibet pars debeat se conservare alter ad alterum pacifice, ut quilibet libere possit communicare corpus et sanguinem domini nostri Jesu Christi sub utraque sive sub una specie juxta modum et consuetudinem suam a dato concordiae factae usque ad 31. Annos duraturam, servantes sic nihilominus compactata intacta, inviolata, prout plene in suis articulis continent.

Quicumque hoc statutum sive illam communem concordiam violaverit et contra eam aliquid fecerit, debet digne per Regiam Majestatem sufficienter castigari prout Regiae Majestati libuerit.

Hoc etiam declaratum est, quomodo fecerant quandam proscriptionem inter se omnes status regni Bohemiae ut, quicumque voluerit propria voluntate uti, et statutum hoc publicum violare, contra hanc juxta proscriptionem suam debent procedere tamquam contra destructorem reipublicae, etiam si necesse fuerit, vitam et bona in periculum mortis exponere defensione horum superius dictorum.

Item sacerdotes in parochiis, qui contra hanc concor-

diam aliquid praedicaverint vel alteram partem gravaverint, debent removeri ab ecclesia et alius pacificus induci aut Regenti in potestatem debet praesentari ad castigandum.

LX.

Censura super nova apud Moravos Picardorum et cujusdam Habrawansky secta et falsa religione.
(Autor. Jo. Fabro Eppo Viennensi.)

Serenissime ac clementissime domine Rex. Ante triduum placuit S. V. M. tradere mihi quandam apologiam cujusdam Habrawansky et suorum confratrum ac seniorum. Vidi illam atque eam talem esse invenio, ut fere tot errata habeat quot folia. Sed adversus fidem veritatemque catholicam in ea sane non pauca sunt. Et quod plus mirandum est, quod in Sacramento Eucharistiae cum Boleslaviensibus Picardis nequaquam conveniunt. Et non est satis quod Picardi, qui in Bohemia sunt, a Picardis, qui in Moravia degunt, plus quam in triginta articulis dissentiunt. Supervenit jam tertia Picardorum Synagoga, quae neque sibi neque aliis constat aut similis est. Grande ac grave est, in hoc inclyto regno Bohemiae fere quotidie in fide et religione mutationes et videre et ferre. Datae sunt per Picardos bonae memoriae Vladislao regi duae confessiones, datae sunt intra biennium Regiae V. M. etiam ab eisdem binae confessiones, sed collatis inter se et his et memoratis confessionibus distant inter se quantum coelum a terra. Et hoc pessimum, quod Picardi adversus sacramenta ecclesiae et maxime contra veritatem et praesentiam corporis et sanguinis Christi de die in diem pejus et abominabilius sentiunt. Et nunc in hac Apologia, quemadmodum videbit R. V. M^tas^, authores Apologiae contra venerabile sacramentum non solum Zwinglianam haeresim docent, sed aliquoties ipsum Zwinglium suae haeresis testem inducunt. Et longum esset numerare, quomodo Scripturas sic torquent ac depravant. Omnem denique ritum catholicum invertunt, ita ut pigeat et pudeat,

cum rudibus hisce et impiis hominibus viam facere et bonas horas in eorum nugis male et perdite locare.

Et nisi mea consuetudine semper obedire studerem, illorum impias doctrinas nunquam dignarer vel digito attingere, utcumque mandatis et desiderio R. V. M^tis. obtemperare volens. Quoniam vero Apologia fere perpetuam orationem habet, unde per quaterniones libellus ille divisus est, ideo penes me constitui, quod ea quae displicuerunt et damnanda fuerint, ex numero quaternionum indicare velim et quidem brevissime. Res enim illa, quae nihil aliud quam hypocrisis et rebellio est, digna non est cum qua multa verba fieri debeant.

Exordium mox in eo reprehensibile est, quod prima verba sunt haec: Non nos homines in ecclesia christiana, tametsi a multis, secundum hunc mundum in dignitatibus constituti, in contemptum expositi sumus etc., quasi soli Picardi fere Zwingliani et non nos in ecclesia christiana simus. Et invidiose taxant superiores, quasi non ex ordinatione Dei, sed solum secundum hunc mundum in dignitatibus constituti sint. Vocant congregationem suam ecclesiam, christianorum vero collegium. Et dicunt, nos derelinquere Christum et sequi humanas adinventiones. Et totum prooemium odiosissimum est contra episcopos, sacerdotes et omnes alios, quos illi vocant primos et sublimes in populo christiano. Omnes alios praeter se christianos damnant, neque volunt esse aut dici haeretici. Haec ex quaternione A. — Ex quaternione B. Dicunt, quod quum transactis temporibus surrexerint haeretici, qui docuerint, Christum Dominum non esse filium Dei, quod illi scripserunt adversus haereticos illos; scitur autem et notissimum est, quod hi haeretici fuerint et sunt de sinu illorum. Quod si manerent in Ecclesia Dei, non oporteret tantas contra Christum, imo contra Trinitatem audire et sustinere blasphemias. —

In eodem quaternione et secundo folio praedicant et multis verbis extollunt solam fidem.

Item in eodem folio dicunt, quod post ascensionem Christus personaliter jam sedet in dextera Dei, et descendere

non possit inde usque ad diem extremi judicii. Quasi mentiatur Paulus, qui testatus est, sese vidisse dominum, et quod dominus apparuerit illi. Nec intelligunt scripturam, quam de duobus angelis citant. De qua re in uno alio libro, qui nunc sub proelo est.

Item allegant pro se et contra sacramentum altaris locum Matthaei 24. c., ubi legitur: Cum dixerint vobis: Ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere. Et non attendunt cocci homines et duces coecorum, quod Christus quasi per prophetiam praedixerit, quod essent futuri et exsurreeturi pseudochristi; non dicit pseudochristiani, sed pseudochristi, id est falsi christi, quales fuerunt Judas a Galilaea et Theodas, quorum uterque se Messiam et Christum esse pradicaverunt. Sic antichristus ab *αντι* i. e. contra. Nam contra Christum Jesum dicit sese esse Christum. Et Judaei Messiam exspectantes licet frustra saepe, utpote in Babylone prope Venetias praedicaverunt Messiam esse conceptum. Contra hos pseudochristos sese jactare praesumentes esse Messiam, voluit nos praemonere Christus dominus et salvator noster, ne credamus, si quis Judaeorum aliquando dixerit: Ecce Messias i. e. Christus natus est in Mecca, et alius: ipse natus est in Babel; nec nos credimus aut alium Christum quam Jesum et hunc crucifixum praedicamus. Neque est Christus alius in coelo, quam is qui est in manu sacerdotis et quidem unicus, propterea istorum Picardorum appellatio, quam ex Zwinglio suxerunt, nihil valet.

In eodem quaternione et folio tertio malefaciunt, quod vocant ecclesiam communem, sed forte propterea quia nesciunt, indocti illi homines, quare nos credamus ecclesiam sanctam catholicam, quid sit graece catholica, et quomodo dicatur a *καια* et *ὁλο* graece i. e. secundum totum. Propterea cum synagoga illorum non communicat cum universali ecclesia, per totum terrarum orbem christianum diffusa, non meretur dici ecclesia catholica. Quia synagoga illorum est pars partialis, secta et divisa a toto corpore Christi, i. e. ecclesia catholica. Et sicut qui diluvii tempore fuerunt extra arcam Noe, omnes perierunt, ita qui non manent

in ecclesia, quae est domus Dei viventis, peribunt omnes.

In eodem quaternione dicunt, quod soli praedestinati et electi faciant ecclesiam, et excludunt peccatores omnes. Hoc autem dicunt impie et quod scripturam palam non intelligunt. Nam Paulus dicit: ut exhiberet sibi ecclesiam sine macula et ruga. Et non dicit, ut sit sine macula et ruga, sed aliquando i. e. in alio mundo talem velit exhiberi ecclesiam, quae sit sine macula et ruga. Quippe quod in ecclesia sint boni et mali, docuit Christus in area, in qua triticum est, sunt et in ea paleae. Item docuit in parabola de prudentibus et stultis virginibus. Docuit hoc ipsum Christus in parabola de sagena maris, in qua boni pisces ac mali et putres sunt. Sed pudet me cum hominibus tractare scripturam nescientibus. Nam ad hoc propositum in quaternione C. stupidi illi homines et indocti, semper discentes et nunquam ad viam veritatis venientes, allegant pro se, quod Joannis 9. legitur: Deus peccatores non exaudit. An non sunt docti homines et in evangelio bene eruditi? Hoc dixit Judaeus nondum inunctus. Et ipsi Picardi scripturam hanc producunt quasi evangelicam et evangelica veritate dignam. Nam etsi Judaeus ille ad Judaeos loquens dixerit: Deus peccatores non exaudit, tamen quod ille dixit, verum non est; siquidem peccatores exaudit. Si peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens et pectus suum percutiens diceret: Deus propitius esto mihi peccatori. Et ista confessio meruit justificationem, quemadmodum iste coecus illuminationem. Quod si Deus peccatores non exaudit, quid de latrone sentiemus? Et hodie qui dicit se peccatum non habere, mendax est. Et adhuc quotidie oramus: pater dimitte nobis dibita nostra. Et: peccatores, te rogamus audi nos! Sed homines illi digni non sunt audire verba Dei, quoniam perpetuo adulterant ea.

In quaternione C. sub VI. articulo docent quod omnes christiani baptizati sint sacerdotes ex aequo. Nam in Apocalypsi legitur: Fecit nos reges et sacerdotes. Et in Petro:

Vos genus electum, regale sacerdotium. Et miseri homines non intelligunt, quod Exod. 19. dominus eadem verba dixit ad omnes filios Israel. Et nihilominus non elegit nec habuit sacerdotes alios de 12 tribubus, nisi qui fuerunt de tribu Levi, ex qua venit Aaron. De qua re Malachiae primo. Sed Picardi illi aeque ac tales sacerdotes sunt quales reges. Nesciunt miseri et indoeti homines quid velit Apostolus; haec per allegoriam dicta sunt.

Sub quaternione C. et septimo articulo citant Augustinum in libro de vita christiana, ut suam imperitiam notam faciant. Nam Augustinus non scripsit unum sed quatuor libros de doctrina christiana. — In eodem articulo et quaternione damnant unctionem sacerdotum, et quod caput rasum habent. Quasi frustra legatur de unctione Aaron, Eliazar et Itamar. Hoc argumentum aeque vadit contra inunctionem regum. Ubi ergo manet quod Samuel unxit Saulum in regem in lenticula olei, et quod David unctus est in cornu olei. Unde sic in psalm. legitur: Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lactitiae prae consortibus tuis. Quod oleum extrinsecum si nihil valet, dicant mihi, cur adhuc quando Apostoli conversabantur, (Marc. VI) ungebant oleo.

Damnat monachos et omnes qui uncti sunt chrismate et oleo sancto.

In octavo articulo volunt probare homines illi, quod in novo testamento non possit esse neque sit summus pontifex, sed quod omnes sint aequalis potestatis. Et dicunt sic quod in veteri testamento omnes qui fuerunt de semine Aaron, fuerint aequalis potestatis.

Et in officio sacerdotali nullus erat supra alium. Mirum quod indocti homines audent talia dicere, cum tamen centies inveniatur, summum sacerdotis officium longe praestantius fuisse, quam aliorum sacerdotum, et propterea hebraice dici cohen gadol, i. e. Sacerdos magnus, Graece autem ἀρχιερεύς i. e. princeps sacerdotum. Inde deuteron. praeceptum est, ut omnes obedirent sacerdotis imperio. Inde sunt civitates fugitivorum, ex quibus non licet fugitivum

exire, nisi quando moriebatur sacerdos magnus. Inde solus summus sacerdos et pontifex semel in anno intrabat sancta sanctorum. Quod si paris potestatis fuere in veteri lege sacerdotes, quomodo ergo Herodes convocavit principes sacerdotum? Et quomodo toties in evangelio legitur, quod Christus locutus fuerit principibus sacerdotum? Non poterant aut dici aut esse principes sacerdotum, si aequales erant. Et quid dicam? Nec levitae, quorum in templo tempore Solomonis erant triginta duo millia, paris potestatis erant. Falsum est ergo et contra scripturam, quod hic docuerunt. Et haeresis est Ariana, damnata in Nicaeno concilio, qua dicebatur, quod episcopi, sacerdotes et diaconi essent paris et aequalis potestatis. Faciunt etiam ex mulieribus sacerdotes. —

In octavo articulo circa finem dicunt, quod Christus nunquam oraverit in templo, per quod probare volunt, si Christus non oravit in templo vel in ecclesia, ergo nos quoque non debeamus orare vel in templo vel in ecclesia. Sed indoeti illi Picardi debebant reprehendere Apostolos, qui regressi Jerusalem erant in templo laudantes et benedicentes deum. Debebant prohibere Petrum et Joannem, qui ascenderunt in templum ad horam orationis nonam, seu potius reprehendant Christum recitantem parabolam de duobus hominibus ascendentibus in templum ut orarent. Insuper Luc. 2: Cum parentes Domini Jesu quotannis ibant in Hierosolymam in die festo paschae, et duodecim annos cum haberet Christus, etiam secundum consuetudinem diei festi ivit Jerusalem. Quaeritur a Picardis, quid fecerint in templo, qui ter in anno coacti fuere, apparere coram domino. An non oraverint? Vel respondeant, quare dixerit Christus: Non veni solvere legem sed adimplere, si non oravit in eo loco, quem ad orandum elegit Dominus.

In quaternione C. et nono articulo docent, quod liberum sit etiam mulieribus praedicare, quasi frustra praeceperit Paulus dicens: Nemini cito manus imponas. Et iterum: mulieres in ecclesia loqui non permitto. Ecce Paulus de tertio coelo rediens prohibet, ne mulieres in ecclesia prae-

dicent. Et Habrawansky librum facit non modo viris omnibus, sed et mulieribus, contra id quod dicit apostolus: Mulieres in ecclesiis taceant.

In eodem articulo dicunt, quomodo docendi sint pueri, ut sciant orationem dominicam et articulos fidei, sed de Mariae salutatione nihil dicunt; sine dubio pro Picardico more parum de salutatione angelica curantes.

In quaternione C. et sub decimo articulo negant sacrificium vel oblationem in sacramento altaris contra Danielem, Malachiam et infinitas propemodum scripturas de jugi sacrificio Missae. Item tenent, quod nullus Apostolorum sacrificasse legatur. Sed quia Habrawansky saepe in hoc tractatulo pro se citat Erasmum Roterodamum, tunc objicio illi in hoc puncto eundem Roterodamum in actis Apostolorum cap. 13., ubi sic legitur: Erant quidam in ecclesia, quae erat Antiochiae, propheta ac doctores, Barnabas et Symon, qui vocabatur niger, et Lucius Cyrenensis et Manahen, qui erat Herodis Tetrarchae collactaneus, et Saulus. Cum autem illi sacrificarent domino, ecce hic Barnabas et Saulus sacrificarunt, id quod graece *λιτουργιαν* fecisse leguntur. Quod enim nos Hebraice missam dicimus, graeci *λιτουργιαν* vocant. Non sacrificarunt Cereri vel Baccho vel Jovi vel Apollini, sed sacrificarunt domino, sicut hodie per totam ecclesiam quotidie in sacramento altaris offerimus et sacrificamus deo patri secundum ordinem Melchisedech.

Tenent ibidem, non esse in scripturis nisi sacrificium laudis, quasi frustra legatur in psalmis: tu sacrificabis sacrificium justitiae.

In undecimo articulo iterum facit omnes christianos sacerdotes, quasi Christus in coena novissima mulieribus etiam, non solis Apostolis dixerit: Hoc facite in meam commemorationem.

Item dicunt, quod in ecclesia nemo major nec minor est, quasi frustra Christus dederit dona hominibus, alios quidem Apostolos, alios Evangelistas, et quasi inter Apostolos duodecim et discipulos septuaginta, quos etiam elegit dominus, penitus nullum discrimen fuerit.

Item docent, magnum esse discrimen inter christianum

et filium Dei, quasi christiani non sint in adoptione filiorum Dei. Notum est ex Paulo, quod hi, quicumque spiritu Dei aguntur, ii filii Dei sunt. Et propterea ad Galatas scribit Paulus: Omnes filii Dei estis, nec sumus ancillae filii, sed liberae, et in hoc vocati, ut filii Dei simus et nominemur. Nunc ergo sumus filii Dei. Sed forte nesciunt homines illi, ubi christiani primum suum nomen acceperunt et quem hominem vere christianum dicere possimus.

Item damnant presbyteratum, et (docent) quod omnes homines quoad sacerdotium sint paris gratiae; quasi frustra scripserit Timotheo Paulus dicens: Noli negligere gratiam, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii; et iterum ad Titum: Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ordinares presbyteros per omnes ecclesias, sicut ego ordinaveram. Quod si in insula Cretae, sicut Picardi docent, omnes erant ex aequo prebyteri, quid necesse fuit, ut Paulus Cretae relinqueret Titum ea duntaxat ratione, ut singulis civitatibus suum ordinaret episcopum. Quod si in Epheso omnes aequaliter fuerunt episcopi ac sacerdotes, quare ergo a Mileto Paulus ad se accersivit presbyteros? Falsum est ergo quod Picardi docent, viros et mulieres ex aequo sacerdotes esse. De Episcopo et Episcopis bene legimus in scripturis, sed nihil unquam de Episcopa et Episcopabus, quales Habrawansky facit.

In undecimo reprobant caeremonias, quae fieri solent in consecrationibus episcoporum et in ordinatione sacerdotum, quasi Christus non fuerit usus ceremoniis, quando insufflavit in Apostolos ac dixit: Accipite Spiritum sanctum, et quasi Paulus sine caeremonia sacerdotibus imposuerit manus.

Item nihil tenent neque tenere volunt, nisi quod expresse in sacra scriptura contentum et expressum est, qui quidem error maximus est. Nam etsi Paulus multa et varia circa sacramentum Eucharistiae scripserit, cum tamen omnia perscribere non posset, vel forte non vellet, tunc in fine sic ait: Caetera, cum venero, disponam vobis. Hic mihi respondeant, si quid possunt, Valdenses, ubi sint reliqua in scriptis, quae Corinthiis juxta promissionem Pauli circa sa-

crementum Eucharistiae a Paulo disposita sunt. Vel quare Paulus scribit ad Thessalonicenses: Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam. Nam haec verba clare probant, etiam ea tenenda, quae verbo docuerunt Apostoli.

In articulo duodecimo dicunt, quod Apostoli ad hoc solum ordinati fuerint, ut praedicarent verbum, quod tamen falsissimum est. Nam Petrus non solum praedicavit sed baptizavit, baptizavit Philippus, baptizavit et Paulus. Et hoc quod verba Christi non solum dicunt: „Euntes docete omnes gentes," sed adiectum est: baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti.

Et Jacobus in canonica sua: si quis infirmatur in vobis, inducat presbyteros et ungant vos oleo sancto, orantes etc.

Item reprobant in illo articulo omnes traditiones ac constitutiones humanas, non intelligentes quid, de quo dicant.

Item in articulo XIII. dicunt, quod sacramenta novae legis non conferant gratiam. Et inducunt auctoritatem Philippi Melanchtonis, qui tamen hunc errorem revocavit. Et ad hoc citant Paulum Apostolum dicentem: Circumcisio nihil est et praeputium nihil est, quasi sacramentum baptismi sit praeputium et frustra dixerit Paulus: Quicumque baptizati estis, Christum induistis. Nesciunt terminos grammaticos, et volunt disserere de tantis rebus et mysteriis.

Item indoctissime ac impiissime tractant quod scolastici dicunt, sacramentum esse sacrae rei signum. Quod si legissent Aurelium Augustinum in secundo libro de doctrina christiana cap. I., melius et doctius noscerent loqui de hac re, sed coeci illi homines, quo melius errorem suum defendere possint, ecce citant pro se fratres Boleslavienses et Bradislavienses etiam in sua Apologia, sed coecus si coeco ducatum praestat, nonne ambo in foveam cadunt? Citant et pro se Udalricum Zwinglium haereticum, qui omnia sacramenta damnavit.

Item in eodem XIII. articulo circa finem damnant omnes benedictiones, exorcismos, catechisationes, abrenuntiationes et alia. Quasi haec mala sint et non fuerint etiam

temporibus Apostolorum, quemadmodum S. Ignatius Martyr et Episcopus Johannis Evangelistae discipulus docuit.

Errant et ibi, nescientes, quid intersit inter baptismum Joannis et baptismum Christi et Christianorum. Errant, non intelligentes quid sit quod Augustinus ait: Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum. An baptizent pueros oportet interrogare.

In decimo quarto articulo de sacramento corporis et sanguinis Christi dicunt, quod aliqui doctores appellent sacramentum hoc signum, alii figuram, alii symbolum, sed omnes communiter appellent panem. At dicendum est, quod bene verum est: Haereticus Berengarius vocat Eucharistiam signum, Oecolampadius haereticus figuram, Zwinglius haereticus symbolum. Sed catholici doctores vocant sacramentum hoc eucharistiam, εὐλογιαν, synaxin, viaticum, communionem, vitam et panem vitae. Picardi vocant hunc panem pistorium et materialem, catholici vero vocant hunc panem cum Christo panem vivum, panem coeli, panem angelorum et panem supersubstantialem. Haeretici Picardi vocant sacramentum calicis, vini, catholici vero vocant calicem vini et sanguinem Christi.

Reprehendunt Picardi hic quod Romani nominant hunc panem corpus Christi, nescientes scripturas et non intelligentes Paulum, qui corpus Christi propterea panem vocat, quia panis de coelo est. Et non ea ratione, quasi post consecrationem sit et remaneat panis, sed iuxta consuetudinem scripturae, qua in transmutatione rerum saepe priora nomina tenet. Sic in veteri testamento legitur quod virga Moysis devoravit virgas Magorum. Et in novo testamento dicit Evangelista: Loquebatur autem mutus, non qui tum mutus erat, sed fuerat, sic vidit coecus, id est qui coecus fuerat. Et hoc modo Christus ingressus est domum Simonis leprosi.

Dicunt hic quod fratres Boleslavienses, quos aliqui Picardos appellant, circa sacramentum corporis et sanguinis Christi in quibusdam locis eodem modo sicut Romani credunt. Ergo tunica Christi inter Picardos scissa est et divisa; sed quae conventio Christi cum Belial? Tenet una

synagoga, una schola Valdensium, vere ac verum corpus Christi esse in sacramento altaris, et altera negat, nonne securius esset remanere et sentire cum ecclesia catholica?

Item ibi et aliquoties tractant, quomodo Christus sedet a dextris Dei, nescientes quid hoc sit, sedere ad dextram patris esse in aequali gloria et maiestate cum patre iuxta verbum Pauli; sed imaginantur illi sic sedere Christum ad dextram patris instar alicuius hominis, et quasi clavo affixus sit. Sed quid interim dicemus quod protomartyr ille Stephanus vidit coelos apertos et Jesum stantem a dextris Dei?

Dicunt insuper, quod quae hic de corpore et sanguine dicta sunt, per tropum dicta sint, et allegant pro se Martinum Bucerum Strasburgensem, illum magnum haereticum et apostatam, etiam Udalricum Zwinglium, ob haereses suas igne combustum; aliquando cum christianus esset, erat mihi notissimus.

Circa XVIII. articulum itidem facit de diebus festivis, cibariis, locis et indumentis ut prius. Nisi quod addit de observatione ieiuniorum, quod ieiunium quadragesimale et alia ieiunia non debeant habere certa tempora. In quo peccant contra catholicam ecclesiam, quae a temporibus Apostolorum hucusque ad nos quadragesimam et quadragesimale ieiunium pie observavit. Et autores Apologiae hic magnum dolum committunt. Citant enim textum Augustini in capitulo ieiunium de consecratione distinctione V. Et quam primum veniunt ad verba quadragesimae, tacent; praecedentem quoque textum de quadragesima dolose ommittunt.

Insuper citant Isaiam, sed nihil ad propositum.

In XIX. articulo tractat quid sit haeresis et qui sint haeretici, iterum non intelligentes quid et de quo dicat. Nam qui sentit contra consensum omnium christianorum et totius ecclesiae catholicae unionem, ille vere haereticus est. Secta haec nova non solum contraria est ecclesiae catholicae, sed et aliis Picardis omnibus, quare merito haeretica censeri et prohiberi debet. Nam si hoc in viridi faciunt, in arido quid fiet; si tantas blasphemias et ineptias publice edi et imprimi fecerunt, in abscondito quid faciunt contra imagines christianorum et in aliis rebus?

Item perpetuo clamant contra traditiones, leges et statuta hominum, quae res rusticanam seditionem movit. Propterea in tempore cavendum et proveniendum est malo, ne tandem sub hypocrisi et specie boni tale quid in Moravia, quod avertat Deus, contingat. Vult probare, quod leges humanae omnes sint vanae, et quod christiani propterea quod audiunt homines et humanas aliquando leges, Dominum Deum audiant dicentem: Sicut olim in Judaeos, ita nunc in christianitatem omne malum immittit. Ex parte corporis aerem siccum et corruptum, defectum in frumentis ac ex his famem, varias infirmitates, discordias, rixas, invidiam, homicidia et valde gravem victum, circa omnes actus vitae necessitas.

Et hic pseudo- id est falsus propheta se fingit alterum Agabum prophetam, qui novit tempora et momenta famis et inediae. Quasi hoc anno Deus non dederit fruges terrae nec homines a fructu frumenti, vini et olei, ut in psalmis est, multiplicati sint; debuerat ille discere quod de patre Christus ait, scilicet Pater qui in coelis est, solem suum facit oriri super bonos et malos et pluit super justos et injustos.

Autor pretensae Apologiae iterum pro sua consuetudine citat Paulum Volsium, qui Zwinglianus est et Argentinae vivit. Consuevit ut video homo negligere Dei homines et doctores, qui spiritu sancto inspirati loquuti sunt et proprio sanguine fidem Christi et ecclesiae suae confirmarunt. Zwinglium, Bucerum, Volsium et alios religionis veterum ordinis et fidei apostatas vocat in testes. Aequalibus enim natura gaudet, et similes habent labra lactucas. Sed video, autor latinus non est, nec latinam linguam didicit, propterea meliores auctores legere non potest, minus intelligere. — Et quascunque praedicationes facit, has ex duernionibus et quaternionibus facit, et ex depravata mala et falsata biblia. Et quod ille laicus praedicare praesumit populo, detestabile est, et contra Paulum. Quomodo enim praedicabit, inquit apostolus, nisi mittatur, prophetas utpote Moisen et alios misit Deus. Apostolos elegit et misit Christus, sic enim ille ait: Nonne ego elegi vos; et elegi vos ut eatis et fructum

afferatis. Et iterum: sicut misit me vivens pater, sic mitto vos. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Sic apostoli miserunt apostolicos viros. Et ipse Paulus segregatus in Evangelium Dei per Christum mittitur ad Ananiam in Damascum, ut discat ibi quid oporteat eum facere. Et ipse Paulus propterea Jerusalem venit ad Petrum et alios apostolos, ut intelligeret, num recte praedicaverit Evangelium Christi. Paulus misit Timotheum et Titum, Apostoli miserunt Petrum et Joannem in Samariam, miserunt et Barnabam ac Sylam in Antiochiam. Et per totam ecclesiam catholicam observatur, ut praedicare nemo possit, nisi per Episcopum probatus et admissus fuerit. Solus ille doctus Habrawansky, qui cum Magdalena non multo tempore sedit ad pedes Domini ut audiret verba illius, praedicat evangelium, et vult esse magister antequam sit discipulus. Pertinebat ad illum videre in Evangelio, quod Apostoli conversati fuerunt dies ac noctes cum Christo per tres ac dimidium annos continuo et adhuc audiebant in fine dicentem dominum: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem, et suggeret vobis omnia quaecumque diximus vobis. Debebat cogitare quod ipse non, quemadmodum Timotheus, ab infantia didicerit sacras literas. Sed quemadmodum audio saecularibus negotiis intentus apud praesides et iudices rabulam forensem egit. Et forsan in hoc linguam venalem habuit.

Theologia autem scholam propriam habet quam nemo facile et perfecte apprehendit, qui maternae et vernaculae linguae duntaxat peritus est, et e solis duernionibus et quaternionibus haereticorum studere cogitur. Circa finem in haec verba loquitur: Non statim quod principes et seniores populi faciunt secundum sua officia, debemus illa ita ratificare, ut ea quoque Christus habere voluerit; vel secundum eorum verba vel ex voluntate, ordinatione divina, praecipue cum sub velamento justitiae et legis nostram exercemus tyrannidem, sub praetextu religionis providemus lucrum nostrum, sub nomine defensionis ecclesiae providemus assequi dominium saeculare.

Sed haec verba et haec doctrina atque his similia documenta quid aliud faciunt boni quam seditionem et rebellionem in populo contra principes et potestates. Et quantum prodest mus in pera, ignis in gremio et serpens in sinu, tantum proderit huiusmodi sectatores et sectas pati et tolerare. Redit in fine iterum ad observationes ecclesiae et dicit in haec verba per ironiam:

Nec, inquit, contrarior quod alii piscibus victitant, alii pulmentis et oleribus alii, sed hoc dico quod maxime errant isti, qui more Judaeorum ex istis existimant se assequi justitiam, et qui talibus mendaciis ab hominibus excogitatis super alios se extollunt. De delectu ciborum Christus nihil praecepit nec Apostoli. Verum et s. Paulus saepe ab isto retrahebat, et malitiosam distractionem Christus condemnabat, apostolicae epistolae rem minus convenientem manifestant. At nos non in his volumus videri esse religiosi.

Sed ut semel finiam, fere totum quod in hac Apologia est, erroribus, haeresibus, impietatibus et seditionibus plenum est. Propterea justo judicio damnari supprimique debet liber et dari ordo, ut haec nova Picardorum secta non serpat latius. Id quod sine dubio S. V. M. cum suis prudentissimis consiliariis, ecclesiam et fidem catholicam et evangelium Christi diligentibus, probe et opportune faciet; potuissem et adhuc possem multo profusius has impietates refutare. Sed quoniam a R. M. V. non erat injunctum, ideo brevitati studere volui. Et his me commendo tanquam humillimum et semper obedientem capellanum. —

Circa hunc articulum fere omnia Zwinglii argumenta inducunt ad propositum hoc quod Christus non potuerit unquam nec possit hodie uno et eodem tempore esse in diversis locis. Et videntur accedere ad impietatem Oecolampadii, qui Zwinglii socius erat, qui et docuit, quod Christus post resurrectionem non venerit ad discipulos suos nec intraverit, cum fores essent clausae, sed primum intraverit quando januae fuerunt illi apertae, tunc primum intraverit et postea clausae fuerunt januae, quasi etiam Christus non potuerit surgere clauso sepulchro. Has et alias blasphemias

Zwingliani habent. Et ille seductor non videt quod uno et eodem die resurrectionis Christus fuit in diversis locis.

Item tenent, quod sacramento non debeat cultus et honor fieri. Jam argumentantur et dicunt: Assumptus est in coelum, ergo non est apud illos nec visibiliter nec invisibiliter. Cui repugnat quod ipse Christus et ipso die, imo ea ipsa hora et hoc ipso momento, quo assumptus est ab apostolis, dixit ad apostolos: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Num plus credendum est Christo et ejus ad apostolos ultimo verbo, quam Picardo impio? Nolo hic commemorare, quae de hac re Christus suis praedicavit apostolis in coena novissima.

Item quando Christus in coena dixit: hoc est corpus meum, hoc est: id est significat corpus meum. Ergo quando vox patris ad Jordanem et in monte Thabor audita est dicens: hic est filius meus dilectus: Intelligemus hic: est, id est significat filium meum dilectum.

Item dicunt ibi de pascha, quod phase significet transitum, et miseri homines volunt ex proprio capite declarare scripturam et interim non vident quod hoc ipsum fecerit Paulus dicens: Pascha nostrum immolatus est Christus.

Dicunt illi quod Christus in his, quae instituit, semper per similitudinem loquutus sit. Quare si hoc verum est, ad quid ergo valet Baptismus et quare Picardi etiam per veram ac realem et elementalem aquam baptizant? Quod si staret haec regula, tunc pater in divinis non esset pater, filius non esset filius, nec spiritus sanctus esset spiritus sanctus.

Quod si omnino legendum est, hoc est corpus meum, id est figurat vel significat corpus meum, ergo figura et umbra pro nobis tradita est. Et quia dixit quod pro nobis tradetur, sic ergo Manichaei erimus et dicemus, Christum non habuisse verum sed phantasticum corpus. Et hoc quod de corpore dicitur, hoc etiam de sanguine dicetur. Sed quod dicunt de Elia et Joanne, non intelligunt, nam quando Christus ait de Elia, quod Elias venit, intelligitur quod Elias non in persona sed in virtute venit.

Item dicunt quod sit memoria duntaxat corporis et sanguinis et non advertunt, quomodo dixit Jesus: hoc facite in meam commemorationem, quasi veritas cum memoria subsistere non possit. Et nondum didicerunt quod agnus paschalis vera victima fuit et nihilominus memoriale.

Item aliquoties dicunt quod hoc sacramentum non sit corpus Christi, sed figura corporis Christi et propterea differat a corpore Christi, sintque duo ac diversa; sed indocti illi homines non vident quod Apostolus ad Hebraeos primo dicit, filium esse figuram substantiae patris. Quod si hic filius est alterius essentiae et substantiae quam pater, ergo in divinis sunt duae diversae essentiae et duae diversae substantiae et sic duo Dii et non unus Deus.

Quod vero allegant pro se contra sacerdotes et monachos, ut illi dicant Collectam de corpore Christi, non video quonam pacto suffragari possit oratio haec, quae dicit: Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Nam collecta dicit de sacramento mirabili. Quod si nihil aliud, quam panis et vinum est in illo sacramento, non dicitur vere mirabile sacramentum. Nemo enim de pane et vino miratur, nec est contra nos quod collecta dicit: Corporis et sanguinis sacra mysteria. Pro nobis ergo et contra Picardos est collecta haec. Quod vero allegant Tertullianum dicentem: hoc est corpus meum, id est figura corporis mei, nihil contra nos, quoniam etiam filius est figura substantiae patris, et interim tamen manet una essentia. Sic in coena novissima unum atque idem erat corpus, quod sedebat in mensa cum apostolis, et quod erat ac ferebatur in manibus Christi.

Item allegant pro se Augustinum et Hieronymum et nescire se simulant quod in sexcentis locis Augustinus et Hieronymus praedicarunt et scripserunt, corpus et sanguinem Christi vere esse in sacramento altaris; et quod per sacramentum hoc daemones expulsi sunt multi et praeclara facta miracula.

Quod vero Erasmum pro se citant, mirabile est, quod homines illi fingunt se nescire, quomodo Erasmus scripserit in hac materia contra Zwinglium et Oecolampadium. Si per longum confutatio locum habere posset, jam in promptu esset, omnia illorum vana argumenta possent solvi, quemadmodum Zwinglii, ex quo haec omnia habent, dudum soluta sunt.

Ridet et rejicit quod aliqui communicant sub una, aliqui vero sub utraque specie, quodque sacramentum hoc offeratur pro vivis et mortuis et ab utraque parte asseritur esse corpus et sanguis Christi, cum tamen, inquit, pro se et sua opinione ac sensu nulla authoritas scripturarum illis suffragetur, duntaxat habeat summos pontifices, episcopos et aliquos doctores, etiam aliquos in magna dignitate constitutos regum, principum et baronum. Quod dictum valde temerarium est. Nam ut est in Matthaeo, Marco, Luca et Paulo, quid potuisset expressius dici a Christo, quam: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, et: et hic est sanguis meus novi et aeterni testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum?

Ceterum quid expressius dici poterat in synagoga Capharnaitarum, quam hoc: panis, quem ego dabo, caro mea est? Et quis crederet unquam, hoc sensisse Paulum, quod in coena novissima Christus nonnisi materialem panem et vinum de vite dederit, et propterea dixerit et pronuntiaverit, indigne accipientem esse reum corporis et sanguinis domini, et sibi manducare judicium, id est damnationem aeternam? Inquit Paulus: panem, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est; et calix, cui benedicimus, nonne participatio sanguinis Christi est? Quod si panis est in Sacramento altaris, ergo panis pistorius traditus est pro nobis. Quod si vinum est, ergo vinum effusum est pro nobis, et nequaquam pretiosus sanguis Christi in remissionem peccatorum.

Docet nova synagoga, quod, qui docent, Christum esse duntaxat significative in sacramento, bene docent; sed libenter velim audire scripturam et videre doctorem aliquem,

ubi ab ascensione Christi sophistico modo legeretur: hoc est, id est, significat corpus meum.

Confidenter gloriantur, se non sequi multitudinem aut consuetudinem Christianorum in hoc sacramento. Sed velint suam et praedictam opinionem sequi et primitivam ecclesiam, quasi primitiva ecclesia pro eis et non contra eos sit. Et multis verbis rejiciunt consuetudinem ecclesiae circa communionem.

Iterum circa finem XIIII. Articuli contendit, panem non esse corpus Christi, et allegat pro se Paulum dicentem: unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane edimus et calice participamus; cum tamen sicuti videre licet in omnibus exemplaribus graecis, Paulus hic nihil de calice dixit, sed haec sunt illius verba: Unus panis et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. Ille vero panis supersubstantialis, quem graeci ἐπιούσιον vocant, de quo in Luca.

Insuper in XV. Articulo in quaternione C. multa dicit, sed pauca probat de triplici pane spirituali et invisibili Christo et quod ille panis non possit esse in sacramento. Sed nescit homo ille, quomodo catholici dicunt, Christum in sacramento altaris esse visibilem, sed invisibili modo, hoc probant etiam miracula facta temporibus Cypriani, Augustini et Gregorii Magni. Et quicquid hic dicitur, praeter et contra scripturam etc.

Citat hic dictum domini dicentis: caro non prodest quicquam. Id quod etiam fecit Zwinglius, et procul dubio Zwingliani ad confirmandam impietatem suam darent decem millia florenorum, quod Christus dixerit: Caro mea non prodest quicquam; sed Christus hoc non dixit, sed haec sunt illius verba: Caro, id est carnalis intellectus, carnale desiderium et vita carnalis, non prodest quicquam, si enim secundum carnem vixeritis, inquit apostolus, moriemini.

Somnium praeterea dicit, quod antiqui Doctores de sacramento tenuerint id quod ipse doceat; nam inter mille unum Irenaeum.

Videant hic Picardi Moravi, quid dicant de doctoribus

primitivae ecclesiae. Ego produco doctorem, qui fuit discipulus discipuli Joannis Evangelistae, Polycarpi scilicet, Episcopi Smyrnensis, manifeste docentem, quod Christus ex pane, qui creatura fuit, fecit corpus suum. Et similiter ex vino secundum nos creatura suum sanguinem fecit, et confessus est. Docet insuper et probat per Malachiam, prophetam ultimum, quod Apostoli dederint ecclesiae ad offerendum in universo mundo. Neque contemnendus est auctor ille; nam posteaquam sub temporibus Apostolorum Photinus, primus Lugdunensis Episcopus, martyrium passus est, tunc communi voto orientalis ecclesiae et maxime de consensu discipulorum Joannis Evangelistae missus est ex Asia in Galliam. Ergo falsum est, quod hic contra sacramentum ex doctoribus antiquis somniant malevoli persecutores Christi in sacramento altaris. Quodsi pergerem, reliquas sanctorum doctorum autoritates adducere, dies me deficeret.

In XVI. Articulo tractat de templis et ecclesiis christianorum dicens multa contra ecclesias Christianorum inania et contra scripturam, quasi peccaverint Apostoli, qui post ascensionem domini regressi sunt in Jerusalem et semper erant ibi laudantes et benedicentes Deum. Quasi denique male factum fuerit, quod Petrus et Joannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam, et quod Apostoli diluculo venerunt ad templum ita jubente angelo, et quasi fuerit abominatio temporibus Pauli ecclesia, in qua convenerunt Corinthii. Quodsi Picardi viderent et evolverent ecclesiasticam et tripartitam historiam, invenirent, quod in primitiva ecclesia per totum orbem terrarum undique pro christianis tum fuerunt exstructae ecclesiae; et illorum soli Picardi, genimina viperarum, abhorrent loca sacra. Quibus tamen omnes imperatores et reges catholici sub gravissimis poenis prohibuerunt conventicula sua.

In hoc articulo scribit Habrawansky sine sensu, sine dono linguarum, et vere indoctus, qui vult esse Magister, et nunquam fuit vere discipulus. Scribit, inquam, in haec

verba: Veluti Christus tempore peregrinationis suae in corpore mortali, ita Apostoli cum omni primitiva ecclesia nullum cultum aut servitium in exterioribus caeremoniis peregerunt. Sed quam falsum et ementitum hoc sit, undique sacra docet evangeliorum historia. Vix enim Christus unum ac alterum sine caeremoniis edidit miraculum. Tangit manu sua leprosum, tangit manum febricitantis socrus Petri, tangit pheretrum mortui, tangit linguam muti, immittit digitum in aurem surdi, scribit in terra, lutum facit ex sputo, linit oculos coeci, insufflat in discipulos, et annus me deficeret, si caeremonias Christi recensere voluero. Sed forte Picardi putant, Christum sine caeremoniis in die, quem Palmarum dicimus, venisse Hierosolymam, et quod sine caeremoniis fuerit sanctissima haec et humillima pedum discipulorum lotio, quando surrexit a coena dominus et posuit vestimenta sua, linteo praecinxit se et misit aquam in pelvim.

Jam de Apostolis quid dicam? Hoc unum brevitatis causa dixisse volumus, quod Paulus ille sudaria et semicinctia sua super aegrotos poni fecit. Sed pudet tam manifestum mendacium oportere convincere.

In 17. articulo et in quaternione C. dicunt, quod diebus, quos nos festivos vocamus, possent laborare et quod omni tempore esculenta omnia liceat edere, in quo pejores sunt omnibus schismaticis Georgianis, Nestorianis, Jacobitis, Ruthenis, Moscovitis, qui omnes tempore jejuniorum abstinent ab esu carnium, quemadmodum a primitiva ecclesia usque huc observatum est. Et bis falsat scripturas in hoc loco, mirabiliter inferens, quasi Paulus dixerit, quod si quis observet aliqua externa opera, Christus ei nihil proderit, et tamquam falsarius inducit Paulum. Pauli autem verba de circumcisione sunt. Sic enim ait Paulus apostolus: Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Falsat insuper pro esu carnium sententiam Pauli dicentis: „Omnia munda mundis,“ omittendo studiose hoc verbum: „mundis,“ non ignorans, neminem posse dicere: mundum est cor meum et absque peccatis sum.

False etiam interpretatur, quod Romanis et Corinthiis

scribit apostolus docens: Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in aeternum.

LXI.

Summarium impiae et pharisaicae Picardorum religionis. (Cod. Viennens. Cat. 967.)

Picardorum falsa et abominabilis religio.

Picardi nullas habent ecclesias, sed in prophanis domibus conveniunt, semper discentes et nunquam ad viam veritatis pervenientes.

Item unusquisque de plebe, qui loquacior est et in interpretatione sacrarum literarum a sensu catholico et sanctorum doctorum interpretatione remotior, in praedicatorem eligitur.

Item apud eos nullum sacramentum est integrum, imo derident quidquid uspiam per totam ecclesiam catholicam in toto orbe christiano quoad ritum et ceremonias servatur, nempe nonnulli baptizant pueros, multi vero non baptizant, et si qui sunt baptizantes, diversis modis baptizant, nihil de compatribus, nihil de chrismate, nihil de oleo, de exorcismis, de abrenuntiationibus et aliis ceremoniis curantes.

Confirmatio.

De confirmatione episcoporum nihil curant, imo apud eos differentia nulla est inter episcopos, prebyteros, diaconos et laicos. Item omnia vota monastica damnant.

Poenitentia.

Item confessionem sacerdotalem non faciunt, ad tempus paschae non communicant. Item de satisfactione et de poenitentia injuncta nihil tenent. Purgatorium et suffragia mortuorum damnant.

Extrema unctio.

Nullam penitus litaniam aut extremam unctionem habent. Item de sepultura consecrata nihil curant, sed

omnes asinorum sepultura contenti sunt; siquidem in agris et intra septa sepeliuntur.

Matrimonium.

Pauca sunt impedimenta matrimonii; sine omni denuntiatione junguntur et nunquam in facie ecclesiae contrahunt. Missas Christianorum non audiunt, sacramento nullam reverentiam faciunt, imaginem Crucifixi tanquam diabolum fugiunt, festa divae virginis Mariae et Apostolorum non celebrant, solam diem Dominicam aliqui. Nonnulli vero cum Judaeis sabbatum celebrant, intercessionem beatae Virginis, angelorum et sanctorum non admittunt, et in summa quidquid in processionibus, canticis ecclesiae, psalmodiis, horis canonicis, campanarum pulsationibus et hujuscemodi rebus per totam Christianitatem agitur, deridetur ab illis, et quis tandem impietatem viperarum illarum enumerabit. Ex his enim sunt, quemadmodum de eis prophetavit apostolus, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quae sic ducuntur variis desideriis. Habent quidem speciem pietatis. Ex his enim sunt, quemadmodum de eis prophetavit apostolus, semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Moisi, ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit. Species pietatis haec est, quod inter se nullum Picardum mendicare sinunt; hoc etiam Judaei facere solent, hoc et Judae Iscariotis murmur erat, quod unguentum pro honore Christi effusum erat; potuisset venumdari et dari pauperibus; itidem faciunt Picardi. Pro ornamentis ad cultum divinum nihil contribuunt, sed sub hypocrisi illa dicuntur thesauros congerere, ut per occasionem illorum adversariis resistere possent, in summa fere omnes anabaptistarum articuli locum habent in synagoga Waldensium, sed quam impie loquantur et sentiant Picardi contra sacrum eucharistiae sacramentum, ex sequentibus manifestum fiet.

Erorres Valdensium fratrum circa Eucharistiam.

Primus error. Laici eligunt et constituunt sacerdotes. Secundus. Laici existentes corpus et sanguinem Jesu fingunt se consecrare. Tertius. Corpus Christi sacramentali (consecratione) multiplicatur. Quartus. In sacramento est putativus Christus. Quintus. In sacramento Eucharistiae manet abominatio. Sextus. In sacramento est idolum. Septimus. Sacramentum corporis et sanguinis Christi nequaquam est fons gratiae, vitae et salutis, sed dissipatae sunt cisternae sacramenta, quae non valent continere aquas. Octavus. Dominus non proposuit corpus suum et sanguinem dare corporaliter, quia tandem non haberet, in quo coelum ascenderet, vel quia post ascensionem ejus non haberetur quid manducare. Nonus. Christus altiori existentia in fidelibus est quam in sacramento Eucharistiae. Decimus. Nullum argumentum est, ubi corpus Jesu Christi est, ut ibidem sit et Christus. Undecimus. Qui illam coelestem reverentiam et latriam Christo putativo in eadem sacramentali existentia faciunt, inordinate et perverse faciunt. Tamen Christum existentem in sacramento nequaquam reverentia et latria decet, ideo non manet nisi idolatria et abominatio. Duodecimus. Nulla libertas data est putative, Christum transferre et reverentiam ejus in sacramentum et eum ibi colere, quia hi, qui honorem illius transferunt in creaturam et in opera facta manibus hominum, peccant. Tredecimus. Qui Christum invocant et colunt in sacramento, irritum faciunt interdictum: non adorabis ea neque coles ea, non facies tibi imaginem et similitudinem, sicut sacramentum portat similitudinem, et formam vel speciem gratiae et veritatis. Quatuordecimus. Asserunt, Christum Jesum, qui de terra suum corpus ad coelum levavit, non debere illud usque in finem reddere terris. Dec. quintus. Panis materialis et vinum materiale manet in sacramento altaris. Dec. sextus. Circa istud mysterium nihil dijudicant magis placere Deo album seu pulchrum, et nigrum vel mundum mensale. Dec. septimus. Non tantum circa ministerium

sacramentorum, sed etiam circa verbum Dei lumine candelarum utimur, praecipue tamen, dum fiunt tenebrae. Sed in die, dum coeli lumen lucet, nec circa coenam domini lucemus, nisi necessitas postularet propter offendiculum, donec intelligant, hoc nihil impedire salutem, imo nec aliquid addunt, vel auferunt, sed ad tempus necessitatis utilia sunt. Dec. octavus. Licet huic reverentiae et adorationi resistere ex fide Evangelii, sicut abominationi stanti ubi non debet. Dec. nonus. Antichristus a missa sacerdotium suum novum ostendere incipit, ut suum errorem confirmaret. Vigesimus. Sacramentum corporis et sanguinis non debent sacerdotes offerre, quia Christus non jussit. Vig. primus. Primitiva ecclesia non offerebat hoc sacramentum, quia praeceptum a Christo non accepit. Viges. secund. Qui Eucharistiam offert, seductionem offert. Viges. tertius. Sacramentum Eucharistiae non debet offerri causa evitandi peccati idolatriae. Viges. quartus. Efficacissimam causam habemus nostrae separationis a sacerdotibus, quia nec verbo nec sacramentis ministrant ad salutem, sed in contrarium. —

Isti articuli sic sunt selecti ex libris Valdensium fratrum, quorum ductores, vel potius dicam seductores in malignanti conventiculo recentioris Boleslaviae sunt, ubi pessimos et erroribus refertos libros excuderunt, imo et in Monte Oliveti.

LXII.

Summa doctrinae quorundam hominum, qui nunc Antwerpiae et passim in aliquibus Brabantiae et Flandriae locis permulti reperiuntur, ac nunc Loistae ab auctore Eligio, homine illiterato et mechanico, nunc Libertini a carnis libertate, quam illorum doctrina permittere videtur, appellantur. (Cod. Vienn. lat. 522 ap. Denis I, 2008.)

Principio vehementer nituntur verbis scripturae, in quibus Deus omnibus hominibus Christianis, Judaeis, Tur-

cis per suam legem supplicium et damnationem minatur. Item contra omnibus hominibus salutem per suum verbum promittit.

Quemadmodum igitur minae legis, sic etiam evangelica promissa ad omnes simpliciter homines pertinent, cum apud Deum non sit acceptio personarum.

Si quis dicat: qui credit, is demum salvabitur, respondent primum, fidem esse donum Dei, quare non convenire divinae bonitati, ut exigat a quoquam, quod illi non dederit, quod absque illius dono haberi non potest. Deinde: Quis, inquiunt, arroget sibi fidem, et asserere ausit, quod vere credat? Cum igitur omnes fide destituantur, necessario fatendum est, nequaquam propter fidem homines salvari, sed propter solam divinam misericordiam, quam omnibus hominibus se exhibiturum promisit.

Praeterea si fide et oratione adduci possit deus, ut misereatur, jam videretur mobilis et inconstans deus, quod ab illius natura abhorret.

Postremo si quis existimet, quod Deus fidem suam respiciat, et quod propter fidem suam salutem consequatur, is sibi fidem suam idolum constituit. Quis enim, inquiunt, prior dedit illi, ut retribuatur illi, quia ex ipso et per ipsum sunt omnia.

Accumulant igitur magnam vim scripturarum, quibus Deus judicium et damnationem minitatur omnibus, qui legem suam transgrediantur. Cum igitur omnes homines legem transgrediantur, consequitur necessario, ut omnes damnentur, cujusmodi testimonia sunt: Maledictus omnis, qui non permanserit etc. Item: De omni verbo otioso reddet homo rationem, et: Non auditores legis, sed factores justi, et qui sine lege peccaverunt, sine lege et peribunt, et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.

His ex contrario opponunt promissiones divinas, quibus Deus asserat se omnium velle misereri, omniumque peccata remittere, cujusmodi sunt Jerem. 31: Ecce dies venient, dicit dominus, et feriam domui Israel et domui Jacob foedus novum etc. Hoc erit pactum, quod feriam etc.

Dabo legem meam in visceribus illorum, et in corde eorum scribam eam etc., quia propitiabor iniquitati eorum et peccati eorum non memorabor amplius.

Haec, inquiunt, pugnare inter se videntur, quod deus et puniet et remittet peccata. Nam si puniet, quomodo remittet, et si remittet, quomodo puniet?

Ad haec, si deus omnes condemnet, ubi ejus misericordia et promissiones? et si pro immensa sua misericordia omnes salvet, quis tandem erit locus ejus justitiae? Quodsi alios per suam justitiam condemnet, alios vero per suam misericordiam salvos faciet, jam apud Deum esset acceptio personarum, quod ab eo alienissimum est.

Quare necessarium est, ut justitia Dei in omnes homines exhibeatur, atque item ejus misericordia et promissio omnibus hominibus tandem conferatur, ut omnibus divinis verbis sua veritas constet, neque alterum alteri exitio sit. Nam coelum et terra transibunt etc.

Hic mos atque haec ratio eorum, scripturam cum scriptura, hoc est legem cum promissis remittendi. Nam simplicibus et imperitis haec adversa sibi et pugnantia videntur, atque in id potissimum incumbunt, cum in aliquem incidunt, ut incertos et dubios homines reddant, credantque, ita pugnare scripturam secum, cum eam conciliare nequeant.

Tum si quis eos roget: Quomodo intelligenda et concilianda erit scriptura? respondent: nos neque eruditi neque doctores sumus. Quid de hisce scripturae locis vobis videtur? Nam et nos eum doctorem quaerimus, qui hos scrupulos nobis eximat. Atque in hoc potissimum eorum artificium spectatur, cum obscuros et in speciem pugnantes scripturae locos congerunt et hominibus offundunt, cujusmodi sunt: Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Item: non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est, et qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Quis igitur asserat, se habere spiritum Christi, et quis non fateatur se adhuc in carne esse? Item scriptum est: Qui natus est ex Deo, non peccat, et contra: Qui di-

cit, se peccatum non habere, mendax est. Item Christus dixit Judaeis: Solvite templum hoc etc. Jussit igitur, se interfici, quum nunc Judaeis mors Christi imputetur? Induravit Deus cor Pharaonis, quae igitur ejus culpa? Hujusmodi locos subinde imperitis atque etiam peritis secum disceptantibus objiciunt, idque variis modis, quos longum esset commemorare. Cum igitur jam perculsos et dubio homines affectos vident, tandem multis precibus impelluntur, ut explicent hos scripturae nodos et pugnam tollant, idque non faciunt, nisi sibi fidem adhiberi putent.

Ad hanc igitur conciliationem, quam putant, adhibent septimum caput ad Rom., quod mire secum facere existimant, ubi Paulus duplicem hominem constituit, alterum animalem, exteriorem, carnalem, qui ex carne et sanguine natus est, qui non percipit ea, quae Dei sunt, alterum interiorem et spiritualem, qui ex Deo natus est. Inter hos duos homines perpetua est pugna; siquidem caro concupiscit etc. et spiritus etc.

Animalis ille homo infidelis est legi Dei inobediens et voluptatum sectator. Interior vero, qui ad imaginem Dei conditus est et ex Deo natus, hic nunquam operibus carnis assentitur, sed oppugnat perpetuo, doletque ob hanc rebellionem carnis et miseram suam captivitatem deplorat, per quam impediatur, cur minus id quod velit, faciat. Quare nunquam peccat spiritus, tametsi caro peccet, et quemadmodum caro non potest non peccare, sic non potest peccare spiritus, cum ex Deo natus sit. Quare exclamare cogitur: Miser ego homo, quis me liberabit etc.

Ad hos duos homines omnes scripturae superiores locos et similes referunt, et in his facile convenire et conciliari asserunt. Justitia enim Dei in hoc animali et exteriore homine perficitur, cum is variis calamitatibus afflictatur et durissima tandem morte punitur et condemnatur.

Misericordia vero Dei omni interiori homini et spiritui exhibetur, cum is ex hoc tetro carnis ergastulo liberatur et redit ad dominum, qui dedit illum. Ita fit, ut et omnis homo, nempe exterior, condemnetur; omnis item homo,

nempe interior, liberetur et salvetur, atque in hunc modum et justitiae et misericordiae satis fit.

LXIII.

Ex quadam epistola scripta Cracoviae in castro excelso regis Poloniae, quae sic incipit: (Cod. Viennens. lat. 182. f. 85.)

Venerabili ac eximio Magistro Lamberto de civitate Kalis in regno Poloniae canonico Sendomiriensi, jam actu licentiato in utroque jure in alma et famosa universitate Parisiensi in regno Franciae, domino illustrissimo, ab olim benefactori valde dilecto Johannes de civitate ortus Poznanya, ejusdem regni Poloniae artium magister nec non in decretis baccalaureus, indigenus colendae universitatis Cracoviensis et insuper ecclesiae rector parochialis in oppido Gostyn, dioecesis Poznan. vestrae venerabilitatis cappellanus humilis et exorator assiduus, scit Deus et sua mater, benedicta Maria. Reminiscor plerisper etc.

Novitates non multo temporis retro acto intervallo, utpote die profesti s. Georgii martyris Christi, emicuerunt in Moravia, quae pendet inter fines medios regni Hungariae ab una et regni Bohemiae ab altera parte, de anno incarnationis dominicae, quo solitum est pingere 1450.

Verum quidem ad perorandum res hujuscemodi novellas in partibus illis divina permissione evulsas, miraculo receptas pleno, non extiti ad unguem recollectus, Deus Deorum est mihi testis, juxta formam et ritum canonistarum sive oratorum ingenio fulcitorum etc.

Accidit vero uno tempore, utpote ipso die profesti b. Georgii martyris Christi, ut supra praemisi, in una civitate dicta Cromerzcz in Moravia, sic vocata patria dioecesis Olomucensis, quae quidem civitas aliquando fuit ex privilegio fundationis vetustae episcopi dioecesis ejusdem, sed potentia haereticorum dudum est ab illo abalienata, et alia multa bona, plebanus ejusdem civitatis Cromerzcz assertus,

Symon nomine, de quo a pluribus suspicabatur famose, quod fuit apostata ordinis Cisterciensis, haereticus obstinatus, et illius velutisper haeresiarcha famosus, uti diabolus incarnatus, ut dicam sic intrepidus, provinciae Moraviae parochiae occupator, veri et justi plebani cremati potentia torva haereticorum.

Eodem die, ut praemisi supra, ad sermonem jussit pulsare popularem, et ita, dum populus convenit universus utriusque sexus cum servis et pueris suis ad ecclesiam juxta mandatum plebani ejusdem, profani haeretici, ministri diaboli, confestim ille plebanus sibi usurpans vocabulum s. Plebani memoriae maledictae, ambonem ascendit suum, ambonista indignus, verba primo mellita, de post autem ungiloga et universo veneno referta ad populum effudit suum, subtili forma thematizando. Lupus mordax, latens sub ovina pelle, in haec prorupit verba: O filioli, inquit, mei, zelo Dei digni, Deus mihi testis est, quia quantum meam, tantum vestram sitio animarum salutem, ego pastor vester et custos. Jam etenim crebriores paulo ante meos audistis sermones per memet diserte interpretatos, quomodo vos singulos meos dilectos, pastoratui subjectos meo, dilectionis pastoralis amplexando zelo omnipotenti Deo velim infiliare sive filios adoptionis et benemeritos Deo restituere, quoniam sic congruit me pastorem facere crebro. Nuperrime itaque quaeso, filioli mei, ea ipsa, quae prius audistis decreta, per me sancita, jam jugi affigantur memoriae et illa mando tenete jam intemerate nec de ea sic facillime seducamini via, quam vos docui justa. Quare igitur in vobis optans igniculum excitare caritatis, ut ea quae praemisi, arctius teneantur, ipsamet resumo dogmata reformationis fidei verae, quae nihilominus mando, praecipio et moneo, firma et rata observate fide usque ad ultimam voluntatem unusquisque vestrum, quae sicquidem reformatio vobis articulatim pronuntiabitur statim.

Primus articulus, qui est fidei nostrae primordium, sequitur talis, deinde alii secundum seriem.

I. Sacramentum eucharistiae a quolibet homine sive justo vel peccatore sub utraque specie sumendum est. Et pueri

catechumenati sic dirigantur sub poena aeternae damnationis ex praecepto Christi autentico.

II. Sacramentum eucharistiae sub utraque specie quolibet die sumendum est, sive ab homine justo vel peccatore, quoniam ex quo corpus humanum naturali semper indiget cibo, ergo et ipsa anima quotidiano indiget viatico pane. Non enim videtur ratio de uno major quam de alio.

III. Infra divina nihil offerendum est humani usus in ecclesia. Sed si quis habet cor inflammatum ad Deum, offerat plebano in aede sua.

IV. Nulla virgo actu vel etiam virgo asserta ingrediatur ecclesiam, nisi prius peplis caput suum velet solitis, nec quispiam masculus caput ejus sertis audeat trabeare, mando et praecipio auctoritate pastorali.

V. Imagines, cujuscumque formae sint, in ecclesia venerari nec adorari debent, quoniam soli adoratio debet esse Deo, non autem rei monstruosae.

VI. Plebanus ovium pastor non debet se secularibus negotiis implicare, nec rura colere, nec thesaurizare, sed missare tenetur et praedicare dicente scriptura: Ite in orbem universum etc. Sed ruricolae et ceteri negotiatores plebano suo tenentur pro divinis humana ministrare, sed ad sobrietatem.

VII. Vos filioli mei, praecepti Dei imitatores, nullius mandato subjacere tenemini, nec papae, nec episcopi, quoniam non ille, sed ego pastor vester pro vobis in die novissimo rationem dare debeo in facie judicis rigidi.

VIII. Excommunicatio papae vel episcopi lata non ligat quicquam credentes, quoniam solius Dei est, benedicere vel maledicere, non autem hominis simplicis.

IX. Non est major auctoritas in papa vel episcopo quam in simplici sacerdote, ut haurio ex actis Apostolorum ecclesiae primitivae.

X. Soli Deo cordis secretum confitendum est, non autem homini, nam et in lege veteri soli Deo confitebatur, et stabat confessio in vigore suo.

XI. Sacerdos homicida, sive belliger vel a casu homicida trium vel plurium personarnm, celebret audacter; nam et Paulus apostolus, qui fuit ecclesiae persecutor, a Deo segregatus est in electum apostolum.

XII. Elemosinae pro defunctis exsecutae non prosunt animabus quidquam, quoniam post animae exitum non plures nisi duae viae sunt, una ad infernum, alia ad coelum, ut habetur de epulone divite et mendico Lazaro.

XIII. Quilibet sacerdos a papa inchoando usque ad unicum simplicem sacerdotem non plures habeat togas sive tunicas, sed tenetur unam habere.

XIV. Papa debet vivere more Christi in egestate, et episcopi more Apostolorum, nec census nec civitates habere debent, dumtaxat oblagia pro sacrificiis ipsorum, sed moderata.

XV. Nescitur quid virtutis est honorisve in lege Christi, tales viros beluatos sive monachos a mundo tolerari, cujuscumque professionis sint, cumque imperator noster Christus non alios nisi seculares curatos animarum elegit loco sui Apostolos, ut liquet per se.

XVI. Si tales beluati viri sive monachi sint tolerandi a mundo, ex tunc incolatus eorum deberet esse in silvestris praeter hominum aspectum more eremitarum, si velint esse in statu merendi.

XVII. Stolidum quid est in lege et praeter hominis rationem, mulieres velatas, virgines assertas in clausuris sustinere praeter statum merendi. Tutius esset me consule, ut tales potius nubant et prolificent legitime nuptae, quam praeter statum salutis vanae maneant moniales. Tantum enim Deus vocibus monacharum mulierum placatur in coelis, quantum paterfamilias cantu recreatur picae in cavea, quamque fovet in lare sua.

XVIII. Nulla glossa sive etiam homilia in scriptura sacra accipienda sit, sed juxta Christi standum est textum semper.

XIX. Sacerdos, cujuscunque conditionis sit, non in equo vel mulo sive etiam in curru equitet, sed ambulet pedester more Christi et suorum condiscipulorum. Non enim alia

forma debet esse discipuli, quam sui magistri fuit Jesu Christi in hoc mundo laborantis.

XX. Nullum festum colendum est praeter diem dominicum, quum Deus excelsus omnia, quae ad necessitatem mundi fuerunt et suae venerationis creando, die septimo requievit ab omni opere, quod patraverat, ut habetur in Genesi.

XXI. Non alias horas sacerdos orare debet nisi horas Apostolorum, qui sic orabant dicentes: Pater noster, qui es in coelis etc.

XXII. Sacerdos peccator non potest conficere corpus Christi, quia peccatum mortale inhabilitat illum in officio conficiendi.

XXIII. Annum jubilaeum nemo habet instituere nisi Deus omnia potens, quum placet sibi et necesse fuerit homini; ergo est absurdum, id ipsum hominem simplicem usurpare quod soli congruit Deo facere.

XXIV. Corpus Christi semper stare debet in altari in ciborio in aspectu hominum, et non debent seris illud claudere, quoniam Deus nullum inimicum timet, quare igitur ferramentis concluditur in sacrariis? Numquid habet se ut fur vel latro, ex quo dirupit portas inferni, quare et illam modicam non rumpet clausuram, quae clauditur ab homine.

XXV. Reliquiae nullae aliae in ecclesia debent esse praeter corpus domini nostri, quum nemo potest scire determinate, an ossa ista sint digna honore, cum nemo scit, an anima eorum sit in refrigerio. Tutius est nobis, Deum honorare et adorare, in quo honorabuntur omnes sancti et electi ejus, quam ossa inexperta, quoniam antiqui bachantes sacerdotes ossa colebant, quorum animae in inferno cruciantur.

XXVI. Forma in baptizando non alia nisi Johannis Baptistae debet esse, quae autentica multum, quoniam ea forma Christus solus a Johanne est baptizatus in Jordanis fluvio.

Et ita ista et alia non relatione digna sparsit et sevit ille pseudo perversus et hypocrita velatus, nullius scripturae magister, sed nequitiae sator et errorum omnes gra-

dus in facie agrestium personarum infamando non tremefactus, ut audistis, imo et alia indigna relatione hac vice, quae tamen memet scribere horruit propter imperitorum flexibilitatem et laicorum simplicium etc.

LXIV.

Acta Taboritarum. (Cod. Viennens. lat. 623. f. 247. ap. Denis II, 1421.

Inprimis sacerdos ille, qui est plebanus taboritarum, locutus est dicens: Dilecti fratres, propter nostras superfluitates et propter nostram inobedientiam, qua nobis non paretis, permisit super nos dominus deus istas res, quod sumus ita prostrati ab adversariis dei et propter aliud hoc non patimur, nisi quod nos dominus deus in hoc temptat et propterea quod per sacerdotes accepimus et illos adhaerentes qui non intuitu legis dei, sed videntes quod nobis dominus deus prosperatur, adhaeserunt nobis, recepimus eos ad nostra consilia et illas res, quas internas habuimus, eis apperiebamus et uti dicimus eis illis bonis, quae dominus deus secundum suam legem ac veritatem suam dedit nobis acquirere, et illi avaritia ducti propter munera illorum seductorum, qui sunt in illo concilio Basiliensi, et propter dona illius Regis Ungariae cum apertis inimicis legis dei nos permissione divina prostraverunt. Ita quod dominus deus suos diversis viis de medio tollit, illos per martyrium et illos aliter, velut istos fratres nostros, qui ab illis adversariis decesserunt, per martyrium tulit de medio. Quapropter quod se a futuro pejori et ab illis adversariis dei et ab adhaerentibus melius precantur sciremus (sic). Ideo, dilecti fratres, non licet vobis desperare super domino deo et super lege ejus, quia scitis quare de modico initio parvulorum et humilium sicuti fratris Zyzcae cum aliis fratribus in magnam potentiam venimus et omnibus circumjacentibus terris fortes sumus et ipsis dominati sumus et nedum ad hoc, sed ad dacias eos compulimus et sibi supeditavimus, et hoc nobis totum propterea deus contulit, quod personas non respicimus, sed directe ad veritatem respicimus; qua-

propter, dilecti fratres, scitis, quod a longis temporibus in nostris secretissimis consiliis fuit inter nos super ista via tractatum, quod illos superbos, qui omnia sibi acquisita deserunt, per hoc volunt nobis meliores esse, finaliter de se eradicaremus, quod nos amplius a lege dei non premerent, sed quod unanimiter in fraterna caritate et in lege dei simul perseveraremus. Ideo quod ab illo nos non custodimus et ab illis qui nobiscum non propter legem Dei sed pro sua voluntate et propter suam avaritiam dimicaverunt, graviter sumus prostrati et videretur mihi sic, quod diligenter se et fratres conspiceretis, quantos possetis habere ad legem Dei inclinatos in omnibus civitatibus et aliis ubi vos scitis, et mandaretis ipsis omnibus modis se diligenter praeparare ad campos, ut campus iterum erigatur, viceversa et imitarentur in hoc Zyzkam et alios propugnatores legis Dei, qui personas non respicientes, omnes quos viderunt adversarios Dei, eos sine omni misericordia angariaverunt, non advertentes hoc quod nunc habetis numerum paucum, quia in principio fuit minor et non habuimus nec pugnatores nec castra nec hoc quod nunc habemus, nec illa homagia, quae nunc habemus, et tamen, quod nos non pigritavimus, semper contra omnes terras victoriam obtinuimus et de bello omnibus satis dedimus, quia non admisimus eos ad possessionem, illos, qui fuerunt novitii et prae timore vel propter utilitatem nobis adhaeserunt; non tamen eis ad bellum utebamur, praesertim illos qui se nobiles et clientelas famosas appellant, quia per eosdem bellum perdidimus, sed faciamus sicut nostri praedecessores fecerunt, Zyzka et alii, tales ad possessionem non admittentes et se non pigritantes, sine dubio dante Deo, omnia obtinebimus, ubi soli diligentes simus, sicuti antea fuimus, super illos non innitentes.

Tunc consurgens unus de Injuratis de Thabor, dictus Simon Faber vel Kowarz, dixit: Ita, sicut dicis, vera veritas est, illo modo sumus elevati, sicut hic dixisti, et per hoc sumus debilitati, sicut hic dixisti, sed sicut nobis consulis viceversa, campum erigere, est nobis grave, quia communitas a nobis declinat et praesertim ho-

mines laboriosi, propterea quia eos daciis aggravavimus, et militares, qui nobis adhaeserunt sperantes, se munera a nobis et libertatem habere, illi a nobis declinaverunt et tota christianitas nos odit et contra nos se armant, et praesertim illud concilium Basiliense magnam pecuniam colligit, omnibus modis quaerentes et volentes nos semper destruere. Quapropter militares homines, quibus bella peregimus, illos quasi omnes a nobis repulimus et homines laboriosos, quorum multitudinem habuimus et eis pro voluntate nostra usi sumus, illi etiam a nobis sunt abstracti. Et illi qui legem dei una nobiscum reducere voluerunt, illi jam quaerunt indulgentiam a concilio Basiliensi, et in eo cessare volunt et nobiscum amplius permanere non intendunt, sed nos destruere ipsi adjuvant, per quos prius ducebamur. Quapropter nobis non est conveniens, sicut tempore Zyzcae ac praedecessorum nostrorum, quibus omnes erant inclinati eosdem labores viceversa laborare, et illi Imperatori, quamvis nobis pulcre intimat, est nobis difficile fidem adhibere, quia dicit, quod vellet nobis alias satis de guerra ostendere, pecuniam alias sufficientem ostendens, et sic diversis promissionibus et pulcris verbis nostram unitatem in nobis et in nostris coadjutoribus argute destruit et dicens quod habuisset diu inclinationem ad nos, scilicet nobiscum concordare potuisset asserens quod in nobis hoc deperiit et etiam per illos qui de ejus parte existentes ejus Regnum propter guerram inter se destruxerunt, non consulebant ei ad pacem sed ad guerram, et sic dicit quod, quando nobiscum concordiam inirent, non secundum consilium illorum, qui illa hinc inde tractaverunt, interea vellet ordinare et disponere, sed secundum consilium nostrum enuntians avaritiam sacerdotum et ipsorum superbiam et ipsorum malitiam enarrans, quantam ab eis vidit malitiam in Constantiensi Concilio et in Roma circa suam coronationem et nunc in Basilia, quod sibi hoc etiam non placet, quod quamvis sit magnus dominus, sed quia est unus homo quod contra tantam multitudinem solus stare non potest, sed quod cum nostro auxilio vellet tales res

apprehendere et ad ordinem illas res reducere, et hic, sicut tu Sacerdos ad hoc loqueris, quod sit campus erigendus, anteponens istas res, si esset possibile, esset valde fructuosum et utile, et ipse etiam imperator ad campum loquitur sic, quasi nos vellet in altum erigere, non nos deprimere; sed mihi ex utraque parte grave videtur, quia si erigemus soli viceversa campum, ei contradicentes, ab illis, qui fuerunt nobiscum et a principalibus et a prioribus adversariis nostris et a communi populo iterum viceversa sic, bis prostrati erimus. Etsi sibi adhaerebimus secundum ejus pulcra verba et permittemus nos ipsi aliquo de terra educere, vel ad eius obedientiam inclinabimur, ab eo traditi vel trucidati erimus, quia inter nos ejus multos servitores habuimus, qui nobis multos ejus mores malos et dolosos crebro narraverunt, sicuti Petrum de Misslin vel fratrem dictum Kollacz et alios quamplurimos, quod longum eos esset nominare, qui nobis narraverunt, quare Barones Hungariae sub fide sua data remissione sua eis et tutela fraudulenter decapitat et trucidat et quare suum fratrem Marchionem Moraviae inter treugas captivat et collo eum privavit, et intoxicavit, quare etiam inter fratrem suum Wenceslaum, Regem Boemiae veniens Boemiam et Barones Boemiae dissensionem fecit et eum captivavit, volens eum Regno privare et quare Magistrum Johannem Hus dolose et false fingens se illud nescire, sub suo salvo conductu mandavit incinerare, Wratislaviensibus dimissa eis culpa decapitare eos fecit, Krassam sic dictum civem Pragensem equis distrahi mandavit, etiam in his praesentibus temporibus nobiscum pulcre loquens unum civem Pragensem, qui a nobis existens in legatione in Ratispona mortuus est, sepelire non permisit et alias multas res fecit, quas ego solus nescio, etiam propter longitudinem enarrare non possum. Ideo est nobis necessarium, deliberare et ad memoriam reducere quod se sibi decipere non permittamus ac etiam absque eo campum erigentes prostrati non essemus et dixi ego jam intentionem meam vobis, quapropter dilecti fratres, vos estis sapientiores et circumspectiores super his. Consilium

inite, quam viam prae oculis reciperemus, ut legem dei viceversa possemus erigere et eam producere et ut non essemus decepti ab illis falsis Baronibus et ab illo haereticorum imperatore et ab illis Antichristis, qui sunt in Concilio Basiliensi, qui quaerunt ut nos, sit per tyrannidem, sit verborum deceptione, sit blandis promissionibus, semper decipiant et deserant.

Et postquam eis hos sermones finivit, tunc ipsi consilio facto de his rebus responderunt ei: Frater noster dilecte, istis sermonibus nos bene monuisti et benc ad hoc intelligis et ex quo ad hoc tam bene intelligis, tunc rogamus tuum consilium in his, quid ad hoc consulis, quomodo has res possemus ante oculos nostros recipere, quatenus legem dei ad profectum produceremus et in illo soli damnum non recipiamus.

Et ipsę verò aliquantulum renitens subjunxit: Ex quo meum consilium in his desideratis, quod saepius de hac re in animo meo revolvi, hoc vobis volo dicere et finem vestrae prudenti circumspectioni committo, fratres dilecti, sicut vobis late enarravi, et Sacerdos plebanus noster jam nunc ante me, qualiter scilicet habemus primum cavere, ut his Baronibus, per quos sumus prostrati, viceversa in manus non incideremus et ab illo Imperatore semper praecaveremus sicut ante ea dixi vobis, et hoc concilium Basiliense et hos theutonicos, qui nostram depopulationem et nostram destructionem quaerunt. Primum videtur mihi fructuosum, sicut sacerdos plebanus noster dixit nobis, quod omnem spem ponentes in deo et non sperantes tantum in magnam numerositatem populi, sed conspiceremus cum omnibus nostris communitatibus ac subiectis civitatibus et quolibet inclinatis ad nos et ad legem dei, magnus ne nostrum numerus possit fieri et quantum possemus in campo habere de equestribus et pedestribus armatis vel etiam currus cum illis attinentiis sicut prius frater Zyzka, frater Procopius et alii capitani habuerunt ad easdem necessitates, et quodlibet praesidium nostrum et quaelibet civitas nostra et quilibet ad nos inclinatus ut nobis ex nomine diceret,

cum quo et cum quibus armis vel defendiculis, cum qualibus et quam multis et in quo numero vellet ad nos pervenire, et ibi circumspicientes se cum dei adiutorio si possemus aliquid pro campo facere et illorum consilio qui nobis in adiutorium sunt, quod nobis eligeremus locum ad exeundum campos ubi deberemus simul congregari et quo et super quem primo exire; et hoc mihi videretur, qui nobis primum resisteret illo tempore, quod illum primo angariaremus, et ibi intelligeremus, qui vellent nobiscum pacem habere, qui prius nobiscum fuerunt vel ad nos viceversa reverti vellent, quod aliquos minis, alios per tyrannidem, ceteros bona voluntate ad se viceversa applicaremus, et sic si illi desides in hoc fierent cum illo Rege quod illis modis eundem ordinem et eandem potentiam sicut prius habuimus, possemus pervenire et in hoc semper circumspectionem habentes ut nec in consiliis nec in quibuscumque officiis nostris nobiles homines et generosos haberemus, ut nos postmodum decipere non possent, sicut jam hoc nobis fecerunt. Et si illud fieri non posset et videremus quod nos premunt et quod sumus debiles ad hoc, tunc quod cum ipsis pulcris sermonibus circumeamus subjicientes se pulcre et in hoc semper nihil finaliter terminantes, verum hoc semper respicere, quod in hoc nostras civitates, castra et munitiones nostras conservare possemus, quia audivistis ab illis, qui nobis bonum fecerunt, quod nobis disseruerunt, quod concilium Basiliense diu non durabit et quod in brevi dissolvetur, et etiam scitis et vidistis alii oculis vestris, quod iste Imperator est senex homo et decrepitus et super illum mundum plus respicit quam super istum, et quod diu non vivet et domini Barones terrae sunt desides et hic sunt satis pauperes et illa tria nobis magis obsunt et magis nos impediunt in nostris cursibus, quod sicut scimus, pulcris sermonibus ita protrahamus quia maxime ad unum annum conjecturos*) quod hae omnes res finem recipient, quodque concilium dissolvetur, ille Imperator deo dante morietur et theutonici

*) Conjecturi?

de suis rebus, quae eos contingunt, cogitabunt et nos oblivisceutur, et Ungari idem facient et omnes alii alienigenae quilibet de suo curam et sollicitudinem habebit, et nos dicto modo, sicut prius dixi, surgentes velociter, audacter et tyrannice illos Barones adversos nobis destruemus, et illos homines nobis ab eis ablatis vieeversa snppeditabimus et sic obtinentes terram illos omnes, qui nobis adversi fuerunt et contrarii, interficiemus et expellemus, ut nos in posterum non impediant, et etiam facientes concilium generale mandabimus omnibus, interesse, ut ordinem terrae disponeremus et ibi consilio facto, quid nobis videbitur' statutum terrae soli nobis per nostram voluntatem faciemus et qui ibi adhuc erunt nobiscum in illo termino quibus eredere non possemus nec nobis utiles essent, illos etiam inter nos interficiemus et destruemus, et qui ad terminum venire nollent vel aliquibus occasionibus se excusarent, istos primum habentes per ordinem expugnabimus et idem eis faciemus. Ultimo seitis fratres, quod ista nostra terra aliis circumiaecntibus terris fortis est, quod eos bene poterimus convineere et sic remotiores et alias terras nobis subiugabimus et non timebimus illam surreptionem, quae nobis nunc aceidit, quia illo modo Romani antea sic fecerunt et per hoc toti mundo dominabantur. Etiam nolite horrere, sanguinem inimicorum effundere, quia Judith prudentia sua sub pulcris sermonibus sangninem Holofernis effudit et sic populum dei de manibus inimicorum liberavit et ab hominibus magnam laudem habuit. Jam vobis dixi, quod ego in animo meo revolvi; consilium super hoc soli altius inite cum fratribus nobis inclinatis, quibus confidere possumus, quod nos mutuo adjuvaremus contra illos dei inimicos, qui volunt legem dei destruere, ut eos potius destruamus, quam ipsi nos. — Nobilibus, famosis, prudentibus, circumspectis et fidelibus fratribus in Boemia et Moravia universis, qui pro Christi sanguinis instant fideli sumptione, N. vester fidelis frater et eiusdem dei veritatis fidelis servus affectum solertis circumspectionis in omnes partes ac memoriam inchoationis huius causae dei et eiusdem conclusionem.

Dilecti fratres, memoremur, quare terra nostra Boemia pridem permansit in statu justitiae in eo quod erat subdita supremae Regiae ditioni ac dominorum alias nostri praedecessores decessissent in errore, sed quia justum est nos subjici omni potestati, de qua scribit sanctus Paulus ad Rom. XIII. 1—6: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non potestas est, nisi ad deo; quae autem a Deo sunt, a Deo ordinata sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et post ea dicit: Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram Dei, sed etiam propter conscientiam, ideo enim et tributa praestatis etc. Item dicit sanctus Petrus Ep. I. cap. II. 13 — 18: Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis; et post dicit: Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate; servi, subditi estote dominis in omni timore, non tantum bonis et modestis, sed etiam pravis et discolis. Haec enim est gratia, si propter conscientiam dei sustinet quis tristitias, patiens injuste, quia Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus etc. In hujus exemplum etiam Christus subditus fuit potestatibus sublimioribus, sic quod dedit censum caesari, sicut scribitur Matth. XVII, 26, et Joseph cum Virgine Maria dederunt censum in Bethleem eo tempore, quo Christus natus est, se subditos caesari recognoscentes.

Insuper ad memoriam revocemus, quia opponebamus nos contra tales potestates, cum nos reprimebant a justitia sanguinis Christi, propter quod fratrum nostrorum multi perierunt dante deo in veritate et justitia, quodsi praedictae potestates nos non oppressissent et admisissent nobis libertatem, nequaquam insurrexissemus contra tales potestates, sed fuissemus eisdem subjecti, quemadmodum nostri praedecessores.

Item in memoriam reducamus, quia hoc innotuimus universo orbi et literatorie denunciamus postulantes in hac veritate et in ceteris audientiam et informationem et quod optamus pacem habere cum universo mundo volentes libenter

subditi esse talibus potestatibus, spiritualibus et secularibus, si in veritatibus et justitiis praemissis nobis libertatem admisissent, et ob quam causam campum tenuimus et pugnavimus; diximus quod necessitate facimus opponentes nos pro veritate et ab eadem semper reprimi non sustinentes.

Item reducamus ad memoriam, quia jam audientiam habuimus et propter dilatationem illarum veritatum coram populo de christianitate universa et quod iam illos quatuor articulos collaudaverunt veris rationibus et quasi pro victoria contulerunt nobis in eisdem veritatibus fundamentum. Item ad memoriam reducamus, quia offertur nobis libertas in his veritatibus in Boemia et in Moravia et a consilio et statu spirituali et ab Imperatore et statu seculari potestate totius christianitatis, solum si volumus in hoc futuris temporibus unionem et pacem habere cum universa christianitate et in aliis ecclesiae ritibus juxta scripturam sacram et sanctorum doctorum et quod in libertate dictarum veritatum a nullo deinceps debeamus impediri et quia haec nobis confirmari debent juxta rationalem confirmationem per nos excogitatam, et hoc affectuose suscepissemus, si nobis oblatum fuisset ante XV annos.

Item reducamus ad memoriam, quia offertur nobis, quod si volumus et sciverimus approbare sumptionem sanguinis Christi esse institutam juxta mandatum dei, quod illa distributio sanguinis Christi etiam debeat demandari per totam christianitatem. Sin autem probare nollemus, tunc non tantum nos impedire debemus, sed etiam omnibus in Boemia et in Moravia libertas dari, ut quivis sanguinem Christi sumat sine omni impedimento.

Item reducamus ad memoriam promissionem et conditum nostrum, quod fecimus super unione et pace cum universa christianitate per nostros magistros ac sacerdotes cum legatis a consilio missis, quod confirmamus manibus stipulantibus, claris et manifestis compromissionibus omnium universitatum, regnicolarum et civitatum Boemiae et Moraviae, in cuius confirmationem cantavimus deum collaudantes, se-

cus quis nobis amodo adhibebit vel nobiscum pro aliquo tractabit, si non tenuerimus hoc quod in termino tractatum compactamus et spondemus, et non advertamus illos, qui nos a tali foedere unionis et pacis distrahunt, confundentes illos qui, suae fidei ac promisso satisfacere cupientes, observant ipsam promissam unitatem et ab isto promisso cum eis nolunt propter honorem suum recedere, a fide seduci volentes et honore, nec illos advertamus, qui nobis dejectionem machinantur propter ipsas veritates, quia illis variis adinventionibus libenter illam unionem promissam et pacem vellent dissipare, timentes propriam dejectionem ac officiorum suorum diminutionem, ipsam tandem dejectionem pro illis veritatibus si aliquis intenderet, possimus ei obviare tractatibus ac scripturis, qui et quae nobis offeruntur.

Idcirco hominibus bonae conscientiae et deum timentibus et non propriae voluntatis apparet, quod jam non habeamus occasionem, propter quam ulterius debeamus nos illis potestatibus opponere vel bella committere in destructionem hominum ac facultatum et omnino animarum nostrarum terrae Boemiae, ex quo jam illae veritates in terra debent habere progressum, pro quibus dudum insudabamus, opposuimus nos et pugnavimus, etiam eas produximus ac in audientiam proclamamus et obtinuimus pro veris ac lucrati sumus libertatem, quam nobis in eisdem acquisivimus sic quod nulla potestas neque spiritualis neque secularis debet nos in ipsis perpetue impedire, etiam super his compositionem et promissum super observationem confecimus, sicquod remanet nobis competens causa vel occasio propter quam unionem et pacem a nobis promissam non teneremus et terminaremus, nisi occasionem vellemus fingere, et propter istos duos articulos bella committere et contentiones gerimus, ut essemus omnino liberi tamquam Imperiales, et nulli domino subjiceremur, sed ut bona quae comprehendimus et nobis subjugavimus ac tributaria fecimus nobis, subiugaremus et de manibus non dimitteremus, sed hoc utique scire deberemus, quod ex eo primum ad infamiam traderemur toti mundo, quia pro veritatibus et lege dei nos exposuissemus

neque pugnavissemus. Secundo quod jam bella vellemus committere tantum propter nostram propriam voluntatem, exaltationem et superbiam, volentes dominum super se obtinere. Tertio quod jam pugnare vellemus ex avaritia pro bonis alienis. Quarto ageremus contra nostros praedecessores et contra antiquam ac justam exaltationem sive locationem terrae nostrae, quae locata est sub potestate sublimi Regis et dominorum. Quinto sic arriperemus gladium alienum nolentes domino subjici contra dominum Jesum Christum et contra scripturam superius annotatam. Sexto promissa nostra non observaremus et illam compositionem, quam cum concilio fecimus, non teneremus. Septimo etiam universo mundo in diversis mendaciis rei comprobaremur. Octavo novum bellum soli inter nos in terra inchoaremus soli metipsos consumeremus, unusque alteri subjici nolens et in alterum manum extendens, nos finaliter distraheremus. Nono totum mundum contra nos concitaremus, cui restitere non possemus propter nostram malam causam, de cetero omnibus in ordinationibus et erroribus ac universis publicis criminibus in terra locum daremus postquam caput seculare et spirituale non esset, quod corrigeret ipsa crimina nec aliquae ordinationes aut jura in terris locum obtinerent. Undecimo per mundum universum divulgabimur tamquam erronei aut haeretici et pertinaces. Duodecimo nullus ex nobis extra terram ad terras alienas poterit libere aspicere et secure vel extendere suum caput. Tredecimo pronuntiantes excellentiam et gloriam nostrarum veritatum et articulorum ageremus contra easdem metipsi et eosdem ac in scandalum et ignominiam per totum mundum nos exponeremus, postquam dicerent: ecce quanta mala ex his articulis sunt exorta! Quarto decimo possemus, quicumque in his bellis inpoenitens decederet ac in istis peccatis et erroribus sine dubio transiret in aeternam damnationem. Sin autem deinde novum bellum deo permittente ad tempus succederet, quod tamen de illo nec est spes nec exspectatio, semper tamen finem obtinebit prius etiam quam totam Christianitatem praevalebimus, universi peribimus et recorda-

buntur, ubi sunt, quid lucri habent, num jam interfecti sunt universi majores, fortes, audaces et pugnatores.

Jam tunc quoad mundum loquendo sane intelligamus, quod jam quasi pro lucro habemus contra universum sic dicendo mundum et quia tantum honorem habemus coram mundo, cum omnia nobis domum et quasi ad manum veniunt, pro quibus instabamus et quidquam bello contra nos obtinere non valebant, jam nobis pacifice et benevole consentiunt ad nostram voluntatem. Quare fratres dilecti, et ad deum et ad saeculum respectum habentes propter ineffabile nostrum et nostrae terrae commodum quoad corpus et animam ac propter evitationem irrecuperabilis damni et quam plurimorum malorum propitiemur nobismetipsis et pauperibus terrae nostrae et non abjiciamus tantum honorem et gloriam coram deo et hominibus illudque quod nos aequalitatis et justitiae ad nostrum affectum offertur, non speramus nec admittamus amplius causam nostram involvere et difficultates facere illis hominibus spiritualibus vel secularibus, non sanctis, non plene doctis et inconstantibus, de quibus plura mala novimus quam bona etc.

In nomine domini amen, ad honorem et laudem, ad dilatationem sanctarum veritatum. Nos Johannes Rohacz de Duba Capitaneus Civitatis Hradissztiae dictae Thabor magrenum, (?) consules et seniores illius Civitatis et communitas Civitatum Pyesk prachaticz wyeduyez Breczreginae super Albeam dwor a Jaromyrczicze Czaslaw Nymburg Boleslaw inveni Trebicze Treanciez et cum communitatibus nobis inclinatis sive adhaerentibus diligenter notantes et intelligentes et effectualiter perpendentes ex frequentibus et crebris praemunitionibus amicorum et sanctorum, veritatum sanctarum, imo etiam ab illis, qui sunt de parte adversa, quomodo Imperator inimicus capitalis veritatum divinarum cum suis adjutoribus manifestis et occultis dolose, fraudulenter et nimis conspirative conatur et nititur summa diligentia ad hoc, quod consilium exposuit quomodo sub pulcris et ridiculosis verbis a concessis nobis veritatibus dei nos et omnes fideles surriperc, decipere et finaliter destruere possit. Anno

domini 1435 die sancti Thomae apostoli providimus congregationem fieri in civitate Hradissezt pro eo, quomodo possemus nobis auxilio divino cum ceteris fidelibus a dolis, fraudibus et conspirationibus cavere et in veritatibus divinis cum omnibus fidelibus conservari, in qua congregatione ut promittitur facta, in articulis subscriptis resedimus, mansimus et convenimus unanimiter. Primo et ante omnia renovamus promissiones priores, pactationes omnium fidelium communitatum ad omnes articulos in principio admissarum, et nos promisimus ac stipulatione manuum roboravimus fideliter nos simul juncti adjuvare contra et adversus Imperatorem et contra quemlibet hominem, qui nos ab illo bono vellet reprimere vel reprimetur sua propria voluntate et ad hoc exponere res, facultates, possessiones et corpora. Postea perpendentes, effectualiter videntes, quomodo dominus deus principaliter praesentibus temporibus propter peccata et deordinationes multipliciter ulciscitur in apertis inimicis veritatum divinarum et hypocritis et etiam in nobis, volentes igitur futuras ultiones domini dei effugere, minas suas, iram et terrorem mitigare, in haec resedimus et convenimus ac consensimus ac consentimus, quod in nobis ipsis et etiam aliis, quantum amplius poterimus, auxilio dei peccata manifesta et etiam occulta ordinaretur (sic) cum diligentia intercipiamus et a quibus peccatis non caveamus nobis omni tempore ipsi deflere et poenitere et quantum amplius possumus superbiam mundialem deponentes ante faciem ejus humiliemus animas nostras signanter propter incumbentes graves futuras tentationes, in hoc resedimus et ad hoc consensimus, quod minime in hoc tempore usque ad quadragesimam omni septimana una die jejunemus et conjunctim oremus.

Item convenimus et resedimus in hoc, si in causam aliquam communitas distraheretur et conspirationes faceret partiales, et in se ipsa talis communitas non posset uniri et concordari aut mitigari, ex tunc aliam communitatem sibi vicinius assidentem ac nobiscum in ista sancta unione persistentem debet advocare ad sui concordiam et compositionem.

Etiam in congregatione futura, quando omnium ad legem dei inclinatorum esset sermo vel verbum, quomodo se in tali congregatione habere debeat, unanimiter resederunt, signantes in talibus congregationibus quod habeamus unum consilium simul et pro uno homine respondeamus sine distractione.

Ultimo quando adhuc in tali congregatione eramus simul, tunc a nobilibus, strenuis, famosis, armigeris et aliis providis veritati divinae fidelibus venit nobis legatio et signanter a Jakubkore de Wiziessowicz, Capitaneo districtus Zacensis de Zacz, luna, lythomiczicz Slancho et ab aliis bonis hominibus illorum districtuum et ab aliis dominis et hominibus militaribus de Boemia et Moravia aliorum districtuum quod in his omnibus, in quibus simul uniti sumus et concordes volunt, nobiscum stare et circa veritates divinas cum aliis fidelibus perdurare substantiis suis et castris ad hoc dare consilium, auxiliumque praebere etc.

LXV.

Professio fidei Fratris Joannis de Arquata. (Cod. Viennens. 573. f. 72. ap. Denis II, 1285.)

Ego frater Joannes de Arquata, Christi pauper et servus inutilis. Ante omnia dico et protestor, me firmiter credere et tenere, et observare volo perpetue illam fidem catholicam, quam ecclesia Romana, catholica et apostolica, quae mater est omnium fidelium et magistra, credit, tenet, praedicat et confitetur. Et secundum hanc immaculatam fidem confiteor sanctissimam ejus vitam ejusdem domini nostri Jesu Christi et apostolorum ejus, quam ad perfectionem altissimae paupertatis fuisse et in abdicatione omnium rerum temporalium, tam in speciali, quam et in communi, prout expresse et evidentissime apparet et probatur tam per sacrum textum, quam per glossas sacrarum et divinarum scripturarum, quam per regulam evangelicam. Sanctissimi Confessoris Francisci et ejusdem regulae declarationes lu-

cidissimas a summis pontificibus factas, quas et praedicta sanctorum et approbatorum doctorum nec non per determinationem sanctae matris ecclesiae et in corpore juris et in sacro concilio Viennensi approbata, quae quidem determinatio cap. de verborum significatione. Exiit qui sciant. Porro sub his verbis dicimus quod in abdicatione proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi propter Deum meritoria sunt et sancta. Quam viam perfectionis et Christus verbo docuit et exemplo firmavit. Quamquam primi fundatores militantis ecclesiae prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfecte vivere per vitae et doctrinae alveos in ipsos derivaverunt. Haec ibi. Per hanc igitur sanctam et orthodoxam fidem confiteor et affirmo, dictum Johannem papam XXII. fuisse, vixisse et obiisse perfidum et pertinacem haereticum et supradictae fidei cathocae inimicum propter multiplices haereses et errores, propter quos et quas in christianorum statutis haereticalibus per ipsum editis et per mundum divulgatis, quorum primum incipit: Ad conditorem, secundum: Cum inter nonnullos, tertium: Quod quorumdam, quartum: Quia vir reprobus, dogmatizavit, diffinivit et incorrigibiliter sustinuit et defendit, quae praedictam, sanctissimam et persanctissimam Christi et apostolorum vitam confundunt et obnubilant, destruunt et condemnant ac sensum divinae scripturae pervertunt et sanctis auctoritatibus et regulis sanctorum contrariantur aperte ac diffinitionibus et sententiis sanctae matris ecclesiae adversantur. Confiteor insuper et omnibus Christi fidelibus credendum et tenendum annuntio, Benedictum nominatum XII. et Clementem dictum VI. et etiam Innocentem dictum VI. dicti Johannis haeretici successores, quia haereses et errores et statuta nefanda approbaverunt, affirmaverunt et defenderunt, fuisse et esse haereticos manifestos et per consequens non fuisse nec esse potuisse praedictos in dignitate papali; quin imo ipsos pronuntio et assero excommunicatos et anathematizatos, omni dignitate ecclesiastica et potestate privatos, poenisque a jure contra haereticos promulgatis esse plectendos. Hoc verum dico de omnibus

praelatis, magistris et Jurisperitis et quibuscumque aliis, cujuscumque status, gradus, dignitatis et conditionis existant, quos probabilis ignorantia non excusat, pertinaciter credentibus, faventibus et adhaerentibus ac consentientibus haeresibus antedictis. Et haec est mea abbreviata confessio, quam per fidem immobiliter teneo, et nunquam ab ea discedere volo, sed in ipsa vivere et mori propono amore domini nostri Jesu Christi, pauperis et crucifixi. Amen.

Hi sunt fructus, quos homo beatus quoad animam et corpus percipit in aeterna felicitate: Sanitas sine infirmitate, juventus sine senectute, societas sine fastidio, libertas sine coactione, pulcritudo sine deformitate, abundantia sine indigentia, pax sine perturbatione, securitas sine timore, cognitio sine errore, gloria sine ignominia, vita impassibilis sine morte, plenum gaudium sine tristitia et dolore. Hos fructus figurative proloquitur Johannes in Apoc. in XII. fructibus ligni vitae etc.

LXVI.

Cod. Vienn. 733. f. 134. ap. Denis I, 2700.

Sequitur confessio haeretica et falsa, quae concordat cum Valdensibus.

Primo confiteor, quia confessus fui, credens quod sacerdos posset me absolvere a peccatis. Item peccavi, quia poenitentiam assumpsi a sacerdote mihi injunctam, et omnia, quae sacerdos mihi mandavit, feci, ad quae tamen non tenebar nec fui obligatus. Item peccavi, quod communionem Eucharistiae recepi tantum sub una specie panis, quae non fuit communio totalis. Item peccavi, quod non communicavi cottidie, sed propter actum conjugalem obmisi. Item peccavi, quod offertorium dedi et alias oblationes, quae mihi mandaverunt sacrilegi pro poenitentia. Item peccavi, quia persolvi decimas, caseos, ova etc. Et ex illis plebanus vixit lautius et expendit cum concubinis. Item peccavi, quia visitavi missas concubinariorum, sciens eos

esse concubinarios. Item peccavi, quia dedi a confessione unum denarium seu hlu vel nummum vel gl. Item peccavi, quia posui genua coram cruce de mandato confessoris, dicens quinque pater noster. Item peccavi, quia jejunavi pro poenitentia de mandato confessoris et credidi per hoc poenam purgatorii mihi diminui. Item peccavi, quia exoravi pro defunctis, quod tamen non est opus nec valet aliquid, nisi quisque pro se satisfaciat solus. Item peccavi, quia nutrivi pauperes aut presbyteros pro peccatis meis, et ipsi fuerunt inebriati. Item peccavi, quia in extremis infirmitatibus misi pro sacerdote, ut me ungeret, et ab illa unctione dedi gl. unum. Item peccavi, quia dedi candelas et unum gl., ut presbyteri nominarent nomina meorum praedecessorum. Item peccavi, quia credidi esse purgatorium, quod tamen non est, nisi hic benefacere; nullus benefaciet pro me post mortem. Item peccavi, quia dedi pro copula II. gl., quod tamen non fuit necessarium, quia majus est votum. Item peccavi, quia missas, vigilias et psalteria persolvi, quod tamen nihil prodest. Item peccavi, quia in missa apposui collectas pro animabus carorum et per hoc aliquid recepi. Item peccavi, quia non visitavi cottidie sermones propter labores et nutrimentum meum, non credens, quod omnia adjiciantur mihi. Item peccavi, quia pro aedificiis ecclesiarum et ornamentis dedi pecunias, credens hoc templum Dei; nam ubique est orandum. Item peccavi, quia transivi pro indulgentiis et manus adjutrices porrexi, credens recipere indulgentias. Item peccavi, quia credidi quod sint indulgentiae, et credidi quod valeant ad diminutionem poenae vel culpae. Item peccavi, quia non postulavi communionem sub utraque specie. Item peccavi, quia confessus fui presbytero, et ipse fuit pejor me. Item peccavi, quia credidi quod sit sacerdotibus confitendum, quum tamen nulli debet esse confessio nisi soli Deo, quia solus Deus dimittit peccata, sic quod post mortem anima statim ascendit in coelum aut in infernum. Item peccavi, quia affixi candelas isti vel illi sanctorum et offertorium dedi. Item peccavi, quia jejunia et vota persolvi sanctis, quod

tamen nullus tenetur et nihil prodest. Item peccavi, quia credidi quod sancti possint me juvare in aliquo, quod tamen non est verum, quia se ipsos juvare non possunt. Item peccavi, quia credidi quod beata virgo plus posset quam aliquis sanctorum, quum tamen non plus potest quam alius sanctus. Item peccavi, quia visitavi sepulchra sanctorum, et flexi genua coram eis. Item peccavi, quia imaginibus reverentiam exhibui curvando genua, vel candelas coram eis applicando. Item peccavi, quia ossa sanctorum osculatus fui, quae tamen sunt ut alia ossa in ossario. Item peccavi, quia calices emi et ornamenta ecclesiis, quae tamen sunt inanis gloria. Item peccavi, quia credidi, quod in missa cantus et aliae attinentiae sint necessariae, cum tamen non sunt necessariae, nisi consecratio corporis et sanguinis Christi. Item peccavi, quia credidi, quod ad opera solemnitatum opus sit solemnizare, cum tamen non est opus, nisi forma sacramentorum. Item peccavi, quia credidi, unctiones et crismata fuisse sacramenta, cum tamen non sunt de necessitate salutis, quia melius est, sine eis mori, quam aliquid pro eis dare. Item peccavi, quia credidi, quod alius sacerdos alium non possit ordinare, cum tamen bene potest. Item peccavi, quia dedi et solvi ab ordinatione, cum tamen melius esset, laicum etiam officiare. Item peccavi, quia credidi, quod auctoritas papae sit maior, cum tamen non extendit se magis nisi quam alterius presbyteri. Item peccavi, quia credidi, quod papa potest diminuere culpam et poenam per aliquas indulgentias. Item peccavi, quia credidi, quod papae sit obediendum, si est malus; nec etiam alicui praelatorum, si sunt mali. Item peccavi, quia credidi, quod sit alicui obediendum homini, cum tamen soli Deo est obediendum. Item peccavi, quia non credidi, quod quilibet sacerdos possit confirmare, cum tamen quilibet potest, quia hoc episcopi propter suum quaestum et avaritiam reservaverunt sibi, quia qui potest conficere corpus Christi et sanguinem, potest consecrare et alia sacramenta, et ordinare et ecclesias consecrare. Item peccavi, quia credidi, quod non possit corpus Christi et sanguis confici, quotiens necessarium fuerit per

diem, cum tamen potest confici, quotiescumque opus fuerit per diem. Item peccavi, quia non credidi, quod non jejunus possit communicare, cum jejunus et non jejunus potest recipere corpus Christi et sanguinem Christi post coenam vel ante coenam. Item peccavi, quia horas canonicas non dicere credidi esse peccatum, cum tamen horas canonicas dicere non est de necessitate, nec peccat obmittens eas, quia sunt institutiones humanae, sed tantum necessarium est, omni die dicere septem pater noster, quod Christus sic instituit.

Articuli Thaboritarum prokopa holého.

Item elevatio corporis et sanguinis in missa non fit. Item signa super corpus Christi et calicem non sint. Item in ornamentis non officient. Item purgatorium non est tenendum. Item unctio sacri olei et crismatis non teneatur. Item festivitates sanctorum non teneantur, nec populo pronuntientur. Item vigiliae et jejunia sanctorum obmittantur. Item benedictio fontis baptismalis et aquae non admittantur. Item census et aliae utilitates ecclesiae non dentur. Item in aedibus ecclesiae presbyteri non morentur, sed in templis et casis. Item coronam et platam presbyter non deferat. Item pulsus et orationes pro mortuis deserantur. Item pulsus ad Ave Maria dimittatur. Item dedicatio ecclesiae non observetur. Item imagines non admittantur. Item communio utriusque speciei a communi populo observetur.

LXVII.

Tractatus contra errores (Picardorum). Cod. Vienn. 424. f. 30. ap. Denis 1, 1675.)

Primus articulus, quod non sint tres personae scilicet pater, filius et spiritus sanctus, aequales potestate, scientia et majestate in perfecta una eademque deitate.

2^{dus} articulus, quod Jesus Christus non sit verus Deus et homo.

3^{tius} articulus haereticus, quod panis sacramentalis non est verum corpus Christi, sed tantummodo panis, et vinum non est verus sanguis Christi, sed tantummodo vinum.

4tus articulus haereticus est, quod in sacramento eucharistiae panis et vini non sit verus Deus et homo contentus sacramentaliter cum sua divina persona et praesentia.

5tus articulus, quod Christus verus Deus et homo non possit esse multiplicative simul et semel in pluribus locis in communicantibus.

6tus articulus, quod in sacramento eucharistiae verus Deus et homo non sit cultu latriae adorandus.

7mus articulus, quod ante sacramentum eucharistiae non sunt genua flectenda, nec alia signa latriae Deo exhibenda.

8vus articulus, quod in quolibet cibo sumitur corpus et sanguis Christi sacramentaliter ita bene, sicut in sacramento. dummodo homo est in gratia.

9nus articulus, quod omnes fideles, non soli sacerdotes, possint conficere sacramentum corporis et sanguinis Christi.

10mus articulus, quod omnes fideles licite possint et debeant more apostolorum ad manus accipere eucharistiae sacramentum.

11mus articulus, quod nullus sacerdos in peccato mortali existens habet auctoritatem a Deo, sacramentum conficiendi aut baptizandi.

12mus articulus, quod sacramentum eucharistiae in peccato mortali conficientium sacerdotum est foras ejiciendum et ad terram dispergendum.

13tius articulus, quod Judas non sumpsit potestatem conficiendi sacramentum, nec ipse nec alius peccator sumit veritatem corporis et sanguinis Christi in sacramento.

14tus articulus, quod in sacramento corporis Christi sub specie panis non est totus Christus cum sanguine, nec sub specie vini sanguis cum corpore Christi.

15tus articulus, quod sacramentum eucharistiae uni et eidem homini laico licet quotiens sibi libuerit in die uno sumere.

16tus articulus, quod sacramentum eucharistiae non licet nec expedit pro usu fidelium aut cultu divino frequentando in crastinum conservari.

17mus articulus, quod in nulla parochia quocumque uno die liceat vel expediat unquam celebrare plures missas quam unam.

18vus articulus, quod in reparatione regni ecclesiae viantis omnes ecclesiae, altaria, basilicae ad honorem Dei dedicatae et nomine alicujus sancti citra Christum titulatae velut sacrilegae aut simoniacae usque ad primi lapidis fundamentum sint rumpendae, comburendae vel aliter destruendae etc.

19nus articulus, quod (licet) celebrare missas sub divo et per domos et tentoria. (Hoc facere) contra ritum ecclesiae primitivae absque extrema necessitate et ecclesias, quas pro tunc adire possunt, contumaciter contemnere est error, quod quamvis probatum sit ex supradictis scripturis etc.*)

20us articulus, quod sacramentum eucharistiae in sacra missa non liceat unquam ritu ecclesiae (primitivae elevare). I. Paral. 16., ubi dicit: afferte domino gloriam etc.**)

21mus articulus, quod credere vel tenere (licet?), quod sacramentum eucharistiae aut baptismi una cum aliis sacramentis non debeant durare in ecclesia viante donec veniat Christus ad finale judicium. Quod autem iste articulus sit haereticus, probatur etc.

22dus articulus, quod omnes vestes ecclesiae, quae vocantur ornatae, ad sacras missas a primitiva ecclesia circumscripto peccato introductae sunt vestes et plastae haereticae et propter hoc in joppas laicorum aliosque usus inpertinentes expendendae et idem iterum de vasis ecclesiae.

23tius articulus, quod omnes celebrantes missas in ornatis licet circumscripta ab eis superfluitate et superbia et cum plattis sunt meretrices ornatae.

24tus articulus, quod omnes celebrantes missas ritu et vestitu ab ecclesia primitiva consecrato circumscripto pec-

---

*) Videtur librarius confundere articulum haereticum cum refutatione ejusdem omissis nonnullis intermediis.

**) Inscriptio miniata articuli habet: ad elevandam eucharistiam.

cato non sunt sacerdotes sed hypocritae et quod vane orant et missae eorum non sunt audiendae.

25^{tus} articulus, quod jam nunc, scilicet anno praesenti, qui est annus domini 1422, fiet et est consummatio seculi, id est malorum omnium exterminatio, quia sic non est in re, ut experientia docet, eo quod consummatio malitiae erit primo circa diem novissimum judicii generalis.

26^{tus} articulus, quod jam ecclesia militans longe ante adventum Christi novissimum ad finale judicium duratura per alium adventum Christi, qui jam futurus est in regnum Dei pro statu viationis reparabitur et reparatur, sic patet, quod in ea nullum erit peccatum, nullum scandalum, nulla abominatio, et nullum mendacium, nec aliquid coinquinatum, quod probatur per experientiam falsum, quia a diebus nostris non fuerunt tot mendacia pseudoprophetarum et tam periculosa, quam in ipso anno, ex quibus orta sunt multa scandala et multae iniquitates et falsitates inauditae; utinam prophetiae et somnia istorum prophetarum convertantur in caput eorum et iniquitas eorum in verticem ipsorum descendat. Caput enim est circuitus eorum et ideo labor labiorum ipsorum operiat eos, ut dicitur in psalmo, et os eorum loquitur contra illos, ut dicitur II. Reg. 1°. Utinam ergo articulus in illis impleatur et tollatur ab eis mendacium et peccatum et scandalum, essemus pariter bene consolati.

Ulterius patet ex praedictis scripturis, quod iste articulus 27us est erroneus et super omnes crudeles gentilium tyrannos crudelior, quando dicunt, quod jam nunc dies ultionis et annus retributionis, in quo omnes immundi peccatores et adversarii legis Dei, ita quod nullus relinquatur, peribunt et perire debent igne et gladio et septem plagis novissimis (eccl^{ci} 3. ex dictis) scilicet igne, gladio, fame, bestiarum dentibus, scorpionibus et serpentibus, grandine et morte, quod autem iste articulus crudelissimus sit contra scripturas, patet etc. *)

*) Excidit articulus 27^{mus} culpa librarii. Inscriptio miniata in margine superiori habet: „Quod isto tempore peribunt omnes peccatores.“

28. Articulus 28us, qui ex scripturis patet esse erroneus, est iste, quod in praedicto regno reparato hominum viantium nullus malus poterit corporaliter permisceri bonis, nisi prius deponat suam malitiam.

29nus articulus, quod jam in praesenti tempore ultionis non est tempus gratiae miserationis*) que etc., ideo hominibus malis et adversariis legis Christi nulla sunt opera miserationis exhibenda.

30mus articulus, quod jam in tempore praesentis ultionis Christus in sua mititate et mansuetudine et miseratione adversariis legis Christi exhibenda non est imitandus et sequendus, sed solum in zelo, furore, crudelitate et retributione.

31mus articulus, quod in hoc tempore ultionis quilibet fidelis est maledictus, qui gladium suum prohibet a sanguine adversariorum legis Christi in propria persona corporaliter fundendo, sed quod debet quilibet fidelis lavare manus suas in sanguine inimicorum Christi pro eo, quia beatus est omnis, qui miserae filiae Babylonis retribuet retributionem, sicut ipsa retribuit nobis.

32dus articulus, quod omnis Christi sacerdos licite potest et debet in tempore hujus ultionis de lege communi per se pugnare, percutere peccatores, vulnerare et occidere gladio materiali aut alio armorum instrumento.

33tius articulus, quod durante adhuc ecclesia militante jam in tempore hujus ultionis longe ante diem judicii finalis omnes civitates, villae, castra et omnia aedificia ut Sodoma debent destrui et comburi pro eo, quia dominus in eas non intrabit ulterius nec aliquis bonus.

34tus articulus, quod in toto Christianismo adhuc durante ecclesia militante in praedicta plaga tantummodo quinque civitates materiales remanebunt, ad quas fideles tempore ultionis tenentur confugere, quia extra istas quinque salutem minime poterunt obtinere.

35tus articulus, quod jam nunc in hoc anno ultionis,

*) Hier iſt ein Ausdruck unleſerlich.

succisionis (sic) et retributionis Pragensis civitas velut Babylon debet destrui et comburi per fideles.

36tus articulus, quod jam isto tempore ultionis nemo salvari possit et a plagis domini conservari, nisi in congregatione montium corporalium et cavernis petrarum, ubi fideles sunt modo congregati.

37mus articulus, quod isto tempore ultionis quicunque legerit aut audierit verbum Christi praedicari, quo dixit: Tunc qui sunt in Judaea, fugiant ad montes, et non exierint de civitatibus, villis vel castellis ad montes corporales, ubi fratres fideles sunt modo congregati, ille peccat mortaliter contra praeceptum Christi et cum hujusmodi civitatibus, villis et castellis a plaga punietur et peribit.

38vus articulus, quod solum illi fideles, in praedictis montibus congregati, sunt istud corpus, ad quod, ubicunque fuerit, congregabuntur et aquilae et sunt exercitus adeo per totum mundum missi ad exequendum plagas supradictae ultionis et ad faciendum vindictas in nationes et earum civitates, villas et munitiones, qui omnem linguam sibi resistentem in judicio judicabunt.

39nus articulus, quod, quicunque dominus, cliens, civis vel villanus monitus fuerit a fidelibus supradictis, ut in istis quatuor per eos decretis, scilicet in liberatione cujuslibet veritatis, secundo in promotione laudis Dei, tertio in procuratione salutis humanae, quarto in peccatorum destructione, juxta ipsorum modum eis non adhaeserit sua praesentia corporali, omnis talis ut satanas et draco ab eis conteratur aut occidatur et bona ejus diripiantur.

40mus articulus, quod omnia bona temporalia adversariorum legis Christi in tempore praesentis ultionis sunt qualitercumque a praedictis fidelibus invadenda et vastanda ablatione, combustione aut destructione.

41mus articulus, quod omnes villani et subditi etiam compulsive censuantes census annuos adversariis legis Christi destrui et damnari debent et ut inimici Christi in bonis suis devastari.

42dus Item fundare supradictas sententias in illo textu

Matth. XIII°. et XXIV°. de consummatione seculi et intelligere per consummationem seculi finem et terminum praesentis temporis seu anni praesentis, post quod erit aliud seculum id est tempus et evangelium hominum viantium et fulgentium ut sol ab omni prorsus macula in regno patris supradicto usque ad finem mundi duraturo, et non consummationem seculi id est mundi, est error indoctus etc.*)

43tius articulus, quod jam in reparatione regni electi de proprio surgent in corporibus suis resurrectione prima, quae longe praecedit resurrectionem 2dam, quae erit generalis, cum quibus descendendo Christus de coelis conversabitur corporaliter in terris, quem omnis oculus videbit, et faciet grande convivium et coenam in montibus corporalibus et intrando ut videat discumbentes ejiciet malos in tenebras exteriores, et omnes qui extra montes fuerint, velut olim extra archam Noe, diluvio ignis uno momento consumet.

44tus articulus, quod infra resurrectionem Christi primam hi, qui vivi rapientur cum Christo in aëra, non morientur corporaliter, sed vivent cum Christo sensibiliter in vita animali in terris et implebuntur in eis omnia ad litteram, quae dicit Dominus Isaiae LXV°: Ecce ego creo coelos novos etc. usque ad finem capituli et apocal. XXI.°: et vidi coelum novum et terram novam, usque in fin. cap.

45tus articulus, quod in supradicto regno Christi sicut praemittitur per praedictas plagas reparato nulla erit amodo hominibus viantibus persecutio, quod omnis Christi persecutio, et passio membrorum ejus (cessabit).

46tus articulus, quod in supradicto regno hominum viantium usque ad resurrectionem generalem duraturo longe ante cessabit omnis exactor et quiescet tributum et omnis principatus et saecularis dominatio cessabit.

47mus articulus, quod modo non licet fidelibus regni regem sibi fidelem ad vindictam malorum, laudem vero bo-

---

*) Patet haec pertinere ad refutationem articuli erronei a librario omissi, in quo agebatur de consummatione seculi; in marg. inf. legitur etiam diserte inscriptio miniata: de consummatione seculi.

norum eligere pro eo, quia solus Dominus regnabit et regnum tradetur populo terrae.

48^{vus} articulus est iste, quod gloria hujus regni reparati in hac via usque ad resurrectionem generalem erit major, quam ecclesiae primitivae.

49^{nus} articulus, quod hoc regnum ecclesiae militantis, quod est domus novissima ante resurrectionem generalem, majoribus donis dotabitur, quam domus prima, id est ecclesia primitiva.

50^{mus} articulus est iste, quod in regno reparato ecclesiae militantis sol humanae intelligentiae non lucebit hominibus, hoc est, quod non docebit unusquisque proximum suum, sed omnes erunt docibiles Dei.

51^{mus} articulus, quod lex Dei scripta in regno reparato ecclesiae militantis cessabit et bibliae scriptae destruentur, quia lex omnibus superscribetur in cordibus et non opus erit doctore.

(52) Quod lex gratiae quoad sensus suos scriptos in multis passibus in contrarium praedictis opinionibus sonantibus, ut est de persecutionibus, scandalis, injuriis fidelium, fraudibus, rixis, mendaciis, explebitur, evacuabitur et cessabit, et hoc in regno suo reparato ecclesiae militantis.

53^{tius} articulus, quod mulieres in regno reparato ecclesiae viantis non*) carnaliter parient filios sine corporali perturbatione et dolore.

**) Quod adhuc post resurrectionem generalem homines parient filios et filias usque ad nepotes.

55. articulus, quod in regno reparato ecclesiae viantis mulieres non debent reddere debitum maritis suis nec e contra.

56. Quod mulieres in regno reparato ecclesiae militantis parient absque semine corporali.

57. articulus, quod mulieres tempore hujus ultionis licite possunt divortiari et recedere a maritis suis etiam fidelibus quantumcumque invitis et a pueris suis et hospitali-

---

*) non ab eadem manu (?) minio superscribitur *Tῳ̃* carnaliter.

**) Omissus numerus articuli 54.

tatibus suis ad montes corporales vel quinque civitates.

58. articulus, quod nulla a fidelibus sunt tenenda et credenda, nisi quae in canone bibliae expresse et explicite continentur.

59nus articulus, quod omnes traditiones humanae et observationes ecclesiasticae quantumcunque laudabiles et utiles non contradicentes, sed legem Dei adjuvantes velut palea a tritico sunt simpliciter tollendae et destruendae.

60mus articulus est iste, quod decreta universalis ecclesiae et sanctorum patrum a spiritu sancto (dictata), constitutiones quomodocunque legitimae legis Christi promotivae non sunt observandae, quia observationibus in evangelio expressis est contentandum.

61mus articulus, quod scripta, doctrinae et postulationes sanctorum doctorum in scientia et vita ab ecclesia primitiva approbatorum, ut Dionysii, Origenis, Cypriani, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Gregorii et aliorum non sunt a fidelibus legendae et discendae, nec in confirmationem sensuum scripturae allegandae.

62dus articulus, quod omnes veritates in philosophia et septem artibus, quamvis sint legis Christi promotivae, non sunt amplectendae, neque studendae, sed velut gentiles deferendae et destruendae.

63tius articulus, quod aquam baptismatis non licet unquam sanctificare sive benedicere et in ecclesia sanctificatam conservare.

64tus articulus, quod infantes non sunt cum compatribus et solitis a primitiva ecclesia interrogationibus et responsionibus baptizandi.*)

65tus articulus, quod confessiones auriculares non sunt a fidelibus ullo unquam modo pensandae nec observandae.

66tus articulus, quod poenitentibus et confitentibus non sunt unquam jejunia corporalia et castigatio corporalis et

---

*) Refutatio incipit verbis: „cum commodose potest fieri est error,

alia opera satisfactoria ut orationes et eleemosynae et lacrymae injungenda, sed tantummodo: vade et noli amplius peccare.

67tus articulus, quod sacrum chrisma ad ungendum infirmos et baptizatos in ecclesia Dei non sit aliquando habendum vel reservandum.

68vus articulus, quod licet quibuscunque sacerdotibus non episcopis, pro eorum proprio nutu et libito episcopum per se sibi ordinare.

69nus articulus, quod nullus sanctus existens in coelesti patria est a nobis viantibus pro aliquo suffragio ullo unquam modo sibi debito affectandus vel implorandus.

70mus articulus, quod sancti, qui sunt in coelo, non suffragantur hominibus viantibus suis orationibus aut aliis auxiliis.

71mus articulus est iste, quod die dominico excepto nulla alia festivitas est ex aliquo debito ecclesiae primitivae a fidelibus celebranda.

72dus articulus est iste, quod jejunia primitivae ecclesiae, ut sunt quadragesimalia, quatuor temporum, feriae sextae etc. non sunt a fidelibus observanda, sed quod pro velle unusquisque illis diebus comedat, quidquid placet et quotiens placet.

73tius articulus, quod ignis purgatorius post hanc vitam animarum exeuntium a corpore non sit tenendus aut pavendus.

74tus articulus, quod suffragia, orationes et eleemosynae pro nullis fidelibus tanquam illicitae sunt quovis modo faciendae.

75tus articulus, quod hymni, laudes et cantus a primitiva ecclesia emanati in ecclesiis circa cultum divinum non sunt a fidelibus exequendi.

76tus articulus, quod nulli christiano liceat quovis modo comedere carnes suffocatas aut cibos cum sanguine alicujus animalis.

LXVIII.

Unum folium inquisit. haeret. prav. (Diese Bezeichnung schon aus dem 16. Jahrh.)

Item daz das Pater Noster, Pater Noster under der Erde, dass der ober gemindert werde und der under gehöcht werde; daz ist billich und ist recht, wanne der ober det dem undern unrecht. Lutzifer du bist mein Herre, hab du mein leib und meine seele, darum gib mir Gut und ere.

Item dez ersten haben sie gelaubet und gehalten, daz neuer zwie weg sein, ayner zu dem hymel und ayner zu der helle, und kein fegfeuer.

Item sie haben gepeyhtigt irn tzwelfpoten und prudern, die lauter layen seinde, und haben von in puss empfangen und glaubten, daz sie in allem sünde mochten vergeben, als wohl als ein priester, bischoff oder pabst.

Item sie glauben, daz kein bet hülffe sin die toten, noch almusen, noch applas in kirchen noch oder anderswo.*)

8. Item Niemant möcht den andern verurtailn mit dem rechten zu dem tod, wie schuldig er wer, on sünd.

9. Item ein priester möcht dem Menschen sein sünd, wie gross die were, als wohl vergeben, als ein papst oder ein bischoff.

10. Item sie haben ir pruder predig und ler gehört und eingenommen und gelauben, daz all ir ler gerecht weren.

11. von Kerzen-, Palm-, Salzweihe etc.

12. von päpstlichen Geboten, Pfaffengesetz von des Geizes wegen.

13. Item sie haben sich gehalten für die Kunden und uns für die fremden und für die unkunden, und ir gelaub wer gerecht und wer den hyelt, der irret und thet nicht recht und es deucht sie ein fremds dinch sein, wenn eins von den Kunden eins von den fremden zu der e (ehe) nam, und welche von geslecht der Kunden waren, die

*) Die folgenden Artikel sind die gewöhnlichen der Waldenser.

dauchten sich wohl dez der pesser. Item und firmung daz die sey ain festigung christenlichen gelauben, dez haben sie nicht gelaubet.

14. Item etlichen haben gepett, daz Pater Noster und nicht daz Ave Maria.

15. Item sie haben irn gelauben bis her keinem priester nie gebeichtigt, und wer der lauff nicht auffgestanden, daz sie vermeren (sic) vorchten, sie hetten es nymmer gebeychtigt alz ir vordern vil in der irsalung verscheiden sind.

16. Item etlich hielten, ir gelaub het gewert seyt Kayn seinen pruder Abel erslug, und sie wern von Abels geslecht.

LXIX.

Articuli haereticorum Beghardorum. (Cod. Carlsruh.)

Quod hoc quod fit sub cingulo a bonis, non sit peccatum.

Item peccare bonum confitendo sacerdoti. — Contra veritatem evangelicam est, dicit enim: misit leprosos, ut ostenderent se sacerdotibus.

Item non oportere inclinari corpori Christi, eo quod homo Deus sit.

Item quod quidquid faciunt homines, ex Dei ordinatione faciunt.

Item non esse memorandam passionem Christi Domini.

Item quod de morte patris et matris non sit dolendum, nec pro animabus eorum orandum.

Item bono homini non esse peccatum pejerare et mentiri.

Item quod parvum sit b. Virginis meritum, eo quod homo super Deum possit ascendere.

Non audere dicere id quod reputas apud haereticos, latebras est quaerere propter doctrinae turpitudinem.

Item quod admittatur ad amplexus divinitatis, et tunc detur potestas faciendi, quod volt.

Item quod melius est hominem unum ad talem perfectionem pervenire, quam centum claustra constituere.

Item quod homo possit transcendere b. Virginis meri-

tum et fieri Deus et Deo non indigere, et quod opus peccati peccatum non sit bono homini.

Quod angelus non cecidisset, si bona intentione fecisset, quod fecit.

Item quod omnis creatura sit Deus, haeresis Alexandri est, qui dixit materiam primam — —

Ortlibarii dicunt, quod mundus non habet principium. Item dicunt illud quod nos dicimus archam hoc nihil aliud sit quam secta ipsorum etc.

Ortlibenses errant in multis articulis fidei et primo in trinitate, dicunt enim, quod trinitas non fuerit ante nativitatem, sed tunc primo Deus Pater habuit Filium, quando Jesus, quem dicunt esse filium fabri s. Joseph carnalem, sicut ego sum carnalis filius patris mei, suscepit verbum praedicationis b. virginis Mariae. Dicunt enim, quod praedicatio traxit eum in sectam ipsorum et sic factus est filius Dei credendo, qui ante fuit filius carnalis et peccator, sic verbum caro factum est, quando cor carnale Domini Jesu mutatum est per verbum.

LXX.

De Beguinabus. (Cod. Biblioth. S. Galli. Promtuarium eccl. Galli Kemlin.)

Item unitati ecclesiasticae se non conformant, nec ritus, nec regulas, nec caeremonias, nec statuta observant, nec mandatis obtemperant, et confessores, qui eas corrigunt et reprehendunt, abjiciunt.

Item nullum superiorem volunt super se habere nec alicui esse subjectae, sed libertate volunt potiri, de uno ad alium quando volunt commigrantes, et saecularibus sacerdotibus, qui nesciunt eas reprehendere nec in spiritualibus informare, volunt subjici potius quam religioni ipsarum vel alteri (secundum) regulas ordinis.

Item deferunt scapularia et emittunt vota trium*) sub-

*) Das Wort trium iſt unſicher.

stantialium, et tamen dicunt, se semper esse de tertia regula, cum tertia regula de scapulari et votorum professione nihil praecipit et de libertatibus tertiae regulae volunt gloriari, ne angarientur ad ulteriora, ad quae tenentur.

Item dicunt, se esse eremitas, et tamen indulgent corpori omni religioni prohibita, ut comedere carnes, jacere in plumis, (et sunt) instabiles, superstitiosi, sectis innixi et opinionibus fallacibus.

Item religio ipsarum nihil aliud est nisi sentina damnationis, hypocrisisque et adulationis coram saeculo; nihil enim sciunt, nec audire nec recipere volunt rationum, regularum et statutorum ecclesiae, nisi quantum placet ipsis, aversis in singularitate sua ab ecclesia et ab institutionibus legitimis et canonicis; avari, cupidi, nimis angustiati pro temporalibus.

De Beginis item.

Item praesumptuose allegant, facta et acta earum, ritus et caeremonias meliores regulis et ritu sacerdotum ecclesiae Dei fore.

Item funem ordinis ipsis traditum in professione earum, cum quo debent praecingi secundum ritum ordinis Minorum, abjiciunt, verecundantes de eo.

Item ecclesiam Dei et honorem et decorem in pulsibus et ornatibus male curant, sed parvi pendunt, quia habent in locis secretis quasdam capellulas, et ibi habent multa ludicra, imagines parvulas et turpes et larvas femineas et fictas reliquias, et ibi potius idololatriam committunt, quam latriam faciant.

Item nesciunt, quo nomine nuncupari debent, quia nolunt dici Beginae, sed volunt dici sorores, cum non sit hoc speciale nec sit generale et de nullo approbatum, sed fictum, cum ex regula earum, de qua dicunt se esse, debeant dici poenitentes vel sorores minores ac ratione ordinis.

Item adhuc volunt subjici sacerdoti parochiali in officiis et sepulturis, cum non et nunquam liceat, professas juribus parochialibus subjicere, sed ordini Minorum, per se regulares enim non debent offerre.

Item in nullo volunt subjici vel obedire ordini fratrum

Minorum, cum jure deberent, nec ipsis confiteri, sed abominantur eos, nec volunt ab eis corrigi nec rectifficari (?), nisi quantum placet.

LXXI.

Jacobi de Marchia Dialogus contra Fraticellos. (Cod. Vatican. Am Ende folgt noch):

Isti sunt articuli, quos reperi et extirpavi cooperante domino in regno Hungarorum, Sciclorum et Transsylvanorum.

Quod omnes tenentur communicare sub utraque specie. — Quod in Missa sufficit legere solam Epistolam et Evangelium sine paramentis et sine viatico, et ubique licet celebrare die ac nocte, et in domibus et silvis, et uterque sexus cantat in missa cantilenas. — Quod laici literati conficiunt corpus et sanguinem Christi, et tenent, quod possunt conficere. — Quod consecrabant in vasis ligneis, ubi comedunt et bibunt. — Quod in hostia est sola caro Christi, et in calice solus sanguis. — Quod omnia nomina scriptorum deleverunt de Missali. — Quod virgo Maria cum omnibus sanctis non potest nos juvare nisi solus Deus. — Quod nullus debet esse major, etiam papa et imperator, quia omnes sumus fratres in Christo. — Et si quis inter vos voluerit esse major etc. — Quod neque papa nec imperator potest facere legem, sed sufficit observare legem divinam. — Quod quilibet laicus, etiam mulier, potest audire confessionem et absolvere. — Quod sacerdotes debent custodire hostias sicut alii homines. — Quod virgo Maria pulcre depicta apparet meretrix. — Quod ab uno latere cartae pingunt Christum pauperem cum asino, et ab alio papam cum equis et pompis. — Quod depingunt papam, missam celebrantem, et diabolus ministrat ei, et daemones in circuitu. — Quod non debet aliquid offerri in altari, etiam candelas, quia simonia est et avaritia. — Quod sacerdos in mortali non potest absolvere. — Quod clerici circa temporalia occupati sunt membra diaboli. — Quod ecclesia Romana est simulata et synagoga Sathanae et in-

ventio hominum et mater fornicationis et origo et fons omnis mali. — Quod sacerdos habens proprium habet centum daemonia in anima. — Quod juramentum est omnino illicitum. — Quod, quando praelati mandant in virtute obedientiae invocato Christi nomine, quod non praedicent in capellis, sed potius debent dicere, invocato diabolo in virtute antichristi non praedicate in capellis. — Quod quantumcunque sit parvus, potest praedicare. — Quod portant sanguinem Christi secreto in flaschone de corio ad communicandum suos. (Folgen die Artikel der Prager Synode von 1426.)

Quorum omnium haereticorum inter sacerdotes et saeculares conversi sunt praedicationibus meis, fratris Jacobi, gratia Dei cooperante, homines 25 m(illia). Ego fr. J. de Marchia O. M., minimus servus et orator vester.

LXXII.

Inquisitio in Rixendin fanaticam. (Ex M. S. cod. archivorum Archiepiscopatus Narbonnensis.)

Anno Christi nativitatis 1288 XII. Kal. Martii ad audientiam pervenit, venerabilis capituli sanctae ecclesiae Narbonnensis sede vacante — — ad dominum R. Lenterii legum doctorem officialem Narbonnensem, quod quaedam mulier, quae vocatur Rixendis, uxor — — Bartholomaei de Monte Rotundo — — vivebat imo propter verba sua sa — — lis bonitatis multos ad infid — — et ad tantum, quod haec jam quasi publico — — bona et dicta Rixendis de fide Valde — — quia vero docebat, talia tam — — amplexibus — — ideo capitulum vocare fecit — — dictam Rixendim de ejus prof — — ipsa Rixenda existente — — dixit, quod in festo beati Matthaei Septembris proxime transacto faciunt octo anni elapsi, quod ipsa fuit rapta ad coelum et vidit Jesum stantem et sedentem et matrem ejus Mariam magis sibi propinquam et prope eos sa — — beatus Franciscus. Item dixit quod vidit patrem suum et matrem suam in purgatorio et videns eos expiantes delicta sua, et ipsi tunc sibi dixerunt, quod pro eis salvatis triginta sex

— — et inde habuit, scripturas de blado solvendo et dixerunt, quod ad preces ejus multae animae de purgatorio eximantur et specialiter pater et mater sui praedicti et Rixendis Armunda consanguinea sua Aucradis germana. Item dixit, quum ipsa erat rapta, vidit quandam mulierem nomine Feralgueriam de Biterris, quae conterebatur in purgatorio et fuit attrita et verberata per triduum — — alibi diaboli exposuerunt. Item dixit, quod — — erat stratum, in quo conterebatur. — — Vidit patrem suum et matrem in paradiso jacentes coram Deo infra ostium paradisi et nondum — — ad suam mansionem, sed postea paullatim incontinenti venerunt ad suam mansionem. Postmodum quod dicta Rixendis dicebat, quod multum erant attriti, et tunc in praesentia dictorum dominorum fingebat, se raptam et non loquebatur. Hora quia esset comedendi, fuit diem continuata in crastinum.

Qua die continuata in crastinum dicta Rixendis in praesentia venerabilium virorum dominorum G. Amelii Precentore, R. de Polano Archidiacono Tenoleti et magistro B. Caleadelli, canonico in ecclesia Narbonnensi et assistente etiam eisdem domino R. Leuterii legum doctore officiali Narbonnensi — — diversis articulis fidei requisita — — quae respondit quae plane non d — —. Requisita et jurata de veritate dicenda — — tunc primo videlicet de quadam epistola quam ipsa Rixendis, ut dicebatur, dicebat esse factam per sanctum Johannem. Dixit quod cum ipsa esset rapta amore et virtute divina, vox venit ad aurem ipsius Rixendis faciens mentionem, quod die dominica nulla fierent mercata nec ignis incenderetur nec aliquid calidum comederetur, et si quis haberet illam epistolam, ut dixit sibi illa vox, quam dicebat angelicam, omnia bona sibi venirent. Etiam quod Jordana et Maria sorores et Sieardis biguina et plures aliae dominae existentes juxta ipsam et servientes eandem, dum erat in ipso raptu voeemque ad ipsam Rixendim venit facientem mentionem de praedicta epistola audiverunt, quibus ut dixit ipsa Rixendis, poterit veritas attestari. Item quod dum ipsa Rixendis rapta ma-

nebat plures — — veniebant lumina de coelo descendentia et quaedam stella lucifera perveniebat visibiliter supra illum locum, ubi ipsa Rixendis erat in domo, vel — — camerana Maynarde in Burgo Narbonen. Item dixit de animabus mortuorum, quae veniunt in purgatorium, quod cum exeunt de purgatorio et intrant paradisum, paullatim non incontinenti vadunt ad suam mansionem, quam debent habere in paradiso. Requisita, qualiter hoc scit, dixit, quod propter preces, quas ipsa direxerit ad dominum Jesum Christum, ipsa existente in raptu divino, vidit patrem et matrem suam existentes in purgatorio et precibus ejus mediantibus intrantes in paradisum. Vidit ipsos suos parentes stantes et jacentes coram Deo infra ostium paradisi per unum diem et per unam noctem, antequam irent ad sedes suas. Item dixit, quod propter preces, quas ipsa fudit ad dominum Jesum Christum, praedicti parentes sui exiverunt de purgatorio et intraverunt paradisum et ita, quod ipsa debet facere, restitui certam quantitatem bladi pro ipsis et nomine eorundem et ipsam restitutionem illius bladi sumpsit supra se, quare salvi facti sunt. Item dixit, quod quaedam consanguinea sua germana, quae dum erat in saeculo, vocabatur Rixendis Armunda, precibus ejus mediantibus ad Deum, salva facta est, quia erat in purgatorio et nunc est in paradiso.

Anno quo supra VIII. Kal. Martii dicta Rixendis existens in praesentia dictorum dominorum requisita est et interrogata, an Christus ad preces ejus miracula fecerit? quae respondit, quod quaedam puella non videns fuit illuminata, confidens quod ad instantiam dictae Rixendis lumen et usus oculorum restituerentur; quae vocata veniens ad eam tetigit oculos suos manu sua quoddam signum erueis, postquam dicta puella dixit, quod videbat lectos et arcas et fenestras apertas ex una parte et ex alia elausas. Dixit etiam dicta Rixendis, quod ipsa Rixendis erat magis firma erga Deum, quam dicta puella, in fide, quia ad preces suas hoc nt eredebat magis factum fuisset, quam ad preces dictae puellae. Item requisita, a quo habuit filium, quem habet, dixit, quod ipsum non habuit a marito suo et aliter

pluries requisita, a quo habuerat, noluit exprimere nec aliter respondere, sed dicebat, quod ipsa confessa fuit suo confessori, et domini, qui ipsam requirebant et inquirebant, cum non erant confessores sui, nec eis tenebatur revelare. — Item dixit quod ex divina revelatione ipsa sciebat, qualiter debebat duci ad curiam archiepiscopalem a die Mercurii antequam duceretur ad curiam antedictam. Dixit etiam, quod vox venit ad aurem suam dicens: V — — veritas surge, bonitas surge, sanctitas, quia non ita servietur tibi sicut — — tibus! et ista vox venit ad eam pluries multis circumstantibus et audientibus ipsam. Item dixit, quod vox venit ad eam de coelo — — et dixit sibi, quod quamdiu esset in lecto, nullus posset eam abstrahere et si temptaret ipsam abstrahere — — in continenti fieret impotens et prohiberetur per scalam. Haec ut dicit et asserit vero omnes circumstantes audiverunt — — tamen haec fuit die Mercurii proximo transacti praecedente diem captionis suae et citationis suae. — Item dixit, quod postea ipsa sponte exivit lecto, et ideo ipsa exivit lectum propter voluntatem, ne propter ejus captionem aliquis offenderetur et damnificaretur, et ut se confirmaret Christo et martyribus in virilitate quantum ad persecutores. Item dixit, quod circumstantes, quae erant ibi, erant Sicardis cum quadam puella sua et Jordana et Maria et plures aliae, de quibus non recordatur, quae omnes dictas voces audierunt. —

Postmodum quia plures mulieres diversae dicebantur habuisse accessum ad praedictam Rixendim et fidem adhibuisse erroribus ipsius Rixendis, praedicti domini citari fecerunt praedictas mulieres, de quarum citationibus apparet per publica instrumenta confecta per manus Petri de Pro — — saudi — — publicorum notarii Narbonae — — mulieres et alii, qui dicuntur fidem adhibuisse praedictae Rixendis.

Jurati deposuerunt sub hac forma:

I. Caihanus requisitus de veritate dicenda de se ut principali et de aliis ut testis dixit, quod epistola, de qua fit mentio in depositione ipsius Rixendis, laudabat, recti-

ficabat et ampliabat et dicebat, ipsam epistolam esse veram. Item dixit, quod dicta epistola fuit sibi tradita per Alissendam mulierem biguinam de mandato Jordanae Maynarde. Et dixit, quod eam portavit fratri Jacobo Moreno de ordine fratrum minorum, quam postea restituit dictae Jordanae. Item dixit, quod dicta Rixendis comedit die Lunae — — proximo praeterita in Quadragesima — — per Jordanam Maynarde et patrem ejus Johannem et per alias circumstantes mulieres, quia debilis erat dicta Rixendis eo quod fuerat rapta. Item dixit, quod cum ab ipsa Rixendi peteretur, dabat circumstantibus gratiam ipsa Rixendis extensis manibus, manus et brachia extendendo, gratiam circumstantibus porrigebat et dabat. Item dixit, quod fecit venire quendam puerum, filium ipsius Rixendis et manus posuit supra caput ipsius dicens: Ego tibi gratiam, et dicens: habeas tu de gratia, dicens circumstantibus: magna faciet Deus adhuc per istum. — Juratus, utrum crederet et fidem adhiberet dictae Rixendi et factis suis, dixit, quod, antequam eam videret, credebat, quod esset bona mulier, sed postquam eam vidit, non adhibuit fidem ei. Dixit etiam, quod ipse, qui loquitur, postea dedit ipsi Rixendi modicum de culebis novem. Item dixit, quod uxor Guillermi Valardi, cum fuit ingressa domum, in qua erat dicta Rixendis, multum se sibi humiliavit; nescit tamen, si genua sua flexit. Item dixit, quod dum dicta Rixendis comedebat, serviebat ipse et sibi dividendo sibi panem et tenebat sibi siphum, dum bibebat et bibere volebat et dicta domina Jordana victualia sibi administrabat. — Super aliis diligenter interrogatus, dixit se nihil aliud scire.

II. Domina Jordana Maynarda requisita et diligenter interrogata de se ut principalis et de aliis ut testis dixit, quod ipsa hâbebat quondam epistolam, in qua fit mentio de colendo die dominico et alia in ipsa epistola continebantur; quae quidem epistola fuit sibi ostensa et dixit quod bene erat sua et illam fecerat scribi et exemplar habuit, a sororibus sanctae Clarae monasterii de Narbone. Dixit etiam quod antequam haberet epistolam, cavebat, in quantum po-

terat, ne emeret victualia die dominica nec portari faceret et postquam habuit ipsam epistolam, multo fortius cavit sibi in praedictis ratione dictae epistolae. Item interrogatus, si vidit aliqua luminaria supra domum Rixendis divinitus? dixit: quod non. Item interrogatus, si audivit aliquam vocem seu visionem angelicam vel humanam supra dictam Rixendim vel juxta dictae mulieri Rixendi, videlicet loquentem vel signa aliqua facientem? dixit, quod non. Nil novi afferunt nec haec mulier nec ceteri testes, qui audiuntur, excepto septimo, qui refert nonnulla, quae memoratu digna videntur. De illo enim legimus: Dixit se ivisse ter ad dictam Rixendim et audivisse ipsam loquentem et dicentem; et dixit quod praedicta Rixendis vidit eam intrantem, portantem siblays et dixit, quod nunquam aliqua, quae portaret siblays nec cosseas non videret faciem Dei. Item dixit, quod si aliquis comederet aliqua orta in die dominico vel essent collecta die dominico vel calefacta seu escalfadas, non videret faciem Christi, imo sustineret magnas poenas. Item dixit, quod dicta Rixendis dicebat, quod die dominico fuerat octo dies, fuit resurrectio Domini et die Veneris praecedenti fuit passio Domini. Item dixit, quod die Martis proximo praescripta fuit octava dies resurrectionis Domini. Item dixit, quia ipsae essent juxta ipsam, ipsa et plures alii domini audiverunt a dicta Rixendi, quod dicebat: Dus Diaus, Dus Jhesus, Bon Jhesus, Dus Jhesus etc.

Berichtigungen.

S. 6 Z. 10 v. u. etiam fehlt bei B. Guidonis.
S. 7 Z. 18 v. u. st. per factum l. perfectum.
Z. 3 v. u. st. factus l. sanctus.
S. 8 Z. 3 nach catholico hat B. Guid. episcopo.
Z. 7 st. subponunt l. superponunt.
Z. 17 bei B. Guid. steht: dat omnibus particulam suam et postmodum dat omnibus bibere.
Z. 22 st. sumpserunt hat B. Guid. sumerent.
S. 11 Z. 3 st. licita hat B. Guid. linita.
Z. 14 st. sive l. sine.
Z. 16 st. quando hat B. Guid. antequam.
S. 13 Z. 6 st. argumento hat B. Guid. arguunt et.
Z. 15 st. ductum l. ducatum.
Z. 19 st. meliora hat B. Guid. moralia.
S. 14 Z. 1 st. corde tenentes hat B. Guid. corde tenus.
S. 16 Z. 4 st. contimescens hat B. Guid. contremiscens.
Z. 6 st. nec l. ne.
Z. 8 st. eis hat B. Guid. aliis.
Z. 18 st. aliquid contra hat B. Guid. ad aliud quam.
Z. 23 nach ostendere hat B. Guid. et adulari examinantibus.
S. 17 Z. 16 v. u. st. quod l. quid.
S. 19 Z. 7 v. u. st. nos l. vos.
S. 22 Z. 5 v. u. st. ennum l. vinum.
S. 26 Z. 20 st. exhortationem l. exonerationem.
S. 32 Z. 12 st. qui l. quia.
Z. 17 l. inveniebat ibi scriptum.
S. 40 Z. 7 st. Fridericus l. Frater (s. S. 34 Z. 9).
S. 43 Z. 12 st. fratre hat Preger fine.
S. 44 Z. 11 v. u. st. quo peracto hat Preger quo pacto.
Z. 1 v. u. st. quod est etc. hat Preger: quod etiam [promiserunt]. Et haec tria supra dicta.
S. 46 Z. 7 hat Preger: fuimus, attamen si verba . . . haberent. Et ad u. s. w.

S. 46 Z. 14 st. eorum l. si eorum.
S. 51 Z. 14 v. u. hat Preger: Haec super jam dicta Valdesianorum discordia et objectionibus.
S. 53 Z. 4 st. oriundus l. oriundo.
Z. 12 st. necessarius l. neccssarium.
S. 58 Z. 9 st. contraria l. contrarii.
S. 61 Z. 3 st. Habrae l. Abrahae.
S. 70 Z. 6 st. ex l. etiam.
Z. 12 st. oculus l. oculis.
S. 71 Z. 10 st. nolite l. noli te.
S. 79 Z. 12 st. quod l. quid.
S. 86 Z. 7 st. substolam l. sustollam.
Z. 10 st. nobiscum l. vobiscum.
Z. 7 u. 6 v. u. st. audientes l. audientibus.
S. 87 Z. 2 v. u. st. mortales l. mortalem.
S. 89 Z. 1 st. sed quum l. quod.
Z. 15 streiche das zweite dicens.
Z. 17 l. voluit, sedit supra nubes et misit ministros suos ignem urentem ad homines infra ab Adam usque ad Enoch ministrum.
S. 91 Z. 1 st. glorificari l. glorificare.
Z. 11 v. u. l. solventur quatuor venti.
S. 92 Z. 2 v. u. st. opus l. corpus.
S. 93 Z. 9 v. u. st. opus l. corpus.
S. 94 Z. 3 v. u. st. praedicantur l. praedicant.
S. 96 Z. 18 st. sibi l. ibi.
S. 108 Z. 14 v. u. st. recepit l. incepit.
S. 111 Z. 13 v. u. st. universe l. univoce.
S. 117 Z. 3 v. u. st. possent l. posset.
S. 120 Z. 15 v. u. st. Qualardo l. Gualardo.
S. 126 Z. 9 st. quod l. quod, si.
S. 128 Z. 7 st. nec l. licet.
Z. 21 st. confitentur l. confitetur.
Z. 12 st. ipsis l. ipsi.
S. 129 S. 12 st. ipsis l. ipsi.
S. 131 Z. 12 st. possent l. posset.
S. 141 Z. 9 st. alto l. alio.
Z. 12 st. altus l. alius.
S. 142 Z. 8 st. nos l. vos.
S. 148 Z. 13 st. Ex l. Et.
S. 149 Z. 6 st. tangeret l. tangerent.
S. 161 Z. 6 st. dissonita l. dissoluta.
S. 166 Z. 7 v. u. st. prohibitum l. prohibitus.
S. 169 Z. 3 st. festivum l. festivam.
S. 183 Z. 15 st. nullus l. ullus.
S. 188 Z. 5 v. u. st. repaus l. repausam.
S. 190 Z. 7 v. u. st. affectu l. effectu.

S. 191 Z. 9 st. affectu l. effectu.
S. 192 Z. 1 st. si l. scd.
S. 198 Z. 8 st. sed l. et non.
S. 202 Z. 7 st. venerant l. venerat.
S. 204 Z. 3 st. habebitis l. habetis.
S. 213 Z. 16 st. natura l. creatura.
S. 230 Z. 6 st. attirebat l. attinebat.
S. 236 Z. 13 v. u. l. quod non essct.
S. 243 Z. 7 v. u. st. fecerant l. facerent.
S. 246 Z. 9 v. u. st. disputavit l. dispensavit.
S. 252 Z. 8 st. exterminavit l. examinavit.
S. 254 Z. 4 v. u. st. aurictalem l. auricularem.
S. 260 Z. 9 v. u. l. fecerat in hoc mundo, et pane.
S. 265 Z. 6 v. u. st. Retho l. Betho.
S. 268 Z. 2 v. u. st. petite l. parcite.
Z. 1 v. u. st. peto l. parco.
S. 269 Z. 4 v. u. st. pediseta l. pediseca.
S. 271 Z. 12 st. enaxerint l. evaserint.
S. 274 Z. 4 st. quia l. quem.
Z. 12 v. u. st. talentum l. talentorum.
S. 277 Z. 6 v. u. st. natum l. natam.
S. 284 Z. 10 v. u. st. itero l. utero.
S. 285 Z. 18 st. primogenitam l. primogenituram.
S. 288 Z. 12 nach rei hat B. Guidonis: et sine unctione quacunque et.
Z. 4 v. u. hat B. Guid.: remittere, nec potest celebrare, potest.
S. 289 Z. 6 hat B. Guid.: circa eum, et taliter ordinatus diaconus.
Z. 5 st. est l. et est.
S. 290 Z. 11 st. gratiam hat B. Guid. granum.
Z. 15 st. laneis hat B. Guid. laxis.
S. 291 Z. 13 l. deviaverant peccando, commissorum.
S. 296 Z. 2 st. agnis l. agris.
S. 301 Z. 1 v. u. st. sinc hat Friess sensus.
S. 303 Z. 7 st. meliorari hat Friess quasi meliori.
S. 304 Z. 17 st. dictorum l. doctorum.
Z. 20 st. producant l. producunt.
S. 305 Z. 4 st. omnes, mortui l. omnis mortui.
Z. 6 v. u. st. dilate hat Friess dilatari.
S. 306 Z. 4 imo fehlt bei Friess.
No. 7 Z. 1 st. praedicationes hat Friess praedicatores.
S. 310 No. 81 Z. 2 st. nunciant hat Friess vel privatim.
No. 83 Z. 3 st. spiritualis hat Friess specialis.
No. 85 Z. 1 nach solam hat Friess fovere.
S. 311 Z. 9 st. singulos l. singuli.
Z. 14 v. u. st. thelam hat Preger rhedam, Friess cedam (schedam?).
S. 314 Z. 10 st. enim l. etiam.

S. 316 Z. 13 st. credenti l. credunt.
S. 317 Z. 12 st. dejiciunt l. despiciunt.
Z. 14 st. fuscatos l. fucatos.
Z. 19 st. conditione hat Preger contrarietate.
Z. 21 st. illorum l. illarum.
Z. 10 v. u. st. spiraculum l. spiculum.
S. 318 Z. 1 v. u. hat Preger: vero trepide et invite prodit errores et suos complices vel exactus jurare reddit se difficilem.
S. 324 Z. 10 st. alia l. alii.
S. 328 No. IX Z. 1 st. rebaptizari l. baptizari.
No. XII Z. 2 l. apostolorum persecutores.
Z. 2 v. u. l. quilibet bonus et.
S. 329 No. XIX Z. 1 st. inexpurgabile l. inexpiabile.
Z. 13 v. u. st. transmisisse l. transiisse.
S. 330 Z. 5 st. Amotuste l. Arnoldistae (s. o. S. 317).
S. 336 Z. 5 st. Verum econtra l. Unde etiam.
Z. 8 st. per modum hat die Biblioth. PP. primorum credentium.
Z. 11 st. unanimiter l. una cum.
Z. 8 v. u. st. facto l. sancto.
Z. 3 v. u. st. omnia hat die Biblioth. PP. quasi omnia.
S. 337 No. 9 Z. 4 st. pocnarum l. poenitentiarum.
S. 338 Z. 11 nach scilicet beizufügen bonorum.
Z. 7 v. u. st. ut l. et.
S. 339 Z. 9 st. paramenta hat die Biblioth. PP. praeparamenta.
Z. 12 st. consecrare l. communicare.
Z. 16 st. ponit comburendam hat die Biblioth. PP. projicit comburendum.
Z. 19 l. ad communicandum eunt in.
Z. 21 st. quamquam l. quandoque.
Z. 9 v. u. st. qui l. quod.
Z. 3 v. u. st. vanum triumphum hat die Biblioth. PP. unam truffam.
S. 341 Z. 5 st. etiam invenerint hat die Biblioth. PP. talia adinvenerint.
Z. 4 v. u. st. permixturas hat die Biblioth. PP. promiscuas.
S. 342 Z. 7 st. fuerint l. fuerunt.
Z. 13 st. sectariorum hat die Biblioth. PP. secretorum.
Z. 15 st. pro l. post.
Z. 7 v. u. st. vor meinen l. von Menz.
Z. 5 v. u. st. Amen l. eine.
Z. 3 v. u. st. Marter l. Mutter.
S. 343 Z. 1 st. qua re l. qualiter.
Z. 3 st. ut l. vel.
Z. 5 st. tunc l. tune.
S. 344 Z. 5 st. item l. item quod.
S. 349 Z. 9 st. confessus et l. confessus es.
S. 352 Z. 13 v. u. l. Constantinopolim.

S. 358 Z. 2 st. fuisse l. fecisse.
Z. 16 st. temeraria l. temerarie.
S. 359 Z. 3 st. ejusdem l. eisdem.
S. 363 No. 1 Z. 1 hat Oefele: Crediderunt quod, si fuerint confessi . . . laicis, exinde poenitentiam egerint, absolutionem habituros peccatorum.
Z. 4 v. u. hat Oefele: propter cleri excogitata avaritiam et instituta.
Z. 2 v. u. st. institutum l. instituta.
S. 364 Z. 3 st. alii l. illi. Hinter Item hat Oefele quidam.
Z. 8 hat Oefele: et tunc manifestari et omnes generationes congregandas cum eadem secta. Item crediderunt quod nullus judex aliquem condemnare posset ad mortem, quantumcunque.
S. 367 No. XXXIII Z. 1 hat Friess: A. D. 1392 die quarta mensis.
Z. 14 v. u. st. Gemed hat Friess Gmunde.
S. 368 Z. 6 st. proficiuntur hat Friess praeficiuntur et ordinantur.
Z. 17 st. vita hat Friess intrare.
Z. 13 v. u. st. tenendum l. tenendam.
Z. 7 v. u. st. conditione l. contradictione.
S. 369 Z. 7 st. major l. more.
Z. 8 st. Retrahitur hat Friess Prohibetur.
Z. 9 nach sequendo hat Friess seniorem.
Z. 12 st. solet l. solent.
Z. 21 st. descendit l. descendat.
S. 379 Z. 19 v. u. hat Haupt: reprobatum sectari et ipsum ac.
Z. 14 v. u. st. sub l. sibi.
S. 380 Z. 5 v. u. st. monitionis l. monitionem.
S. 381 Z. 2 st. intimamus hat Haupt intimantes.
Z. 8 v. u. st. sub l. sibi.
S. 382 Z. 19 nach supradictae hat Haupt contrariis.
Z. 22 st. traditum l. traditam.
S. 383 Z. 11 nach conformia hat Haupt portare.
S. 395 Z. 14 st. omni spiritu hat Haupt omnium spirituum.
Z. 17 st. Machumeti hat Haupt Manichaei.
Z. 11 v. u. st. nisi hat Haupt sed.
Z. 8 v. u. st. dicendum hat Haupt docendum.
Z. 3 v. u. st. animus l. aliquis.
Z. 2 v. u. st. indigebat l. indigeat.
S. 396 Z. 1 st. animus l. aliquis.
Z. 17 nach Dei hat Preger Pelagius.
Z. 20 l. praeposuit. Dicere.
Z. 21 st. virtutem hat Haupt veritatem.
Z. 7 v. u. nach Pelagii hat Haupt haeresis.
Z. 4 v. u. st. dicetur l. dicitur.
S. 397 Z. 16 v. u. st. perjuriosissimum hat Haupt perniciosissimum.

S. 397 Z. 2 v. u. nach translatus hat Haupt esset.
S. 398 Z. 6 nach esse hat Haupt haeresis est Sadducaei. St. quod dicit hat Preger Quod dicitur.
Z. 18 st. convinctum l. conjunctum.
Z. 10 v. u. hat Haupt: haeresis est. In idem redit quod dicitur, quod homo possit fieri Deus cum Deo et ipsum penetrare. Dicere hominem posse fieri altiorem filio Dei, et Arriani haeresis est et Pelagii, qui etiam Arrianus.
Z. 2 v. u. vor phantasma hat Preger secundum.
S. 399 Z. 3 hat Haupt: virtutes et daemones non esse nisi vitia haeresis.
Z. 11 v. u. hat Haupt: Dicere quod ei qui admittitur ad amplexum divinitatis, detur.
Z. 8 v. u. st. (pervenire) l. ducere.
S. 400 Z. 1 st. in substantia hat Haupt unam substantiam.
Z. 7 nach cujusdam hat Preger Ordevi, Haupt Ortlibi.
Z. 18 st. poenitentis l. poenitentiae.
Z. 11 v. u. st. ab homine l. ad hominem.
S. 401 Z. 2 st. latet l. lactet.
Z 14 v. u. nach sit hat Wattenbach credendum.
Z. 8 v. u. l. Item quod.
Z. 6 v. u. nach unitus hat Watt. Deo.
Z. 4 v. u. st. Dei diem per agere hat Watt. diem diei praeferre.
Z. 2 v. u. st. mutuoque l. mutatoque.
Z. 1 v. u. l. Item quod.
S. 402 Z. 8 l. homines boni non.
Z. 9 l. sed vacare et videre.
Z. 12 v. u. st. et l. Item.
S 403 Z. 17 st. paucorum l. pauperum.
S. 406 No. XLI Z. 5 hat Haupt: in Pingwia videlicet a. D. 1392.
S. 408 Z. 8 v. u. st. exotice l. azotice (Neh. 13, 24).
Z. 7 v. u. st. imo l. ideo.
Z. 2 v. u. st. numero hat Haupt merito.
S. 409 Z. 16 st. magis hat Haupt majus.
Z. 17 st. aliquas hat Haupt aliqui.
S. 410 Z. 7 st. satanitatem hat Haupt substantialitatem.
Z. 18 hat Haupt: quos evangelium pauperes vocat.
S. 411 Z. 15 st. quibus l. quibusdam.
Z. 18 st. pro l. prae.
Z. 22 st. advertet l. advertat.
Z. 4 v. u. hat Haupt: proscripti annumerati pauperibus confoventur.
S. 412 Z. 14 v. u. hat Haupt: orant, aliqui etiam.
Z. 9 das Komma nach capiunt zu streichen.
S. 413 Z. 13 nach religiosorum und peregrinorum ein Komma zu setzen.

S. 413 Z. 6 st. apparatum hat Haupt apparentiam.
Z. 16 st. foverunt l. voverunt.
S. 414 Z. 7 v. u. st. sunt hat Haupt sint.
Z. 6 v. u. postremo fehlt bei Haupt.
S. 415 Z. 3 in gradu fehlt bei Haupt.
Z. 4 st. perfecto hat Haupt perfectionis.
Z. 5 st. aliquando hat Haupt aliqui.
Z. 14 hat Haupt: diebus jejunabilibus omnia.
S. 457 Z. 13 st. Laetatus hat das Archiv Laetatur.
Z. 20 st. ex verbo l. exemplo.
Z. 8 v. u. st. spiritualiter und Z. 4 v. u. st. liberaliter hat das Archiv literaliter.
S. 458 Z. 3 st. Pontifex summe l. Pater sancte.
Z. 6 st. conversationi l. conservationi.
Z. 8 st. Verum l. Unde.
Z. 17 v. u. hinter regulam beizufügen delinquendi.
Z. 16 v. u. st. dicentis l. dicens.
Z. 7 v. u. st. religione l. regula.
Z. 4 v. u. st. nolunt l. volunt.
S. 461 Z. 18 st. ego l. aliquos.
S. 466 Z. 14 st. subsequentibus l. subsequenter.
Z. 15 st. imperfecte hat das Archiv in persecutione secunda.
Z. 3 v. u. st. nimis l. vivis.
S. 467 Z. 2 st. curam l. coram.
Z. 12 st. displicentia l. displicentiam.
Z. 10 v. u. st. ex l. Christi.
Z. 7 v. u. vor fratres beizufügen LXII vel LXXII.
S. 468 Z. 10 st. bene cortesio l. Bonocortesio.
Z. 2 v. u. l. Excogitatisque modis.
S. 469 Z. 11 streiche prae, Z. 14 streiche se und eisdem.
S. 470 Z. 1 v. u. l. curiositati et amori.
S. 471 Z. 13 st. salutares l. salutans.
Z. 12 hinter denudato ein Strichpunkt, Z. 14 hinter apposito ein Komma zu setzen.
Z. 10 v. u. st. odiosum l. otiosum.
Z. 5 v. u. st. cum l. omni.
S. 473 l. ordo in communi, documentis.
S. 474 Z. 8 st. assistentes l. existentes.
Z. 11 st. sapientibus l. superioribus (?).
S. 475 Z. 15 v. u. st. decernens l. decretalis.
Z. 8 v. u. st. qua l. quam.
Z. 7 v. u. st. doctorem l. doctorum.
S. 476 Z. 3 st. hoc l. homo.
Z. 9 st. sermonem l. personam.
Z. 10 st. suae l. sacrae.
Z. 11 v. u. st. comitatoribus l. imitatoribus.

S. 477 Z. 14 st. Mantua hat das Archiv Montino.
Z. 14 v. u. l. Hugo de Digna.
Z. 12 v. u. st. Ancona l. Accon.
Z. 8 v. u. l. ordo catenatorum tantae.
Z. 7 v. u. st. ut l. quod.
Z. 4 v. u. l. regulae et testamenti.
Z. 3 v. u. st. Unum oppositum l. Unde oportet.
S. 478 Z. 14 st. Quum l. Quoniam.
Z. 16 st. secundis l. primis.
Z. 19 st. diffamaverunt l. diffiniverunt.
Z. 8 v. u. st. volverunt l. devolverunt.
S. 480 Z. 15 v. u. st. Ut haberem l. nec putetis ita ipsum ut hominem.
S. 482 Z. 1 st. audientia l. audacia.
Z. 9 st. laetis l. lotis.
Z. 5 v. u. st. quem l. quam.
S. 483 Z. 4 st. infra l. intra.
Z. 14 v. u. st. Congregate l. Congreget.
S. 484 Z. 1 st. languivit l. elanguit.
Z. 11 l. Inimicabantur.
S. 485 Z. 7 v. u. l. de vi voti evangelici.
S. 486 Z. 10 st. possent l. posse.
S. 488 Z. 1 st. hac l. hoc.
Z. 14 st. Ecclesiae l. Ecclesia et.
Z. 5 v. u. st. vero l. vestra.
S. 489 Z. 11 l. Secrete conveniunt quinque ministri et habito.
Z. 9 v. u. hat das Archiv: valerent, tyrannicum praeceptum ad terrorem omnium apponentes, ut si.
S. 490 Z. 18 st. Earum l. Eorum.
Z. 21 st. pravitatis l. pravitate.
S. 492 Z. 9 st. permiserit l. promiserit.
S. 493 Z. 16 v. u. hinter recipere beizufügen proprium.
S. 494 Z. 7 st. bestia l. Bestia oder Hestia.
Z. 17 v. u. st. filius l. filiis.
S. 495 Z. 13 v. u. st. affligebant l. affligebantur.
S. 496 Z. 9 st. Quod l. Quem.
Z. 14 v. u. l. ad partes Achajae et Tessaliae.
S. 497 Z. 13 st. diffamatores l. diffamationes.
Z. 16 st. contrahentes l. contraherent.
Z. 5 v. u. st. provinciam l. praesentiam.
S. 498 Z. 3 st. provinciam l. praesentiam.
Z. 15 st. S. Pontifex l. Sancte Pater.
Z. 16 hinter vestra beizufügen Sanctitas.
Z. 13 v. u. l. Venetiis, duobus.
S. 499 Z. 4 l. Domino Solae loquens.
Z. 11 st. Domini l. dominii.
Z. 13 st. agentes (?) l. ad Graecos (?).

S. 499 Z. 14 l. mora duorum ferme annorum in laboribus.
Z. 13 v. u. hinter (habebant) beizufügen incurrebant.
S. 500 Z. 19 v. u. l. quod tantum bonum propter.
S. 501 Z. 8 v. u. st. perseverare l. praeservare.
Z. 4 v. u. l. habere, si vis in regno moram contrahere, quia illis habitis, quamdiu.
Z. 2 v. u. st. Effecit l. Fecit.
S. 502 Z. 5 st. devertentes l. divertentes.
Z. 13 st. attentus l. attentius.
Z. 18 st. dare l. recommendare.
S. 503 Z. 2 st. spe l. specie.
S. 504 Z. 17 st. aliqui l. aliquando.
Z. 19 st. Cum quoque l. Cumque.
S. 505 Z. 14 st. in vita hat das Archiv tinnitu.
Z. 10 v. u. hinter vis ein Komma zu setzen.
Z. 4 v. u. l. propria. Et ad.
Z. 3 v. u. hat das Archiv: Dei, quos vinctos quandoque ante se, quandoque post se trahi faciebat, virgines quasdam et poenitentiae feminas.
S. 506 Z. 18 v. u. hat das Archiv: in mente vel lingua nostra talis confessio fuit, quod essemus.
Z. 14 v. u. st. nostro l. nostro te.
S. 507 Z. 12 v. u. st. judicii l. judicis.
Z. 11 v. u. das Komma nach Priori zu streichen.
Z. 9 v. u. st. Num quum l. Nam unde.
S. 508 Z. 2. Der Anfang lautet im Archiv II, 128: Hujus malignitatis livore et corrumpenti ac devoranti rubigine infecti et maculati.
Z. 17 st. eum l. ei.
S. 509 Z. 7 st. humiliare l. humiliari.
Z. 8 st. reducere l. reduci.
Z. 14 st. Auxani (?) l. antichristiani spiritus.
S. 510 Z. 1 st. qui l. quando.
Z. 4 st. multi l. multos.
Z. 5 v. u. st. et virtute l. et verbi virtute.
S. 511 Z. 13 st. duobus l. dominis.
Z. 20 l. scripturarum apertum et.
S. 512 Z. 6 st. praediabant l. praedicabant.
Z. 12 l. irreverentia et inobedientia.
Z. 18 hinter volumine ein Komma, Z. 20 hinter insaniente ein Punkt zu setzen.
Z. 10 v. u. hat das Archiv: sciatis, quod, si ego propter hoc deberem damnari, oportet quod ordinem vindicem de.
S. 513 Z. 2 l. a fratribus exemtis, Ubertino vid. et.
Z. 5 st. provincia l. Provincia.
Z. 9 v. u. st. vivat l. viveret.

Z. 2 v. u. st. suscepit l. susceperit.
Z. 1 v. u. st. quam l. quod.
S. 514 Z. 7 vor nullam beizufügen et ipsos.
Z. 9 st. perhibito l. praehabito.
Z. 2 v. u. st. voluerunt l. valuerunt, st. eorum l. vero.
S. 515 Z. 3 st. revocationem l. renovationem.
Z. 3 v. u. st. placitis l. praelatis.
S. 517 Z. 9 st. scitando l. citando.
Z. 19 st. principum l. partium.
S. 518 Z. 7 st. Provinciae l. poenitentiae.
Z. 12 v. u. und Z. 2 v. u. st. Pontifex summe l. Pater Sancte.
Z. 9 v. u. st. praecipe l. praecipere.
S. 519 Z. 15 st. Verum l. Unde.
Z. 12 v. u. st. deinceps l. de ipsis.
S. 520 Z. 17 st. decesserunt l. accesserunt.
Z. 7 v. u. l. innumera, pro quibus nec audiri nec.
Z. 4 v. u. st. Christo l. fide.
Z. 1 v. u. st. providebant l. praevidebant.
S. 521 Z. 12 st. persequi l. prosequi.
Z. 18 st. accusarent l. carcerarent.
Z. 21 st. lapidaverat l. dilapidaverat.
S. 522 Z. 14 v. u. steht im Archiv: quod asserebant, regulam S. Francisci esse idem quod evangelium Christi, quod solemniter promissum cadit in praeceptum, eo quod tale.
Z. 11 v. u. st. enim l. etiam.
S. 523 Z. 2 st. eos l. eas.
S. 524 Z. 12 v. u. l. per ignem et aquam.
S. 526 Z. 11 st. cum sapientia l. precum frequentia.
S. 585 Z. 6 v. u. st. Accusio l. Accursio.
S. 586 Z. 15 v. u. st. Cingulo hat Lea Cordiglio.
S. 600 Z. 7 st. venditione l. vestitione.
S. 605 Z. 12 v. u. st. reficiendi l. reficienda.
S. 609 Z. 9 v. u. st. praedictionis l. praedictorum.
S. 613 No. L Z. 5 st. kinchehen hat Wattenbach kintlichen.
Z. 1 v. u. hat Watt.: Maria (sprechen) oder.
S. 614 Z. 6 st. die und Z. 7 st. die die hat Watt. der.
Z. 13 v. u. st. Ketzer hat Watt. ketzert.
Z. 9 v. u. st. trin l. triw.
S. 624 Z. 7 v. u. st. sustinendi l. sustinendae.
S. 632 Z. 5 v. u. st. tristia l. tristitia.
S. 640 Z. 5 v. u. st. hanc l. hunc.
S. 693 No. 19 Z. 2 hat Höfler: tentoria et mutare ritum.
S. 694 No. 25 Z. 2 st. 1422 hat Höfler 1420.
S. 695 No. 29 Z. 2 hat Höfler: gratiae et miserationis quoad Deum, et ideo.
S. 697 Z. 1 st. XIII l. XXIII.

S. 697 Z. 4 st. evangelium hat Höfler aevum.
No. 43 Z. 2 st. proprio hat Höfler proximo.
No. 43 Z. 1 v. u. hat Höfler: Noe in diluvio, ignis.
No. 44 Z. 1 Christi zu streichen.
S. 703 Z. 12 l. nativitatem Christi, sed.
S. 704 Z. 8 v. u. st. nec l. sed.
S. 705 Z. 17 st. scriptorum l. sanctorum.
S. 709 Z. 2 v. u. st. epistola l. epistolam.

Register.[1])

Abfall von der Secte 188, 196, 226.
Abjuratio 291, 335.
Ablass 198, 320. — W. 7, 337. — Pic. 628, 689.
Absolvere a matrimonio 20, 39, 235.
Abstinentia 22, 26, 27, 37, 241.
Accursio, Inquisitor in Florenz 585.
Adam und Eva 34, 60, 88, 189, 267, 274. — Präadamiten 617.
Adamitae 640.
Adern öffnen 248, 250.
Adoratio 4, 21, 25, 39, 145, 268; 5, 18, 34, 41, 236, 293.
Adventus trinus Christi 530.
Aegidius, Franciscaner 425, 470, 476, 477.
Agatha 109.
Agennum 292.
Alamannis, Castrum de 123, 140.
Alaxona la Lauriana, W. 258, 259.
Albanenses 53 ff., 319, 327.
Albertus Dux Austriae 305, 349.
Albertus de Pisis, Franciscaner-General (1239) 463, 466.
Albigesium 109.
Albigenser 3, 17, 612; s. Cathari.
Alemanni, W. 304, 345.
Alexander 399.
Almosen 23, 197 ff., 225, 234, 247, 250, 251.
Altes Testament 59, 61, 63, 66, 196, 201, 275, 284, 285, 322, 374, 375. — W. 71, 316, 353. Vgl. Moses.
Alvarus, episc. Silvensis 615.
Amalricus 509.
Amelius de Perlis, Alb. 223, 226.
Ancianus 64.
Andreas de Servio (da Segna?) 503.
Andreas Tavernerii, Alb. 239, 241.
Angelus, socius S. Francisci 425, 461. Ein anderer Francisc. (A. de Clarino?) 491, 518, 519.
Antichrist 283, 296, 371, 625, 643; — bei Olivi 531 ff., 560 ff., 569 ff.; — bei Cecco d'Ascoli 587.
Antonius Galosea (Galosna?) de Monte S. Raphaelis, W. 254, 262, 264.
Antonius von Padua 465, 616.
Antonius de Septo de Saviliano, Inquisitor 251.
Apamea (Pamiers) 17, 109, 122 ff., 139 ff., 230, 244.
Apokalypse 272. — W. 12. Olivi 527 ff.
Apostel 179, 180, 192. Apostolus = Patron 333.
Apostoli seu de paupere vita 265, 509, 510, 610.

[1]) Alb. bedeutet Albigenser, Francisc. Franciscaner, Pic. Picarden, W. Waldenser.

Apulien 252, 253.
Archilli 277.
Arelate 144.
Aristotelcs 555, 617.
Arlottus (de Prato), Francisc.-General (1285) 484.
Arme, willige 382. Fratres de altissima paupertate 403.
Armuth 418, 445, 485.
Arnaldus de Villanova 38, 508.
Arnoldistae 317, 328, 330.
Articuli septem fidei, Wald. 93, 368.
Astrologie 586.
Auferstehung des Leibes 31, 58, 65, 83, 187, 197, 267, 284, 323. Erste und zweite A. 697. Vgl. Christus.
Augsburg 363.
Auguriare 37.
Aurisica 109.
Auterii, Guil., Jac. und Petrus, Alb. 21, 24 ff., 145, 154, 157, 211, 213, 241 ff., 251.
Ave Maria 159, 613. — W. 11, 99, 104, 122, 307, 332, 339, 365, 620, 702. — Pic. 647.
Averroes 555.
Avignon 38.
Ax 21 ff., 145, 154 ff., 174, 175, 179, 241.
Aymo (Haymo), Francisc.-General 466.
Ayton (Hayton II.), König von Armenien 490.

Babylon nova 549 ff., 553, 573, 579, 581.
Bagnolenses 82, 327, 612.
Barbae 365 ff.
Bartholomaeus Siccardi, Francisc. 508, 512.
Bartholus de Massa Trabaria 450.
Basel, Concil 673, 675, 677, 678.
Bavili, Bern. und Guil., Alb. 239, 245.
Beghardi 381, 384, 389, 403, 406, 702.
Beginae 263, 379, 382, 406, 703.
Begini 289, 512, 518, 524, 601; 19, 20, 27, 244.
Beichte 280, 282, 613. — W. 7, 14, 93, 94, 98, 101, 115, 129, 253 ff. — Pic. 670, 688, 699. — Beginen 379.
Belgien 664.
Benedict XI. 511.
Benedict XII. 687.
Benedictio (Melioramentum) 4, 18, 21, 25, 30, 39.
Benedictio panis s. Panis.
Benedictionen, kirchliche, W. 307, 309, 338. — Pic. 649.
Bentivenga, Francisc. 510.
Berardus Raschcrii, W. 260, 268.
Berengarius 650.
Bernardus Deliciosi 520, 522 ff.
Bernardus Franca, Alb. 231.
Bernardus Oliva, Alb. 37.
Bernardus de Quintavalle, Francisc. 425, 429, 461, 464, 477.
Bertrandus Martini, Alb. 35, 292.
Besitzlosigkeit, W. 10, 12, 93, 96, 100, 131. — Begharden 403.
Bibel 94, 201. — Übersetzung W. 6, 13, 317.
Bilder 26, 56, 168, 176, 323. — W. 307. — Pic. 670.
Bilia de la Castagna, W. 258, 259.
Bischof s. Episcopus.
Biterra 543.
Blasmanta 327.
Böhmen 627, 629, 633, 635, 641 ff.
Boleslavienses, Pic. 641, 649, 650, 664.
Bonadies, Francisc. 468.
Bonae mulieres 165.
Bonagratia, Franciscaner-General (1279) 483, 512.
Bonaventura 417, 473, 475, 478—481.
Boni christiani 4, 5, 17, 25, 31,

39, 109, 154, 170, 195, 207, 217, 251.
Boni homines 22, 27, 37, 136, 165, 195, 208, 212, 214, 225, 250, 369, 392, 394.
Boniczus de Bononia, Francisc. 455.
Bonifacius VIII. 498, 503, 508, 572.
Bonifacius IX. 381, 407.
Bonocortesius, Francisc. 468.
Bonus Romeus, Francisc. 476, 477.
Brabant 664.
Bradislavienses, Pic. 649.
Brodbrechen 4, 29, 147, 158, 224, 267, 323. — W. 254. Vgl. Panis.
Bruna, W. 136.
Bucer, Martin 651.
Buch Gottes 160. Liber agni 32. Liber civitatis Dei 267.
Bulgari 612.
Buskeller 341.

Cabanacum 18.
Cäremonien 340, 639, 648, 649, 662, 690, 693, 705.
Caesarius de Alamannia, Franciscaner 461, 463, 525.
Cain 60.
Calojani 53, 327.
Capellani 146, 159, 170, 176, 197, 201. — Capola 362.
Capitulum generale, W. 10.
Carcassone 3 ff., 603, 604.
Carpentarium 233.
Cathari 53, 83, 293, 319, 370, 374, 375, 621. — Namen von Katharern 17 ff., 32 ff., 135 ff., 145 ff.
Cecco d'Ascoli 585.
Celano, Joh. und Thomas 417, 426, 447.
Cherium (Chieri, Cher) 257, 260, 266—270.
Chiliasmus 694.
Chirotecae 271, 272.
Christinus, Waldenser 108, 116.
Christus 33, 67, 73, 169, 253, 277, 370, 387, 391, 617, 691, 703. — Leiden 32, 73, 81, 160, 162, 222, 291, 634. — Descensus ad inferos 193, 223, 283. — Auferstehung 194, 224. — Himmelfahrt 61, 194. — Nativität 586. Vgl. Doketismus, Menschwerdung.
Clemens V. 508, 512, 514.
Clemens VI. 687.
Cölestin V. 492, 493, 498, 508, 520, 572.
Cölibat, W. 12, 104, 105, 116, 637, 639.
Colocani 327.
Commune der Waldenser 43. — Commune civitatum 72.
Como 27.
Compactaten 681.
Concil der Albigenser 35. Concilium vel capitulum generale der Wald. 95, 368.
Concorricii 53, 55, 65, 83. Concorrezenses 320, 612.
Confessiones der Picarden 635, 640, 641.
Confessor 267, 271, 373.
Congregationes der Begharden 403.
Conradus de Offida, Francisc. 492, 494, 495, 500.
Conradus de Spoleto, Francisc. 492.
Consolamentum 41; 34, 39, 179, 244, 278, 322 — bei Frauen 27, 138, 146 — bei Kindern 135, 217, 236, 238, 239, 240, 241, 246, 267 — durch Frauen 165, 294 — nothwendig 21, 33, 38, 135, 195, 246, 267, 322 — wann ungültig 61, 294, 295, 325 — Dispensation 293. — W. 96, 252, 253, 259, 267, 271. Vgl. Haereticare, Receptio.
Consolati 280. — W. 92.
Constancianum 25.

Constantinus der Grosse 352, 356.
Contemplatio 384.
Convenientia 18; 4, 24, 236, 242.
Cordula 36.
Credentes 4, 31, 157, 168, 187, 195, 212, 217, 230, 236, 245, 248. — W. 9, 11, 12, 93, 601.
Cremona 34.
Crescentius (de Marchia Anconitana, von Jesi), Francisc.-General (1244—48) 466, 469.
Cyrilli prophetia 482.

Daemones 35, 184, 186, 218, 276, 283, 617.
David 66, 285.
David de Dinanto 400.
Delfinata 268.
Denunciationen 39.
Desperatio 182, 200.
Deutschland 42, 93, 95, 96, 300, 330, 373, 378, 406; vgl. Böhmen u. s. w.
Diabolus 33, 36, 40, 55, 84, 173, 176, 182, 186, 266, 283, 370. — D. major 189. — 7 diaboli 184.
Diaconus 35, 82, 277, 279. — W. 107, 109, 230. Vgl. Hierarchie.
Doketismus 34, 58, 61, 66, 67, 155, 161, 168, 192, 277, 283, 322, 375, 613.
Dominicus 319, 557.
Draco magnus 257, 259 ff., 263, 321.
Dualismus s. Gott.
Dulcinus 503, 509.

Ebendorfer, Thomas 632.
Egra 625.
Ehe 18, 21, 23—26, 28, 30, 34, 40, 54, 55, 57, 91, 156, 167, 227, 234, 239, 280, 323. — Zweite Ehe W. 105. — Ehescheidung 24, 179, 228, 244. — W. 45, 104. Vgl. Cölibat.
Eichstädt 615.
Eid 3, 5, 41, 83, 167. — W. 7, 13, 15, 93, 107, 110, 125, 143, 144, 230, 234, 248, 329, 349 ff., 619. — Begharden 405. — Meineid 55, 60, 82, 83, 235, 248, 273, 612.
Elias 65, 90. — Elias und Henoch 364, 534, 564.
Elias, Franciscaner-General 440, 450, 455, 460, 465, 466.
Eligius 664.
Endura 19, 20, 24, 25, 138, 139, 154, 205, 235, 242, 244, 248, 249, 250, 271, 598 — bei Kindern 136, 241. — Bruch der E. 147, 238, 239, 240, 250.
Engel 31, 58, 85, 160, 199. — Septem modi angelorum 184. — Engelfall 31, 32, 34, 36, 40, 60, 85, 86, 149, 159, 173, 176, 178, 186, 187, 190, 201, 203, 213, 266, 273, 283, 321.
Enoch 89; s. Elias.
Entendensa 246; 151, 153, 226, 230, 238, 244. — Entendement 207, 208. — Intendimentum 175.
Episcopus 35, 37, 41, 61, 278, 292. — W. 115. — Namen von katharischen Bischöfen 34, 292. Vgl. Hierarchie.
Erasmus 647, 657.
Erfurt 330, 384.
Eucharistie 4, 5, 18, 23, 27, 28, 90, 156, 170, 198, 313, 322, 371. — W. 7, 47, 256. — Begharden 409. — Pic. 637, 643, 647, 650, 655, 663, 669, 691. Vgl. Messe.
Eva s. Adam.
Evangelium aeternum 527, 531, 532, 539, 603, 625.
Excommunication, W. 7, 114, 118, 126, 127, 131, 143, 144, 231, 307, 337, 340. — Begharden

404, 409. — Husiten 630. — Pic. 670. — Excommunicirte dürfen getödtet werden 622.
Exorcismen, W. 310, 341. — Pic. 649.
Extinguere lumina 296, 316, 371. — W. 12, 252 ff.

Fasten 3, 22, 26, 30, 169, 179, 181, 243, 298. — W. 9, 366, 367. — Pic. 660.
Feresa 169, 238.
Festtage 169. — W. 7, 9, 254, 341. — Pic. 660, 672.
Filius major et minor 82, 278, 295; s. Hierarchie.
Finger berühren 254, 255, 264.
Firmung, W. 118, 132, 307. — Pic. 690.
Flandern 664.
Fleisch essen 4, 152 (Fische), 162, 206, 282, 294; 18, 21, 27, 30, 33, 36, 41, 145, 244, 250, 295, 323.
Florenz 324, 585, 605.
Folter 26, 253, 272.
Formeln der Inquisition 286 ff., 342, 598.
Francigenae 53.
Franciscus v. Assisi 417 ff., 509, 559, 571, 572. — Stigmata 459, 509. — Franciscaner 40, 264, 407, 417 ff.; s. Beginae und Begini, Fraticelli.
Franciscus Sancii, Franciscaner 518, 521, 522.
Franciscus de Vapinco, Inquisitor 252.
Fraticelli 381, 407, 512, 524, 606, 687, 705.
Fremde, W. 310, 334, 339, 340, 363, 701.
Friedenskuss, W. 95, 96; vgl. Pax.
Friedrich II. 571, 572.
Friedrich III. 247.
Fry Geist 386.

Galharda, Alb. 238, 239.
Galilaei 633.
Garinus, Inquisitor 406.
Gaucelinus, Episc. haereticorum 292.
Gaufridus de Cremona, Franciscaner 518, 521.
Gazeri 272.
Gebete 37, 159, 237, 250; französische 177, 225. — Gebet vor dem Essen 37, 295. — Tischgebete, W. 11, 94, 134. Vgl. Horen, Pater noster.
Gefässe der Perfecti 21, 272.
Geist, der h., in den Perfecti 4, 21, 25, 61, 165, 169, 218. — Anrufung des h. Geistes 37. Vgl. Trinität.
Geistliche, Römische 5, 6, 23, 33. — W. 108. Vgl. Kirche, Capellani.
Gelübde, W. 104, 117, 133, 601.
Genuflexiones 4, 30, 39, 41, 145.
Georgius Raveta, W. 290.
Gerardus, Francisc. 472, 478, 498.
Gerardus Segarelli 509.
Gerardus Stephani, W. 233.
Gericht, letztes 91, 179, 183, 187, 197, 254, 322.
Geseçanum 327.
Gonsalvus (de Vallebona), Francisc.-General (1304—13) 500.
Gott, leiblich 199, 212. — Guter und böser Gott 5, 18, 23, 31, 34, 40, 54, 58, 77 ff., 83, 152, 155, 184, 219, 231, 259, 282, 321, 371, 374, 612. — Deus extraneus 184, 189, 213. — Vgl. Schöpfung, Trinität.
Graeci (die morgenländische Kirche) 563.
Gregor IX. 461, 465.
Gregor X. 487.
Gregor XI. 357.
Gualardus de Pomeriis, Inquisitor 120, 122 ff., 135 ff., 230.

Guido de Mirapice, Francisc. 508, 512.
Guilabertus de Castro, Alb. 41, 292.
Guilelmus Belibasta, Alb. 165, 176, 182, 184 ff., 213 ff., 222, 227, 229, 236, 243 ff.
Guilelmus Bustalh, W. 135 ff.
Guilelmus Garsias, Alb. 34, 40.
Guilelmus Girardi. Francisc. 522.
Guilelmus Johannes, Beguinus 244.
Guilelmus Sabaterii, Alb. 19.
Guilelmus de Sancto Amantio, Francisc. 518, 521, 522.

Habrawansky 641, 647, 653.
Habsucht 241.
Hadrian V. 480.
Haereticare 18, 19, 21, 24, 30, 37, 39, 136, 138, 147, 158, 174, 239, 246. — Rehaereticare 226, 228, 245.
Heilige 40, 281, 319. — W. 9, 114, 254, 256, 260 ff., 306, 310, 311, 333, 336. — Pic. 628, 700. Vgl. Bilder.
Hierarchie der Katharer 82, 183, 227, 278, 295, 324 — der Manichäer 296 — der W. 9, 97 — 116, 128 — 133, 287 ff., 599.
Hieronymus (von Ascoli), Francisc.-General (1274, Nicolaus IV.) 481.
Hieronymus von Prag 631.
Himmel 33, 66, 199, 214 — sieben Himmel 86, 157, 166, 208, 321 — gläserner Himmel 32, 214. — Himmelfahrt eines Katharers 166, 208. Vgl. Paradisus.
Histriones 623.
Hölle 58, 66, 86, 152, 156, 196, 210, 213, 216, 218, 223, 242, 247, 295.
Honorius III. 457.
Horen, W. 133, 305, 307. — Pic. 691.
Hospitia 279. — W. 93.
Hugo de Digna, Francisc. 477.
Hugo Ostiensis, Card. 429.
Hugo Speronus, W. 64.
Hus 631, 676.
Husiten 630.

Immuratio 291, 522, 603.
Impeccabilität 384, 390, 401.
Indaemoniari 226, 243.
Innocenz III. 400, 429, 457.
Innocenz IV. 571.
Innocenz VI. 687.
Inquisition 3 ff., 289, 343, 346, 365, 384, 389, 406, 585, 586, 607 — gegen Franciscaner 500, 502 ff., 522. — Inquisitor getödtet 38. -- Aufstand gegen die Inquisition 603. — Namen von Beamten der Inq. 123, 134, 135, 139, 140, 143, 230, 596, 707.
Insabbatati 7.
Inscalare 348.
Isaias 160, 161, 208, 276.
Issaura, Arnoldus und Raymundus, Alb. 17 ff., 245.
Italici 43.
Italien 251, 324, 355. Vgl. Florenz u. s. w.
Jacobus S. (Compostella) 320.
Jacobus de Auximo, Francisc. 477.
Jacobus Bech (Beth), W. 257, 265, 272.
Jacobus de Marchia 705.
Jacobus de Massa, Francisc. 477.
Jacobus de Monte, Francisc. 496, 499.
Jacobus de Tuderto, Francisc. 492.
Joachim von Floris 475, 478, 482, 540, 541, 547, 565—568, 571, 572, 575.
Jocelinus de Palatia de Balbis, W. 266 ff.

Johannes Baptista 21, 34, 65, 90, 155, 267, 283, 294, 325, 375, 633.
Johannes Evangelista 34, 165, 277, 280. — Anfang des Johannes-Evangeliums 5, 28, 37, 38, 39, 40, 59. — Apokryphen 85, 707.
Johannes, Engel 160.
Johannes XXII. 290, 381, 514, 517, 602, 606, 687.
Johannes episc. Argentin. 389.
Johannes de Arquata 686.
Johannes Baridon de Pulia, W. 252, 253.
Johannes de Bellesmains, Erzb. von Lyon 6.
Johannes de Belua, Inquisitor 122 ff.
Johannes a Burgundia 359.
Johannes Cajetanus 480.
Johannes Cambiaire, Episc. haereticorum 292.
Johannes Gyrardus, W. 355.
Johannes Lotharingius, W. 108, 116, 129, 133, 144, 245.
Johannes Ludinensis, W. 357.
Johannes de Marsilia, W. 233.
Johannes Mori, W. 251.
Johannes de Oriente 625.
Johannes de Parma, Francisc.-General (1248–57) 465, 466, 470, 473, 475, 477, 495, 508, 525.
Johannes de Roncho, W. 64, 74.
Johannes de S. Paulo, Card. 429.
Johannes de Vienna, W. 143, 330.
Johannes de Wirceburg 625.
Judas Iscarioth 180, 188, 194, 196, 200, 692.
Juden 195, 196, 220, 622; Bekehrung 531, 532, 536, 538, 539, 552.

Karl der Grosse 558, 563.
Karl II., König v. Sicilien 500, 508.
Karl IV. 382, 407.
Katharer s. Cathari.
Ketzer 301, 613.
Kindertaufe 167; s. Taufe.
Kirche, Römische 5, 17, 19, 21, 22, 25, 28, 29, 40, 64, 156, 157, 178, 195, 196, 202, 235. — W. 7, 8, 13, 72, 107, 113, 126, 256, 259, 306, 341, 352. — Olivi 529. — Husiten 630. Vgl. Papst.
Kirchen, Gebäude 40, 56, 136, 168, 176, 281, 319, 370. — W. 307, 308, 336. — Pic. 659, 693.
Kirchengebote 7, 262, 298.
Kirchengesang 23, 34, 40, 298, 700. — W. 307, 334, 338.
Kirchenväter, W. 6, 13, 117, 119, 304, 309, 329, 361. — Pic. 699.
Kniebeugungen s. Genuflexiones.
Kreuz 6, 21, 26, 29, 56, 73, 168, 222, 320, 323. — W. 308. — Begharden 409. — Kreuzzeichen 23, 169, 223, 639. — Kreuz als Abzeichen eines bekehrten Ketzers 291, 292, 343, 349, 350, 364, 367, 603, 604.
Kreuzzüge 309, 320, 334.
Kunder 310, 343, 363, 701.
Küssen eines Katers u. s. w. 9, 293, 296, 370.

Laborantes 44.
Lamberto del Cingulo (Cordiglio), Inquisitor 586.
Lampertus, episc. Argentin. 378.
Languedoc 97, 233.
Laurentius de Lormea, W. 257, 259, 260.
Leo, Francisc. 417, 425, 445, 455, 470, 510.
Leonardus, Francisc. 478.
Leonistae 42, 62, 73, 83, 619.
Lernacum 17.
Leser, Joh. 351, 357.
Lestardi episcopus 359.
Levinus de Wirceburg 625.

Liberatus (de Macerata), Francisc. 493, 496, 498, 500 ff.
Libertas spiritualis 384 ff.
Libertini 664.
Limosum 145.
Lissabon 615.
Littera ecclesiae Rom. et haereticorum 202.
Loistae 664.
Lolhardi 381, 407.
Lombardei 6, 8, 25. 26, 35 ff., 42, 62, 73, 83, 95, 109, 251 ff, 301, 320, 603, 619.
Lombardi 8, 320.
Lucibel 32, 189.
Lucifer 32, 35, 60, 185, 189, 282, 296, 341, 371, 612.
Ludwig der Baier 588.
Ludwig der Heilige 472.
Lyon 6. Concil von 1274 483, 487.

Magdalena 163, 387.
Magdeburg 382.
Magie 590.
Magistrae der Beguinen 379.
Mähren 635, 652, 668.
Mainz 382, 391, 620.
Major oder Majoralis der W. 9, 97—116, 126—133, 252. — Namen von Majores 108.
Manfredus 572.
Manichaei 3, 105, 154, 211, 282, 295, 299, 369, 374, 395, 497, 553, 557.
Manutergia 4, 29, 30, 147.
Marcus de Mantua (Montino), Francisc. 477.
Marcus de Monte Luponis, Francisc. 491.
Maria 34, 37, 58, 67, 90, 155, 161, 168, 180, 192, 221, 277, 284, 322, 341, 387, 598, 627. — W. 9. — Begharden 415. Vgl. Ave Maria.
Marthae 381, 407, 411, 415.
Martin IV, 607.
Martinus, der h. 334, 509.
Martinus ex Bohemia, Inquisitor 378.
Martinus de Presbytero de Vico, W. 254, 263, 270.
Martinus de Siona 514.
Martyrium 35, 231, 235, 271, 370, 373. — W. 126.
Masseus, Francisc. 425, 461, 470.
Maurini, Joh., Petrus, Raymund, Stephan, Alb. 122, 153, 154, 159, 164, 171, 176, 180 ff., 203 ff., 235 ff., 240 ff., 249.
Melanchthon 649.
Melioramentum 4, 25, 30, 39, 249, — monatlich 295. — W. 598.
Mengardis, W. 135.
Menschwerdung 31, 32, 89, 90, 180, 185, 193, 199, 221, 224, 259, 260 ff., 321. Vgl. Doketismus.
Meretrices 623, 624.
Merlin 586.
Messe 30. 40, 146, 203. — W. 7, 100, 102, 114, 116, 310, 339. — Pic. 647, 664.
Messias 196.
Metz 405, 406.
Michael, Engel 296, 321, 371.
Michael de Ceseno, Francisc.-General 606.
Michael Italicus, Waldenser 108, 133.
Mirapiscis 35, 41.
Monaldus, Francisc. 492.
Mönche 40, 625, 671.
Mons Oliveti, Pic. 664.
Monspessulanus 109, 144.
Mons Securus (Montségur) 34, 292.
Moravi 635.
Mordanschläge 19, 27, 236, 243, 248, 249, 250.
Moses 34, 59, 89, 267, 284, 617.

Napoleon (Orsini), Card. 493, 520.
Narbonne 706.

Nativitäten 586.
Nekromantie 590, 597.
Nikolaus III. 507.
Nikolaus IV. 481, 571.
Nikolaus, Erzb. v. Salona 494.
Novellani 92.
Nuces 206, 246.
Nürnberg 627.

Obrigkeit 69. — W. 7, 75, 94, 309. Vgl. Todesstrafe.
Oddonus Narro, W. 269.
Oecolampadius 650, 654, 657.
Olivi, Petrus Johannis 290, 481, 483, 495, 508, 512, 517, 518, 525, 527 ff., 602.
Ölung 315, 329.
Ordalien 621, 622.
Ordination 281, 372, 404. — W. 97—115, 119, 128, 132, 368, 600.
Ortlibenses (Oriliwenses, Ordilebonii, Ortilibarii) 299, 301, 317, 330, 400, 703.
Österreich 301, 305, 346, 600, 632.
Ottobonus, Card. (Hadrian V.) 480.

Pactum = convenientia 4.
Panis benedictus s. signatus 4, 35, 37, 148, 158, 225, 238, 252, 264, 267, 269, 370, — bonorum hominum 37, — orationis 4, 28, 30.
Papst, Römischer 166. — W. 93, 104, 106, 107, 110, 111, 118, 127, 131, 143, 307, 320, 338. — Pic. 670. — Olivi 537, 539, 558, 577. — Fraticellen 606, 687, 705. Vgl. Kirche.
Papst der Häretiker 194, 252, 253, 266, 293.
Parabeln des N. T. umgedeutet 86, 87, 274.
Paradisus in der Genesis 29; vgl. Sündenfall. — P. = Himmel 32, 157, 181, 203; vgl. Engelfall. — P. coelestis et terrestris 179, 183, 187, 189, 194, 197.
Paris 555, 571.
Passagii 327. Pasagini 375.
Passau 343.
Patareni 301, 322, 324, 608, 621. Paterini 293, 301, 376.
Pater sanctus 149, 159, 160, 166, 182, 203, 209. — P. bonorum spirituum 182, 185.
Pater noster 5, 14, 30, 39, 90, 199; — nur von den Perfecti zu sprechen 159, 199, 212, 237, 246; — vor dem Essen 24, 37, 138, 295; — die vierte Bitte 38. — W. 8, 11, 94, 99, 112.
Paulus 32, 207, 215. Vgl. Petrus.
Pauperes de Lugduno 6, 8, 10, 62, 92, 251, 268, 300, 320, 328, 358, 618, 633. Povre de Leon 316. Poverley, Poverleon 330. — Pauperes evangelici, Fratres della povera vita (Fraticellen) 606.
Pax 34, 31.
Pedemontani, W. 304, 345.
Pelagianismus 396.
Pelikan 232.
Perfecti 31, 157, 178, 187, 212, 271, 272, 280. — W. 9, 10, 12, 92, 95, 103, 601. — Perfectio, Begharden 384, 389.
Petrus 162, 166, 181, 194, 201. — W. 93, 107. — Olivi 544. — Petrus und Paulus 25, 155, 183, 242.
Petrus de Belmonte, W. 263, 264.
Petrus Chrymon, W. 355.
Petrus Clerici de Monte Alionis, Alb. 251.
Petrus, Cölestiner, Inquisitor 305, 330, 335, 343, 346.
Petrus Cornaro, Patriarch von Constantinopel 498.
Petrus Dresdensis 628.
Petrus Garcia, Alb. 34, 40.

Petrus Johannis s. Olivi.
Petrus Lombardus 360, 475, 479.
Petrus de Macerata, Francisc. 488. 491, 492.
Petrus Martyr 319.
Petrus Maurelli, Alb. 36.
Petrus de Monticulo, Francisc. 492.
Petrus de Morone s. Cölestin V.
Petrus de Nubilio, Francisc. 479.
Petrus Patrii (Patricii), W. 266 ff., 272.
Petrus de Relana, W. 46, 47.
Petrus de Stacia, Francisc. 446, 468.
Pharisaei 188, 328.
Philipp der Schöne 509, 517.
Philippus de Canto, Francisc. 519.
Philippus de Constantino, Alb. 218, 226 ff.
Philippus de Lernaco, Alb. 18, 26 ff.
Philippus Michael Rubeus, W. 137.
Philosophie 616, 679. Vgl. Aristoteles.
Picardi, Bohemi et Moravi 635, 637, 661, 690, 691.
Pigwia (Pingwia) 406.
Pilatus 188.
Pileus ironicus 346, 348.
Pinarolum 251, 263.
Polen 668.
Pontius Arnaldi, Alb. 26, 36.
Pontius de Bottingata (Botugati), Francisc. 486, 490.
Pradas Tavernerii, Alb. 216, 217, 219, 222, 226.
Praeponimentum 43.
Prag 628, 696.
Presbyter s. Hierarchie, W.
Priesterthum 323. — W. 7, 9, 92, 95. — Pic. 648, 692.
Processionen, W. 308.
Procopius 677.
Propheten 267, 275, 283.
Provincia (Provence) 95, 508.
Publicani 621.
Purgatorium 194, 267, 298. — W. 8, 14, 93, 107, 113, 116, 119, 130, 143, 144, 234, 252, 253, 256, 307, 321, 338. — Pic. 671, 700. — Vision 706, 708.

Rautenstock, Barth., Ketzermeister 626.
Raymundus, Francisc. 488, 489.
Raymundus Belhoti, Alb. 250.
Raymundus de Costa, W. 105, 109, 120 ff., 230.
Raymundus Esshaura, Alb. 245.
Raymundus Gaufridi, Francisc.-General (1289—95) 490, 495, 508, 512.
Raymundus Petrus de Archas, Alb. 173, 217.
Raymundus de Tolosa 37, 38, 245, 246.
Realgar 172, 249.
Receptio 5, 21, 23, 26, 27, 138, 146, 157. — W. 96.
Regensburg 625.
Regna Dei et diaboli septem 184.
Reliquien, W. 307, 308, 334. — Pic. 672.
Renasci 182, 188, 195.
Restitution 248, 295, 324, 326.
Reverentiam facere 4, 27, 181—183, 187, 195, 236, 237.
Rhaetia 400.
Richardus in Apocalypsin 534, 552, 564, 580.
Richardus (von Middleton?) 484.
Rixendis 706.
Robertus Morterii, W. 122.
Roger Bernardi, Graf von Foix 244.
Romani, Waldenser 304, 345.
Runcharii 297, 300, 317, 330.

Sacramente der Kirche 5, 82, 297, 313, 322. — W. 93, 107, 113, 118, 256, 259. — Pic. 637, 649, 661. — S. der Katharer 82, 294. — S. der Waldenser 100.
Salve Burce 52.

Sandaliati 92, 93, 95, 96, 233.
Saraceni 195, 197, 358.
Satanas 60, 84 ff., 149, 201, 203, 217, 321.
Scalatura 346. Inscalare 348.
Schenkungen und Vermächtnisse 41, 154, 241, 271. — W. 96, 253.
Schöpfung der Welt 27, 30, 32, 37, 40, 55, 60, 84, 87, 152, 177, 179, 182, 184, 188, 189, 191, 202, 207, 212, 217, 259, 266, 274, 275, 282, 374, 612. — Die Welt ewig 632. — Schöpfung des Menschen 26, 33, 35, 36, 40, 60, 87, 151, 174, 186, 190, 219, 274, 275.
Schwangere 33, 35, 267, 320.
Sclavi 61. Sclavoni 60, 266, 267. Sclavonia 268.
Sebilia d'en Batle, Alb. 20, 24, 25, 158, 173, 175, 241.
Seele 36, 89, 202, 276, 283, 294, 320, 322; — sterblich 260, 263, 295, 616. Vgl. Spiritus.
Seelenwanderung 23, 24, 31, 32, 36, 40, 175, 179, 188, 191, 205, 215, 235, 247, 276, 277, 283; — durch Thiere 4, 151 ff., 156, 174, 191, 207, 216, 217, 235, 267.
Servicium 37, 295.
Servus bei den Begharden 403.
Sicilien 245, 603.
Sifridenses 301.
Sigismund, Kaiser 675, 678, 684.
Silvester, Papst 40, 252. — W. 306, 320, 352, 356.
Simon, apostata Cisterciensis in Mähren 669.
Simon de Assisio, Francisc. 469.
Simon de Comitissa, Francisc. 465.
Simon Faber, Taborit 674.
Slycani 301.
Sohn Gottes 32, 33, 58, 67, 160, 169.
Sola 498, 499.
Sonntag 169, 707.
Sotolarii 299.
Spanien 615.
Speronistae 62, 64.
Spiritualiter intelligere 55, 57.
Spiritus et anima 58, 185, 197, 218, 219, 230, 321.
Spiritus boni 184, 213; — maligni 207, 213, 218.
Spiritus libertatis 416; s. Libertas. — Haeresis de novo spiritu 391, 393, 395.
Stella, häretisches Buch 52.
Stephanus, Schüler des Gerardus Segarelli 509.
Strassburg 378, 389.
Styra 311, 348, 634.
Sünde 207, 277, 372, 401, 402, 416. — Sünden, die nicht vergeben werden 182, 188, 200, 267, 636. — Sünden gegen den h. Geist 226, 329. — W. 7. Vgl. Impeccabilität.
Sündenbekenntniss 178, 295; s. Servicium, Beichte.
Sündenfall 32, 34, 60, 88, 185, 189, 274, 320.
Sündenvergebung 6, 25, 28, 31, 154, 155, 195, 226, 294, 324, 370, 373. — W. 7, 106, 600; s. Beichte.
Swestriones 379, 381, 407.
Symbolum apostolicum 164, 266. — W. 11, 365. — Andere Symbola 280, 302.
Synagoga 251 ff.

Taboritae 673, 691.
Tarascon 19, 25, 26, 28.
Taufe 5, 20, 23, 25, 28, 29, 31, 34, 68, 90, 155, 167, 183, 196, 197, 236, 279, 285, 322, 371. — W. 45, 48, 118, 132. — Pic. 636, 639, 672, 699.
Teufel s. Daemon, Diabolus, Satanas.

Thaddacus, Francisc. 500.
Thiere tödten 4, 5, 152, 157, 180, 181, 192, 217, 235, 236, 248, 294, 323, 329.
Thomas, W. 45.
Thomas de Adversa, Inquisitor 500.
Thomas de Casasco, Inquisitor 251.
Thomas de Castro Marini, Francisc. 489.
Thomas Pascalis, Inquisitor 365.
Thomas Scotus, span. Häretiker 615.
Thomas de Sola 498.
Thomas de Tolentino, Francisc. 488, 489, 491, 496, 506.
Thomas de Trivio, Francisc. 492.
Tirschenreuth 626, 629.
Todesstrafe 40, 199, 200, 319, 323, 326. — W. 71, 105, 118, 126, 131, 143, 144, 231, 234, 287, 599. — Todesstrafe gegen Ketzer gerechtfertigt 621.
Tolosa 35, 36, 37, 38, 292, 543, 604.
Tortosa 170.
Traducianismus 276, 294, 321.
Tres deceptores 616.
Tres reges 161. Melchior, Baltazar, Gaspar 159.
Trinität 58, 85, 169, 185, 211, 277, 299, 691. — Pic. 703.
Tunica 31, 151, 152, 159, 174, 176, 190, 205, 207, 208, 215, 246, 247.
Turniere 622.
Tuscia 324.

Ubertinus de Casali 508 ff., 516, 518, 525.
Ugolino, Card. 441.
Ultramontani, Waldenser 43, 320.
Ungarn 705.
Universitäten 309, 340.
Unzucht 9, 10, 156, 229, 235, 267, 294, 299, 300, 312, 316, 329, 341, 371, 372, 386, 401, 413, 614. Vgl. Synagoga.
Usura 256, 319, 324, 325, 623.
Utraquismus 631, 657, 669, 679, 681, 688, 692, 705.

Vasconia 122.
Veniae 5, 41, 57, 369.
Verhöre 14, 26, 272, 318, 324, 332.
Verona 43.
Verrathen der Sektirer 19, 20, 27, 188, 195, 206, 226, 239, 241, 242, 267, 329.
Vestiti 178, 179, 188, 194, 195, 248, 251.
Vienne 109. — Concil 379, 512, 515, 687.
Vincentius, Francisc. 505.
Visitatores, W. 95, 96, 97.
Vivaria 109.
Vivetus (Vinetus), Waldenser 46.
Volsius, Paulus 652.

Waldenser, Valdenses 6, 8, 233, 251 ff., 286, 300, 304, 305, 315, 317, 330, 331, 344, 346, 363, 365, 367, 598, 620, 633, 635, 663. — Valdesius 6, 43, 64. Gualdensis 74. Waldunus 300. Petrus Waldensis 304. Petrus Waldis 352. Petrus de Walle 357. — Namen von Waldensern 42, 46, 233, 251 ff., 355, 359, 367. — Bekehrte Waldenser 330.
Wallfahrten 320, 372.
Weiber 209; — wie sie selig werden 151, 176, 177, 191, 209, 219. — Weiber berühren 4, 31, 146, 148, 157, 242, 243. — W. 104.
Weihwasser 372. — W. 309, 363, 367, 620.
Wein trinken 9, 19, 206, 225, 246, 295.

Weingarten, Heinz 627.
Welt s. Schöpfung. — Welt-Ende 210, 213, 216, 247, 694.
Wiedertäufer 636.
Wilhelm, Erzherzog von Österreich 349.
Wladislaus, König von Ungarn 640, 641.
Wunder 40, 54, 170, 247, 325. - W. 9.

Zahl 570, 666.
Zaubertrank 258, 264, 265.
Zwingli 641, 650, 651, 654.
Zyska 673, 677.

Date Due

FACULTY

FACULTY

FACULTY

FACULTY

JUN 15 1987

BW1670 .D65 v.2
Beiträge zur sektengeschichte des
Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 00030 5997